IN ASTROLOGOS CONIECTORES LIBRI QUINQUE. AUCTORE ALEXANDRO DE ANGELIS, IN...

Alessandro : degli Angeli, Cornelio Francescucci, Ascanio Rivaldi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
18 D
41

Digitized by Google

14-21-F-10.

Digitized by Google

IN ASTROLOGOS CONIECTORES LIBRI QVINQVE.

AVCTORE
ALEXANDRO DE ANGELIS,
In Collegio Romano Societatis Iesv,
ſtudiorum Præfecto.

NVNC PRIMVM PRODIT IN LVCEM.

Cum Indicibvs perneceſſariis, iiſque copioſiſſimis.

LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO IACOBO, S. R. E. CARDINALI SERRÆ,

ALEXANDER DE ANGELIS, Societatis IESV, Theologus ſalutem.

ASTROLOGORVM, quos Planetarios S. Auguſtinus appellat, admirabiles cõiecturas diligentiùs explorare eo cõſilio in animum induxi meum, Jacobe Cardinalis Ampliſſime, vt hæc iactabũda Genethliaca, quæ ſe futuros omnes rerum humanarum euẽtus anticipare cognitione ſanè quàm cõfidenter profitetur, in publicã lucem educta excutiatur, detractiſq́; phaleris, deterſoq́; fuco, nuda cõſtituatur ob oculos eorum, quorum animos magnifici nominis ampla ſpecie perſtrinxit; equidẽ, vt animum meum aperiam, nihil aliud in huiuſce laboris elucubratione ſequutus ſum, quàm vt ad ipsũ cubile veritatis, ſi qua tamẽ in Chaldæorũ vanitate veritas deliteſcit, per veræ rationis veſtigia, & quaſi filum peruenirem, eorumq́; conſulerem commodis, qui vitæ ſuæ ratio-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

nes, ex hac, quæcumque demùm eſt, Coniectorum vaticinatione ſuſpendere non verentur. Quorum alterum exigebat ex me vitæ meæ genus, & nomen, alterum exercitatio doctrinæ: vt enim vtilitatibus inſeruiam aliorum, noſtri nominis Religio ſuadebat, cui me penitùs, à reliquis curis abductum, ab ineunte iuuentute deuoui. Vt autem in rerum inueſtigatione vera conſecter, id ſanè; cum ipſa Philoſophia, non intelligendi maior, quàm viuendi magiſtra; tum Theologia veræ ſanctitatis, & Religionis Antiſtes perſuadere iam debuit, homini præſertim in vtroque genere doctrinæ, per multos annos, in florentiſſimis Italiæ Gymnaſiis, cum aliqua, ſi non ingenij, certè laboris laude verſato. Quod autem animum indagandæ veritatis ſtudio, non odio partium contrà ſentientium, ad hoc ſcribendi genus adiecerim; ſatis id magno fuerit argumento, quòd Aſtrologorum nationem ſemper ſum vnicè amplexatus; quòd eorum non paucis quàm familiariſſimè ſum vſus; quòd ab illorum nemine ſum laceſſitus: quòd ipſe prouocare neminem debeo, qui vel inimicos diligere ſum paratus. Quocircà ſi veritatis inquirendæ ſtudiū, ad quod naturæ tacito ſuaſu inducti ſumus, ſi grauiſſimi, & plerūque inſanabiles errores, quibus infœliciter implicantur, quicumq; leuiſſimum hoc artificium ſibi quæſtuoſum, aliis pernicioſum eſſe voluerūt: ſi meum inſtitutæ vitæ genus, quod quampluribus prodeſſe ſtudet, in re tanta me quieſcere otioſè, ac conniuere paterentur, ſanè quieſcerem, & cōniuerem perlibenter: neq; me aut Aſtrologiam hoc labore vexarem; ſi quà verò nominis celebritate ducerer, ineptiſſimus ſim, ſi doctrinæ laudem, ex nugatoriæ diſciplinæ confutatione potiùs aucupandam, quàm è grauiſſimis

Philoſophorum,

Philoſophorum, ſanctiſſimis Theologorum commẽtationi-
bus, quas propediem expedio, expectandam putem. Neque
verò vereri debui, ne temerè in Aſtrologorum offenſionem
incederem, vera profitentiũ, veritatis aperiẽdæ cupiditate
prouectus. Nam ſi conſtare ſibi voluerint, in ſuſcepta ſen-
tentia, quam ipſi veriſſimã, nos opinioſiſſimã eſſe dicimus;
exercere nobiſcũ gratuitas inimicitias profectò nolent, neq;
ægrè ferent ſuã doctrinam in bono veritatis lumine collo-
cari: præſertim cum hæc ipſa, qua ipſi volunt lege quæra-
mus, & ad Aſtrologiæ forũ prouocemus: atq; ad eos iudi-
ces, qui quoniã expolitione doctrinæ, mentis aciẽ exacue-
runt, & omnẽ ætatem in nobiliũ artiũ tractatione poſue-
runt, decipi, hallucinariq; adeo neutiquã potuerũt; vt quid
verè, quid falsò, quid veriſimiliter in hoc genere dicatur,
& cognoſcere intelligenter, & iudicare ſapiẽter nequeant.
Cæterùm permulta ſunt, eaq; grauiſſima nomina, quibus
hũc qualemcũq; fructũ laborũ meorũ debere diutiùs inco-
lumi officio nõ poſſũ. Etenim vſuram hanc diligẽtiæ repetit
à me primũ ipſa veritas, cuius numine doctorũ hominum
ſtudia tum demùm optimè cõtinentur, cùm ad eius certiſ-
ſimam normam exigũtur. Requirit ſapiẽtiæ cupida iuuẽ-
tus, quæ tũ videlicet recta via, expeditiſſimoq; curſu fer-
tur, ac peruolat ad veram ſapientiam, cùm incitatũ eius
impetũ, alacritatemq; nulla debilitat, vel retardat iudicij
corruptela, vel inaniũ cura ſtudiorũ. Repetit ipſorũ digni-
tas, & exiſtimatio Principũ, ac Reipub. moderatorũ, qui-
bus magno plerũq; cum ipſorũ incõmodo, cõmuniſq; ſalutis
non raro exitio Cõiectorũ ſeſe callida natio vẽditat, com-
mẽdat, inſinuat, addicit. Repetit ipſa ſuo iure Reſpub. cu-
ius plurimũ intereſt, vt boni Principes malas artes, præſti-

 gias

gias falſitatis ciuium ſocietatibus interdicant. Repetit po-ſtremò facilitas, ac imbecillitas potiùs imperitæ multitu-dinis admirabiliũ rerum, hoc eſt, ludibrioꝝ pleruq; ſitien-tiſſimæ, leuiſſimis præſertim Ariolorum lactata promiſſis. Jam verò quod ad clietelam ſpectat, commendationemq; laborum meorum, quonã potiùs vtar præſidio, quàm tuo, Jacobe Cardin. Ampliſſ. cuius ſingularem prudentiam, conſilium, integritatem, animi magnitudinem ſummis Põtificibus, maximiſq; Principibus domi, militiæq; pro-batam, omnes ordines, omnes nationes æquè cõmendant: Te Italia ad bellũ cõtra Turcas pro Chriſtiano nomine tertiò, ac quartò proficiſcentem incredibili beneuolentia eſt proſe-quuta: Te Pannonia Põtificij exercitus vigilantiſſimum curatorem etiam nunc celebrat: Te Germania grauiſſima pericula pro Chriſtiana Repub. fortiter adeuntẽ, ſuſpexit: Conſtans tuus, firmiſſimuſq; animus in difficillimis belli temporibus, ipſos etiam Chriſtiani nominis hoſtes admi-ratione defixit. Integritatem tuam, & fidem ditionis Ec-cleſiaſticæ Quæſtura declarauit, Pietatem, & Religionem cõprobauit templorũ Ædilitas: charitatem erga hanc Vr-bem teſtatur publicorum horreorũ procuratio, quibus com-munis annonæ certiſſima ſubſidia continentur: & Romæ affluens rerum omniũ vbertate fœlicitas: diligẽtiam, & ſe-dulitatem in tractandis publicis, priuatiſq; negotiis oſten-dunt & nocturnæ vigiliæ, & quotidiani labores tui. Per hos quaſi gradus ad celſiſſimam omniũ ordinum cõmendatio-nem euectum te Paulus V. Pontifex & optimus, & ma-ximus, ſuæq; merito fœlicitatis, ac virtutis immortalitate digniſſimus, qui nuſquam virtutem eſſe ſine honoris com-mẽdatione patitur, in auguſtiſſimũ Purpuratorũ Patrum

Collegium

Collegiũ magno Chriſtianæ Reip. bono, & incredibili huius Urbis gaudio aſciuit, tantaq; auctum dignitate in iiſdem adhuc muneribus detinet, vt difficile iudicatu ſit, vtrùm optimus, ac ſapiẽtiſſimus Pater maiora nobis compararit præſidia fœlicitatis, an inſignia quæſierit dignitatis tuæ. Quare cùm nunquã Reip. cura te deſerat, quam circũ te circũſpicis ſemper, non poſſunt nõ gratiſſima tibi accidere, quæ pro Reip. ſalute, ac commodo conferuntur in medium. Accedit & doctrina multiplex, & acerrimum taliũ rerum iudicium tuum, & magnis tum Philoſophiæ, tum Mathematicæ præſidiis inſtructum ingeniũ, quod tibi facilem aditum ad omnem laudem per nobilium ſpatia Philoſophorum, ad omnes ſapiẽtiæ penetrales fontes, in publico hoc Gymnaſio, me etiã duce, & admiratore aperuiſti: quæ quidem ſapiẽtia ſicut te errare non patitur, ſiue cùm publica cõmoda moliris, ſiue cùm amoliris incõmoda; ſic tu tantæ Nutricis alumnus minimè patieris, per hanc nugatoriam vaticinãtium leuitatem, alios errare, quorũ vtilitatibus quàm diligẽtiſſimè proſpectum, ac cõſultum nunquã non curas. Deniq; qui tuo exẽplo docuiſti non fortuita cõſpiratione ſiderum, ſed legitima ſuffragatione virtutum, non aſtrorum vi, ſed iuſta meritorum poſtulatione parari honores: quiq; in maximis rebus gerendis quanto plus cordata conſilia, quàm ſtellarum placita valeant, re, & factis quotidie demõſtras: leges ſine dubio libenti, ac prono animo eorum lucubrationes, qui id ipſum Phyſicis, & Aſtrologicis rationibus probandum ſuſceperunt. Vale.

PRÆFATIO

PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

IAM auidè plerique omnes præſenſiones futurorum expetimus, adeóque cæca cupiditate perſequimur genus omne diuinationis,nulla vt ſit tam delira anus,nullum tam inſanum ſomniantiū ludibriū, nullum tam brutum animal, quod aliquid portendere aliquando nõn videatur. Calceus ſiniſter pro dextro indutus,abruptio corrigiæ, offenſio pedū non modò vulgò,ſed etiam ſummis viris religioni fuere. Hinc S.Auguſt.lib.2.de doctrina Chriſtiana,cap.20.[His adiunguntur millia inaniſſimarum obſeruationū, ſi membrum aliquod ſalierit, ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis,aut puer medius interuenerit: atque illud quòd lapidem calcant tamquam diremptorem amicitiæ,minùs moleſtum eſt, quàm quòd innocentem puerum colapho percutiūt, ſi pariter ambulantibus intercurrit. Sed bellum eſt quòd aliquando pueri vindicantur à canibus: nam plerumque tam ſuperſtitioſi ſunt quidam, vt etiam canem, qui medius interuenerit ferire audeant non impunè:namque à vano remedio citò interdum ille percuſſorem ſuum ad verum medicum mittit. Hinc ſunt etiam illa, limen calcare cùm ante domum ſuam tranſit:redire ad lectum,ſi quis dum ſe calciat ſternutauerit: redire domum,ſi procedens offenderit,&c.] Apes ſuprà caſtra forte fortuna glomeratas proſperam Druſo cõtra Germanos pugnam prænotaſſe,& muſcas poculis, dapibúſque Romanorum mili-

tum

tum inſidentes Traiano Cæſari mortem ſignificaſſe putatum eſt. Creditum præterea mures, qui Lauinei clypeos arroſerunt, Marſycum bellum indicaſſe, & ficum in Capitolio enatam euerſæ Romanæ pudicitiæ prodigiũ habitum fuit; quin Caius Marcus, vir in Romana Republica clariſſimus, aſello, qui reiecto pabulo ad aquam cucurrit, triſte aliquid ſibi notari exiſtimauit. Quid Fauni vxor? nonne furore diuinantis auctoritatem ſibi cõciliauit? & Carmenta, id eſt, vt Plutarchus in Romulo interpretatur, carens mente nonne Vatis item fidem apud Romanos rerum Dominos obtinuit? Quid de auium loquar volatu, cantu, paſtu, tripudio, ſoliſtimo, quibus res publicæ & priuatæ pudenda ſuperſtitione antiquitus adminiſtratæ fuerũt? Quid de pecudum extis, & extiſpicina re omnino vaniſſima, quę non ſolùm rude vulgus, ſed multorum etiam ſapientium animos occupauit? In tam cæca humanæ mentis agnoſcendi futuros euentus cupiditate nil mirum Aſtrologiam etiam rem totam fallaciis, & præſtigiis confictam apud multos reperiſſe fidem. Cùm enim futurorũ ampliſſimam præſagitionem profiteatur, nullo illa quidem rationis ductu, ſed eius qua flagramus omnes anticipandi futura cupiditatis inuitatu ſe in hominum animos inſinuauit; nec minimam ei dignitatem atque auctoritatem auxerunt & illa Aſtrologorum prædicta, quæ magna mortalium admiratione aliquando vera euaſerunt. Nam quemadmodum ij qui totum diem iaculantur, collimant aliquando, & qui talos iaciunt Venerem nonnunquam reddunt, ſic Aſtrologi inter innumera, quæ quotidie effutiunt, aliqua interdũ vera fundunt, quæ etſi caſu quidem vera fuerunt, magno tamen errore putatum eſt ab Aſtrologia trahere veritatem. Quare ars vaniſſima in multorum animos altè deſcendit, quę mox ab Aſtrologis multis confirmata fraudibus, & mẽdaciis, plus auctoritatis habuit, quàm publica

ẽ priuatá

Digitized by Google

priuatáque commoda poſtulaſſent. Et ſanè quotuſquiſque eſt, qui non intelligat, quas excitare poſſint in Republica ſeditiones Aſtrologorum præſagia de Principis vita, & morte, de commutatione Imperij, de bellorum exitu, quantum Mathematici detrahant de Principis auctoritate, quem malignis ortum ſtellis, rudem, & ſtolidum, infœlicem, infœcundum eſſe prædicunt; quos in eum ciere motus poſſint, quādo nouis priuatiſque hominibus ſummam rerum ſponſore cœlo promittunt? Non ſunt hæc accerſita longiùs: expertus eſt Galba Aſtrologorum tumultus, quem Ottho Imperio & vita ſpoliauit vrgentibus (inquit Cornelius Tacitus) Mathematicis, dum nouos motus, & clarum Otthoni annum obſeruatione ſyderum affirmant. Expertus apud Hiſpanos Alphonſus Rex octauus; aduerſùs quem Aſtrologorum prædictis Abeldelmenus filius cuiuſdam figuli excitatus, Regno potitus eſt: Expertus eſt Iuſtinianus, quem Leontius à Paulo Monacho Aſtrologo nobili ad ſpem imperij erectus è ſummo humanarum rerum faſtigio deiecit, & amputatis manibus in Cherſoneſſum relegauit. Expertus eſt Muleaſes Tuneti Rex à filio regno priuatus Mathematicis auctoribus & ducibus. Denique bello Cimbrico Athenio Cilix ſeruus Aſtrologiæ præſidio eorum qui rebellarunt Dux & Anteſignanus fuit, & Michaël Balbus apud Leonem Imperatorem Comes domeſticorum cùm ab Aſtrologo quodam cognouiſſet Imperatoria ſe geneſi ortum, aduersùm Leonem coniurare, eúmque è viuis tollere non dubitauit.

Neque verò minùs priuatis Ciuibus, quàm Principibus viris pernicioſa Genethliaca contagio eſt. Obuiæ cuique ſunt clariſſimorum Ciuium neces, quibus in potentiorum ſuſpicionem adductis poſtremi exitij Aſtrologorum vaticinia cauſa fuerunt. Nam Tiberius Cæſar, vulpes illa callidiſſima, qui fraudibus ſemper & dolis nectebat

omnia,

Digitized by Google

omnia; perſpectis præcipuorum Romanorum Ciuium natalitiis ex aſtris omnes è medio ſuſtulit, quos aurigantibus ſtellis ad imperium peruenire poſſe compererat, vni Galbæ pepercisse fertur, quòd ſerum illi & breue imperium cœlum polliceretur. Caius Caligula quem natricem populi Romani Tiberius appellare ſolitus eſt, cùm ſibi necem inſtare à Sulla Mathematico accepiſſet, quantum fudit cruoris? quantas edidit ſtrages? quanto ſanguine populo Romano ſtetit illud vaticinium? Iam verò Antoninus Caracalla quàm infenſum habuit Macrinum copiarum Præfectum? eo ſolùm nomine quod ad imperium ſtellarum ductu ferri Mathematici affirmabant. Quid attinet Neronis vel Claudij tempora percenſere? quibus temporibus Babilo Aſtrologo monſtrante in lectiſſima quæque Reipub. capita deſæuitum eſt. Quid Ægypti præterea Reges commemorem, quos inſpectis naſcentium genituris, omnes illuſtribus & regiis ortos ſtellis necare ſolitos accepimus? Quid cauſæ fuit cur Domitianus Metium Pompoſianum interemeritnisi quia Imperatoriam geneſim habere vulgò ferebatur? Nihil eſt neceſſe ad Indos oratione tranſire, apud quos, qui malignis oriuntur aſtris, eos ab ipſis parentibus per ſummam barbariem ſolitos interfici legimus.

At nihil de Principe, nihil contra Principem loquantur Aſtrologi; tamen eorum prædicta ſocietatem generis humani labefactant, ſoluunt enim neceſſitudines natura ipſa conglutinatas, ſoluunt amicitias ſanctiſſimis firmatas legibus, diſſuunt vno verbo humani generis ſocietatem. Putáſne poſſe illum quietis partem vllà capere, cui Aſtrologus prædixit occultas imminere inſidias, impendere grauiſſimas calamitates? Suis ne ſe permittat amicis ille, cui Cardanus lib. de reuolutione c. 7. prædixit amicorum fraudes, proditiones, inſidias? Quo animo viuet maritus il-

le cum vxore in cuius genitura vagos concubitus,inceſtus, adulteria, Aſtrologus vidit? Diligétne vnquam pater eum filium,quem Cardanus lib.2. de iudicio geniturarum c.13. oſtendit ex adulterio genitum? feretne quiſpiam æquo animo liberos, quos idem Cardanus c. 8.eiuſdem lib. docet natos in familiæ dedecus, in domus excidium? Eámne ducet vllus vxorem, quam Genethliacus plures habituram viros pronunciauit? degétne cum viro vxor, quem Cardanus lib. centum geniturarum,genitura 41.vaticinatur interfecturum vxorem? Quanto odio perſecutus eſt Guido Maltrauerſus Comes Patauinus Nicolaum filium, quem Iambonus Aſtrologus pernicioſum fore Patriæ cõfirmauit? Poteſtne quiſpiam legere, quæ Iulius Firmicus ſcribit li.7.Matheſeos,c.9.de filiorum cum parentibus diſſidentium geniturís c.18.de coniugum diſſidiis, c. 20. de geniturís eorum, qui vxores,fratres,parentes interfecturi ſunt, ſine magno domeſticæ tranquillitatis & pacis incõmodo? Potuitne Alexander Medices nõ infenſus eſſe propinquis omnibus,cui Baſilius Mathematicus prædixit necem à propinquis imminere?O præſens humanæ beneuolentiæ venenum! ô formidabilem priuatæ & publicæ rei peſtilentiam!

At monerent Aſtrologi vera, haberemus illis gratiam, nunc verò tam ſæpe mentiuntur,tam rarò vera prædicunt, tam incertum eſt tempus, quo vera, quóue falſa denunciant, tam rarò & fortuitò veris vaticiniis aſpergunt mendacia, vt ad tollendas amicitias, ad ferenda odia,ad interrumpendam beneuolentiam eorum prædicta valeant plurimùm;ad prudentiam,ad tuendam vitam,ad pericula declinanda ne minimum quidem afferant adiumentum.Nã cùm animus vera à falſis præſagia, nulla internoſcat nota ex lubrica & inconſtanti arte,temeritas quidẽ plurimùm, prudentia verò nihil proficere poteſt.

Plus

Plus ſatis habemus rixarum & inimicitiarum è ſublunaribus cauſis, nihil eſt cur è cœlo fomitem diſſenſionum, & materiam litium accerſamus. Cur falſis præſagiis odia magis accendimus, quæ veris cauſis excitata reſtinguere oporteret: parum ſcilicet contentionum inter mortales eſt, aliunde etiam, & è cœlo petendæ erant.

Neque verò quicquam adiuuat cauſam, quòd hoc loci Mathematici reſpondere ſolent, nihil ſe certò pronunciare, ſed probabiles & veriſimiles ſequi præſagitiones, quibus nemo ita permoueri debet, vt propterea vel inſidias alicui ſtruendas, vel humanam deſerendam ſocietatem, vel naturæ iura ſibi reuellenda putet. Quod ſi quis tamen Genethliacis prędictionibus, quibus cautior fieri debebat, in aliorum pernicię̃ abutatur, id non Aſtrologiæ vertendum eſſe vitio, ſed hominum improbitati tribuendum, quæ ſæpiſſime ſaluberrimas quaſque res & diſciplinas in multorum perniciem exitiúmq; conuertit. Nihil, inquam, hæc aut Aſtrologiam, aut Aſtrologica præſagia vindicant. Verbis enim Mathematici probabiliter ſe loqui profitentur, re, & factis in eo ſunt toti, vt ſua vaticinia veriſſima eſſe oſtendant, id enim agunt, id experimentis contendunt, tam certa eſſe Aſtrologorum placita, quàm certum eſt ſcamonea ſolui aluum, rhabarbaro ſubduci flauam bilem, veneno eripi vitam. Nullus reperitur, qui ſuarum prædictionum eleuet fidem, aut extenuet veritatē, contrà inuenias omnes, qui ſua prædicta ſarta & tecta eſſe velint. Sed demus eos loqui ex veriſimili ratione, nihil certi, aut conſtituti prædicere; nónne ex huiuſmodi vaticiniis, quibus quotidie nobis occultas inimicitias, clandeſtina odia, domeſticorum fraudes, amicorum inſidias prædicunt, reſident in animis neſcio qui aculei, qui diu noctúque nos pungant? nónne remanent ſuſpicionum quidā fluctus, quibus huc illúcque agitati ſic inter domeſticos &

 cogna

cognatos viuimus vt inter hoſtes nobis verſari videamur, ſic inter homines degimus vt inter immanes belluas nos periclitari putemus? vbi de vita, de morte, de honore, de iniuria agitur, leuiſſimæ etiam ſuſpiciones grauiſſimas inimicitias accendere conſueuerunt. Quid Caium Caligulam impulit, vt Longinum Caſſium Aſiæ Proconſulem virum in Rep. Rom. longè clariſſimum è medio tolleret? nónne leuis affectati imperij ſuſpicio? abigantur licèt huiuſmodi ſuſpiciones, & amandentur longiſſimè, nónne redeunt tamen identidem, & recurrunt dubitationes quædam de fide vxoris, de charitate filiorum, de amicorum beneuolentia, de ſtudiis Ciuium, de voluntate Principis, quę ſocietatem humanam ſi minus funditus euertunt, certè magnopere laxant.

Non longum faciam. Aut Aſtrologi volunt ſibi fidem haberi cùm nobis aliquid enuntiant, aut minus. Si fidem poſtulant eorum prędicta, ea omnia incommoda pariunt, quæ hactenus commemorauimus: ſi nulla eſt illis adhibenda fides, non egemus eorum præſagiis; vanus eſt omnis eorum labor, quem in exponendis geniturıs ſuſcipiunt.

Iam verò quid commemorem artes, quibus huius diſciplinę homines ex imprudentiorũ Ciuium loculis pecunias eradunt? Rectè ſanè Phauorinus Philoſophus totum hoc præſtigiarum atque offuciarum genus dixit commentos eſſe homines æruſcatores, cibum, quæſtúmque ex mendaciis captantes. Scitè & Ennius:

Quibus diuitias (inquit) *pollicentur, ab his drachmam petunt,*
De his diuitiis deducant ſibi drachmam: reddant cætera.

Quid loquar de veneficiis, quibus Genethliaci genus humanum inficiunt? non enim temere Iuriſprudentes lib. 2. Codicis eodem tit. de Maleficis & Mathematicis, præclaras ſanè leges ſanxerunt: ſed ea de cauſa quòd vix vllum Aſtrologorum huiuſmodi labis immunem exiſtimarent.

marent. Quin Ptolemæus ipſe Aſtrologorum Magiſter lib. primo de iudiciis, c. 3. acriter in ſuos Genethliacos inuehitur, quòd Aſtrologiæ quaſi ſipario magicas artes aliaſque innumeras peſtes obuelent.

Quid dicam de infamia, quà totum hoc genus hominum apud omnes gentes ſemper laborauit, abundéne declarat quàm ſalutaria mortalibus ſint Aſtrologica præſagia?

Nec politicis modò humaníſque rationibus aduerſatur Genethliaca, diuinas etiam res pari temeritate peſſundat. Nihil eſt tam diuinum, nihil tam ſupra naturam exaggeratum, quod naturalibus cauſis, & cœlo non ſubiiciat. Nihil eſt à Deo tam arcano conſilio factum, quod non affirmet ab aſtris profectum, nihil reperitur aut religione tam auguſtum, aut veneratione tam ſanctum, quod Albumazaris non violarit impietas, quod Bonati non labefactarit temeritas, quod Chebinzij non contaminarit illuuies, quod Cardani non polluerit improbitas. Profitentur quidem Mathematici nihil ſe de Religione diſputare, ſed eorum libri nullo diſcrimine diuina ſimul & humana perturbant. Nam vt prætermittam quod Abram Iudæus anno Domini 1465. clarus per ea tempora Aſtrologus ex coniunctione Iouis & Saturni in ſigno Piſcium non dubitauit affirmare Iudæis breui affuturum Meſſiam, ratus nimirum Aſtrorum vi non Dei conſilio humani generis Seruatorem prodituram in lucem; vt ſileam de Rabi Lemlæo, qui anno 1500. ex Aſtrorum congreſſu adeò affirmatè prædixit aduentum Meſsiæ, vt Iudæi euerterint furnos, quos ad panes azymos pinſendos more gentis paratos habebant, certiſſimi anno inſequenti Hieroſolymam ſe reuerſuros. Vt alia denique huiuſmodi præteream, quibus referti ſunt Arabum libri, nónne receptum apud Mathematicos eſt, non plures quàm ſex Religiones eſſe poſſe? Iupiter

piter(inquiunt)Religionem ſignificat aliam atq; aliam ex complexu cum alio atque alio Planeta, cùm autem ſint ſex præter Iouem Planetæ, ſex dumtaxat ſpecies Religionis eſſe poſſunt. Nónne Chriſtianam Religionem à Deo inſtitutam, à Deo miraculis confirmatam,referunt in eam coniunctionem, quæ fuit parte 6. Arietis ſex annis ante Chriſti Domini natalem, aut in eam, quæ hanc 20. annis anteceſſit in poſtrema Cancri parte? Vtinam apud Arabes ſolùm Chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes hæc legerentur, vtinam non extarent in eorum etiam libris qui Chriſtianam Religionem profitentur. Quid Cardanus lib. de ſupplemento Almanach. cap. 22. [Lex Iudaica (inquit) eſt à Saturno vel eius ſtella,vel potiùs vtroque, Chriſtiana à Ioue & Mercurio, Mahumeti à Sole & Marte æqualiter dominantibus, vnde iuſtitiam cuſtodit, verùm cum impietate & crudelitate magna. Idololatria à Luna & Marte.Soluitur autem vnaquæque lex à ſuo contrario. Saturnum debellat Iupiter auctoritate,& Mercurius ratione. Iouem & Mercurium debellat Mars, non audiens rationes,& ſæuiens contra auctoritatem. Martem & Solem debellant Saturnus & Venus, hæc laſciuia,ille dolis. Martem & Lunam Sol & Iupiter deſtruunt auctoritate, dignitate,& veritate. Ob hoc Chriſtiani erigite capita,qui poteſt capere capiat.] Hæc Cardanus Aſtrologorum Magiſter. Iactent nunc Genethliaci ſe nihil de Religione pronunciare, occulant nefariam impietatem, quam pectore gerunt,condant venenum quod in ſacra ac diuina in tempore promant; deprehendentur Deo auctore eorum conſilia, detegentur fraudes, quibus humana æquè ac diuina confundere moliuntur. Quis ignorat Prophetarum vaticinia, vim miraculorum ab Aſtrologis in aſtra referri? Manilius libro 5.

Quos potiùs fingat ortus, quàm templa colentes,

Atque

Atque auctoratos in tertia iura miniſtros,
Diuorumque ſacra venerantes numina, voce
Pene Deos & qui poſſunt ventura videre.

Idem Hieron. Cardanus lib. de iudiciis Geniturarum, c. 1. [Iupiter (inquit) in nona Chriſtianis ſacerdotia pollicetur, vera ſomnia ſacrorum ſcientiam.] Rurſus infrà: [Venus (inquit) in nona facit diuinos ſacerdotes magnos, præſtat ſomnia veriſſima.] Ne moroſior ſim, omnia Chriſtianæ Religionis myſteria à Dei filio in hominum ſalutem inſtituta Mathematicis rationibus impiè & nefariè concludunt.

Tot tantíſque malis obuiam ſæpius itum eſt publica poteſtate grauiſſimíſque Principum decretis. Pulſi enim Vrbe, & Italia fuerunt Mathematici frequenter. Ars ipſa Genethliaca grauioribus pœnis interdicta fuit, non rarò in eos ſeuerè animaduerſum eſt, qui huiuſmodi artem exercebant. Cæterùm ſeueritas Principum facere potuit, ne publicè malum graſſaretur, ne occultè ſæuiret facere non potuit. Pulſa enim Vrbe, & Italia tanta peſtis remanſit in hominum animis, & eiecta ex Rep. non exulauit à mentibus Ciuium, ſed propoſita pœna abſtinuit à publico, latebráſque ſibi quæſiuit, delituit enim intra ſeditioſorum Ciuium arcana conſilia apud homines, quos re familiari deſtitutos, vna vel alienæ hæreditatis, vel opulenti matrimonij, vel Reip. commutationis ſpes ſuſtentabat. In domibus Principibus infenſis, in ædibus ære alieno oppignoratis, denique in facinoroſorum hominum penetralibus reſtitit, è quibus nullis vnquam Principum decretis exturbari potuit ſic prorſus, vt Rom. hiſtoriæ clariſſimus auctor ſcribere potuerit de Genethliacis. [Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in Ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur; ita planè res habet. niſi Principum decretis acceſſerint ſapientum diſputationes,

i quæ

quæ ex hominum mentibus certiſſimis,firmíſque concluſionibus exturbent Aſtrologiam,ſemper illa vetabitur, & retinebitur. Hydra enim eſt multorum capitum, quorum vno reciſo,multa ſuccreſcunt,& renaſcuntur;ſi vnum auferas,ſtatim aliud ſufficitur, & hoc amoto ſupponitur aliud ; extingui denique non poteſt ferro,niſi ferro opem ferat ignis ſapientiæ,niſi quod ferro reſectum fuerit abſumat flamma doctrinæ.]

Omnes adeò, qui literis valent, deberent ſaluberrimis legibus à Principibus pro incolumitate Reip. de hac abolenda peſte ſapienter latè opem ferre. Nam quæ cura ſanctior?quod ſtudium magis ſalutare? quæ honorificentior diſputatio, quàm quæ hominum genus in libertatē aſſerit, Religionē,& pietatem ab impio ſtellarum dominatu vindicat,quæ facinoroſorum hominū fallacias detegit, quib. ciuiles motus ciere ſolent: quæ ſacris diuiníſque myſteriis venerationem Deo Opt. Max.cultū & auctoritatē reddit? Ipſe etiam quanquam ab ingenio & doctrina imparatiſſimus,rei tamē cōmotus indignitate,ſtudio publicę vtilitatis excitatus ad demoliendas Aſtrologiæ principes arces acceſſi.Multi mihi auditi huius diſciplinæ Magiſtri,per ea præſertim tempora,quib. Philoſophorum ſcita lectiſſimæ iuuentuti Italiæ,Germanię,Angliæ,in Principe Vrbe Roma tradidi,clariſſimos eiuſdem Profeſſores Romæ, Neapoli,Mediolani,in Sicilia mihi licuit cōſulere,diu in Rom. Collegio illud Mathematicæ diſciplinæ oraculum mihi patuit,Chriſtophorus Clauius, qui omnes Mathematicæ partes arctiſſimè complexus,vnam Genethliacā tanquam Mathematicæ futile putamentum conſtantiſſimè ſemper auerſatus eſt;omnia mihi adita delubra,è quibus Genethliaci imperitæ multitudini conſueuerūt reſponſa reddere: contemplari per otium licuit arcanas Tripodas,è quib.vaticinantur populo:inſpexi monſtra & inania ludibria,quæ

Mathe

Mathematici toto cœlo commenti ſunt: quare cùm præter ea, quæ de vi Solis & Lunæ Phyſici docent, quorum alter tum ad Septentrionem, tum ad Meridiē curſum infle-ctens quatuor anni tempora, & ea quæ his temporibus gignuntur efficit, altera creſcendo, & decreſcendo ciere maria, implere conchylia, leuare morbos, commouere tempeſtates, & alia id genus præſtare ſolet omnia, quæ de ſyderum poteſtate Genethliaci tradunt, conficta eſſe animaduertiſſem, ad fallenda rudiorum ingenia, haud ferendam mihi exiſtimaui tantam fingendi licentiam in publicam priuatámque perniciem. Ergo Aſtrologia diuina æquè ac humana peſſundat. Nos nulla tacti religione ſinemus illam impunè debacchari? Errorē plerique capti poſt Aſtrologicas obſeruationes inſaniunt, nos patiemur eos vana ſomniantium deliramenta ſectari? Non patiemur profectò, ſed reuocabimus quoſcumque poterimus ad lucem veritatis, detegemus huius diſciplinę vanitatem, detrahemus illi laruam, quæ hactenus tam multos fefellit, & pro ea quam hominibus debemus, charitate, pro ſynceræ veritatis ſtudio, quod viginti & quatuor iam annis in præcipuis Italiæ Academiis profeſſi ſumus, pro vitæ inſtituto, quod ab ineunte ætate ſuſcepimus, iuuandi quam plurimos, dabimus operam Deo bene iuuante, vt inpoſterum neminem fallere Aſtrologiæ præſagia poſſint.

Et quorum, dicet aliquis, auctoritate tanta ineunda diſputatio eſt? Ariſtotelis in primis, Hippocratis, & Galeni, quorum vberrima & fœliciſſima ingenia quæcumque Genethliaci è cœlo, ex aſtris deducunt, è proximis & coniunctis cauſis oriri euidentiſſimis rationibus euincunt. Cùm enim de humani corporis temperamento præcipua lis ſit, quòd Aſtrologi à genitalibus aſtris noſtri corporis conſtitutionem, quaſi habena quadam gubernari

contendant, & animi mores ſequantur corporis temperamentum, nos verò à ſublunaribus cauſis corporis conſtitutionem pendere putemus, non alios huius litis magis idoneos iudices facere potuimus, quàm Philoſophiæ, & Medicinæ Magiſtros Ariſtotelem, Hippocratem, Galenum, quorum doctrinam conſtantiſſima omnium Academiarum, omnium gentium, omnium ætatum, omnium temporum conſenſio comprobauit. Cæterùm ne Philoſophorum, Medicorúmque tribunal quantumuis æquum, tanquam alienum Mathematici excipiant, ad extremum in Aſtrologiæ foro Genethliacos conueniemus. & Claudium Ptolemæum, alióſque Aſtrologiæ principes Magiſtros huius cauſæ teſtes, iudices & arbitros decernemus, quorum iudicia ne ipſi quidem Mathematici improbare queant.

Breuitérne an copioſè diſſerendum? breuiter, & copioſè; breuiter quidem, quia non perſequemur omnes Aſtrologorum ineptias, ſed ſolùm præcipua quædam capita, vnde omnis hæc ars velut è fonte promanat. Copioſè verò, quia ſingulæ rationes pluribus argumentis firmabuntur, vt ſtabilem firmúmque mereantur aſſenſum. Neque enim tantam rem ita ieiunè, anguſtéque tractare debuimus: vt ſi vna aut altera ratio claudicare videatur, totis titubatum caſtris putetur, ſi vna, aut altera ratiocinatio rimas agere credatur, tota ædificatio exiſtimetur ruere. Multa nobis Philoſophia, multa Medicina, multa ipſa Aſtrologia aduerſus Genethliacam vanitatem ſuppeditat. In tam fœcundis ſapientiæ noualibus, cuius ſtylus areſcat, aut cuius potiùs non exuberet ingenium?

Atque hæc initio me præfari oportere intellexi, vt ſtatim lector præ oculis haberet, quæ ſibi ſint ex hiſce libris expectanda. Nam de ſtylo nihil aliud habeo dicere,

re, niſi me quantum per facultatem licuit, operam dediſſe, vt neque plus nimio barbarus eſſet, ne in politiorum Muſarum incurreret odium, neque ad Ciceronis lychnos exquiſitiùs elucubratus, ne Philoſophicæ quæſtiones eas Rhetorum pompas & phaleratam illam orationem accerſerent, quam veritatis venatori reſpuendam eſſe docent, & præcipiunt ſapientes. His igitur hoc modo propoſitis ac delibatis, ſic aliquando, propitio Numine, ad diſputandum ingredior.

LITTERÆ ADMODVM
R[DI] IN CHRISTO PATRIS
P. CLAVDII AQVAVIVA Societatis IESV, Præpoſiti Generalis.

CVM libros quinque contra Aſtrologos coniectores, P. Alexandri de Angelis, Societatis noſtræ Theologi, Tres eiuſdem Societatis, quibus id commiſimus Theologi recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur; ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 13. Febr. 1614.

CLAVDIVS AQVAVIVA, Societatis IESV Præpoſitus Generalis.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi.*

ANTONIVS SVFFREN Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IIII. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Feb. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimāt: permittit Horatio Cardon Lugdunenſi Bibliopolæ, vt librum qui inſcribitur, *In Aſtrologos coniectores libri quinque, Auctore Alexandro de Angelis, in Collegio Romano Societatis* IESV, *ſtudiorum Præfecto*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 12. Septemb. 1614.

SVFFREN.

APPRO

Digitized by Google

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magiſter, & diuini verbi Prędicator, in ſancti Pauli Lugdunenſis Canonicus, atque in hac Lugdunenſi Diœceſi Librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus nos hoſce *Libros in Aſtrologos coniectores à Reuerendo Patre Alexandro de Angelis, Societatis* IESV *editos*, euoluiſſe; eóſque ſingulari mentis acumine, firmarum rationum pondere, multiiuga eruditione, ac cum fide Catholica, Apoſtolica & Romana ex toto conſpiratione perſpicuos, nactos eſſe. Lugduni apud S. Paulum Non. Nouembris, M. DCXIV.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

℞. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Liber qui inſcribitur, *In Aſtrologos coniectores libri quinque, Auctore Alexandro de Angelis, in Collegio Romano Societatis* IESV, *ſtudiorum Præfecto*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni die 14. Nouemb. 1614.

MESCHATIN LA FAYE.

LIBRVM hunc, inſcriptum, *In Aſtrologos coniectores libri quinque, Auctore Alexandro de Angelis, in Collegio Romano Societatis* IESV, *ſtudiorum Præfecto*, ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunenſi in lucem dari permittimus: ſimul, ne quis citra factam ei ab ipſo poteſtatem, denuo excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 14. Nouembris 1614.

SEVE.

SVMMA

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII A *Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.*

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt,atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat,vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum,qui inſcribitur, *In Aſtrologos coniectores libri quinque*, *Auctore Alexandro de Angelis*, *in Collegio Romano Societatis* IESV, *ſtudiorum Præfecto*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos,quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine cōſenſu dicti Horatij Cardon. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum in Fonte-Bellaqueo, die 25. Octobris, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

Digitized by Google

ELENCHVS LIBRORVM ET CAPITVM OMNIVM QVÆ TOTO HOC OPERE IN ASTROLOGOS coniectores continentur.

LIBER PRIMVS.

De cœli actione in hæc inferiora generatim.

CAPVT I. OMNES ſtellas lumine eſſe prędita. pag. 2.
II. De poteſtate cœli in ſubiecta corpora. 3.
III. Lumine ſolo cœlum efficit quatuor primas qualitates. 5.
IV. Omne cœli lumen per ſe vim habet caloris. 6
V. De arcanis cœli viribus. ibid.
VI. Motum cœli non pertinere ad hæc vſque infima, &c. 13.
VII. Non omnia, quę cœlo continentur, ita à cœlo pendere, vt eo non agente, nihil agere poſſint. 15.
VIII. De elementorum conſeruatione. 19.
IX. Materiam non pręparari ad formas à cœlo ſolo. 20.
X. Specifica effectuum naturę non prouenient à cœlo. 22.
XI. Quę rebus adueniunt, non aduenire à cœlo, &c. 23.
XII. In rerum procreatione nullas eſſe cœli partes. 26.
XIII. De cœlo inanimo. ibidem
XIV. Cauſas ſublunares non eſſe omnes cœli inſtrumenta. 28.
XV. Formas ſubſtantiales non eſſe à cœlo. 29.
XVI. Omnium corporum temperamentum à primis qualitatibus ducere originem. 33
XVII. Rerum effectus mirabiles non commodè ab Aſtrologis referri in aſtra. 41.
XVIII. Vnde rebus ſympathia & antipathia? 43.
XIX. De criticis morborum diebus. 47.
XX. De peſtilentia, & morbis popularibus. 58.

LIBER SECVNDVS.

De conceptu, & fœtu.

CAP. I. ASTRA non animum, ſed corpus afficere: ſi afficiunt. 59.
II. Philoſophis potiùs, & Medicis credendũ quàm Mathematicis. 61.
III. Ex aſtrorum, quę conceptui pręſunt, ſolo congreſſu, nihil de fœtu poſſe decerni. 63.
IV. Aſtrologi non obſeruant, nec obſeruare poſſunt fœturę omnes cauſas. 67.

õ Quę

V. *Quæ de parentum ſtellis Aſtrologi comminiſcuntur.* 69.
VI. *Cur filij ſimiles parentibus.* 70.
VII. *De ſexus diuerſitate.* 78.
VIII. *Fœtus ab alimento potiùs quàm à ſtellis pendet.* 80.
IX. *Quæ matri vterum gerenti accidunt, afficiunt & fœtum.* 82.
X. *Monſtra non poſſe ad aſtra reuocari.* 83.
XI. *Ratio qua ſecundùm Aſtrologos fœtus ſtellis reſpondet.* 89.
XII. *Egregium Aſtrologorum figmentum.* ibid.

LIBER TERTIVS.

De natali, & partu.

CAP. I. *Liberum arbitrium ex omnium gentium conſenſu.* 92.
II. *Humanas mentes ſyderum poteſtati non rectè ſubiici.* 95.
III. *Altera ratio ex fine.* 97.
IV. *Tertia ratio ex dominatu mentis in corpus.* 98.
V. *Poſtrema ratio ex Dei prouidentia.* 101.
VI. *Aſtrologos ignorare ſtellas quæ conceptui præſunt.* 102.
VII. *Aſtrologos ignorare veram natalis horam.* 104.
VIII. *Ea, quæ à pluribus tranſiguntur, non poſſe ex vnius horoſcopo coniici.* 105.
IX. *Nec plures horoſcopos ſatis eſſe ad prædicendum.* 107.
X. *Quæ de coniugiis effingunt Aſtrologi pugnantia.* 109.
XI. *Alter Aſtrologorum error.* 110.
XII. *Nec vt plurimùm eueniunt quæ ſunt ex aſtris.* ibid.
XIII. *Omnia, de quibus Aſtrologi vaticinari ſolent ex ſyderum ductu, pendere à cauſis ſublunaribus.* 111.
XIV. *Parentum, & obſtetricis ſedulitate mutari temperamentum, quod puer è ſtellis hauſit.* 112.
XV. *A victu magis quàm ab aſtris temperamentum pendere.* 116.
XVI. *Plus labores valere ad tuendum vel mutandum corporis temperamentum quàm Aſtra.* 119.
XVII. *Sedes, & domicilium magis, quàm aſtra, aſſitiunt temperamentum.* 123.
XVIII. *Quid conſuetudo & vſus aduersùs aſtrorum vim poſſint.* 125.
XIX. *Medicamentorum vim, & Medicorum peritiam cum Aſtris pugnare.* 129.
XX. *Caſum non cohærere cum Aſtrologorum præſagiis.* 127.
XXI. *Vitia, quæ obſunt valetudini, obſtare ſtellarum propenſionibus.* 141.
XXII. *Prouidentiam diuinam eludunt Aſtrologorum prædicta.* 142.
XXIII. *Quot via Mathematicorum effugia præcluduntur.* 143.
XXIV. *Quid hactenus diſſuadendo effectum, quid in poſterum efficiendum ſit.* 145.
XXV. *Gentium mores facere contra Aſtrologos.* 146.
XXVI. *Educatio, & domeſtica exempla ſæpe obſtant aſtris.* 149.
XXVII. *Conatus, & conſuetudinis vis aduerſus aſtra.* 153.
XXVIII. *Exempla eorum, quibuſcum viuimus, eludunt aſtrorum vim.* 155.
XXIX. *Obiectorum præſentiam plus habere virium quàm aſtra.* 157.
XXX. *Ad mores plus valere genus, conditionem, fortunam, quàm aſtra.* 161.
XXXI. *Maiorem caſum in moribus habet vim quàm aſtra.* 166.

Principium

XXXII. *Principum ſeueritatem & leges facere plurimum ad morum diſciplinam.* 168.
XXXIII. *Conſcientiam etiam obſtare prauis corporis propenſionibus.* 169.
XXXIV. *Multæ præterea cauſæ, quæ efficiunt, ne quis ſequatur ſyderum impulſum.* 171.

LIBER QVARTVS.

Quo Aſtrologia Aſtrologicis concluſionibus exagitatur.

CAP. I. *QVæ ſint Aſtrologiæ firmamenta.* 179.
II. *Aſtrologorum imperitia.* 180.
III. *Aſtrologorum fraudes.* 186.
IV. *Aſtrologicæ obſeruationes ridiculæ.* 188.
V. *Aſtronomicis experimentis nihil eſſe fidendum.* 192.
VI. *Tria Aſtrologorum ſuffugia.* 195.
VII. *Non potuiſſe Aſtrologos Planetarum vires experiri.* 196.
VIII. *Errores qui contingunt Aſtrologis, in ſyderum obſeruationibus, eſſe maximi momenti.* 202.
IX. *Syderum configurationes Aſtrologis perſpectas non eſſe.* 204.
X. *Syderalium configurationum alia magna diſſimilitudo.* 206.
XI. *Epicyclis, & eccentricis euariari ſyderum conſtitutiones in vno, eodemq́ſigni minuto.* 209.
XII. *Non poſſe Aſtrologos vires ſtellarum ſæpius experiri in vna, eademq́ materia.* 210.
XIII. *Suffugium tertium refellitur.* 213.
XIV. *Experiendi difficultas ex Cardano.* 216.
XV. *Electiones; quas vocant inanes, ex Aſtrologorum confeſſione, & Ludouici Sfortiæ exemplo.* 217.
XVI. *Pugnantes Aſtrologorum ſententiæ de Alfridariis.* 219.
XVII. *Magnas reuolutiones confictas eſſe, Aſtrologorum teſtimonio probatur.* 225.
XVIII. *Videntium, & audientium ſtellarum fabella.* 227.
XIX. *Duodecim locorum ſignificationes.* 229.
XX. *Directionum commentum.* 231.
XXI. *Duodecim Zodiaci partibus nullam ineſſe vim.* 233.
XXII. *Rationes ob quas Aſtrologi varias ſignis vires attribuere* 239.
XXIII. *Zodiaci aſteriſmis nullas ineſſe vires.* 242.
XXIV. *Monomeriarum lepidiſſima fabula.* 245.
XXV. *Alia Zodiaci ludibria, & ridicula Aſtrologorum commenta.* 246.
XXVI. *De gradibus lucidis, tenebroſis, plenis, vacuis, & aliis id genus nugamentis.* 247.
XXVII. *Cœleſtium domorum locorumq́ nugamentum.* 249.
XXVIII. *Ratio, quam Aſtrologi ſecuti ſunt, tribuendo Planetis domos.* 256.
XXIX. *Quid aſtrorum congreſſus ſit, quàm nouis aſtris varius, & nonus* 257.
XXX. *Pugnare ea, quæ Aſtrologi tradunt de obſeſſione & aſpectu aſtrorum.* 258.
XXXI. *Vrbium ridiculas eſſe udgenituras.* 263.
XXXII. *Cur Aſtrologi nihil de mutis animantibus aut ſtirpibus, ſed de hominibus*

Digitized by Google

ſolùm præſertim opulentis,pronunciant è ſtellis. 264.
XXXIII. Geminorum diſſimiles exitus. 265.
XXXIV. Qui diſſimilem ſortiti ſunt ortum,ſimilem ſæpe ſortiuntur interitum. 268.
XXXV. Quodlibet ex qualibet genitura conficere poſſe Aſtrologos 272.
XXXVI. Aſtrologorum veras prædictiones nihil fauere huic diſciplinæ, 275.
XXXVII. Prædictiones, quibus Genethliaci ſuam artem confirmare ſolent, non eſſe Aſtrologicas. 280.
XXXVIII. Prima ratio,ob quam Aſtrologi verum aliquando denuntiant. 286.
XXXIX. Altera cauſa, ob quam Genethliaci aliquando diuinant. 288.
XL. Multa Aſtrologos diuinare ex prudentia, & vſu rerum, quàm ex arte Aſtrologica. 290.
XLI. Leuitate conſulentium vera prædicere Aſtrologi putantur. 292
XLII. Auctore dæmone interdum Genethliacos diuinare. 293.
XLIII. Nihil poſſe Aſtrologos de ſummo Pontificatu ab aſtris decernere. 294.
XLIV. Nihil Aſtrologos de futuris honoribus dicere poſſe ex aſtris. 298.
XLV. Nihil Aſtrologos ex natalitiis aſtris decernere poſſe de cuiuſque proſpera aut aduerſa fortuna. 303.
XLVI. Nihil Aſtrologos prædicere poſſe ex arte de vita, aut morte. 305.
XLVII. Non licere Aſtrologis per accidentia rectificare genituras. 309.

LIBER QVINCTVS.

Qui & exoreticus.

Cap. I. Nullam ſapientes viri Genethliacæ diſciplinæ habuerunt fidem. 314.
II. Sapientum conſenſu Genethliaca damnatur. 316.
III. Diſertiſſima S. Ambroſij in Genethliacos diſceptatio. 320.
IV. Diſceptatio S. Auguſtini aduerſus Aſtrologos coniectores. 323.
V. Alia S. Auguſtini grauiſſima in Aſtrologos coniectores diſputatio. 326.
VI. Rurſus S. Auguſtinus aduerſus Genethliacos diſſerit. 328.
VII. Alia S. Auguſtini cum Aſtrologis congreſſio. 329.
VIII. Diſputatio Origenis Adamantij in Aſtrologos. 330.
IX. Diſertiſſima Bardaſenis oratio in Aſtrologos. 333.
X. Excluditur Aſtrologorum ludificatio aduerſus Patrum doctrinam, 336.
XI. Aſtrologos ſæpe è Republica pulſos fuiſſe. 339.
XII. Quàm ſeuerè olim Eccleſia in Genethliacos animaduerterit. 341.
XIII. Genethliacam artem exitio fuiſſe multis Principibus. 344.
XIV. Aſtrologiam nullius eſſe frugis. 345.
XV. Ioannis Baptiſtæ Cardani Hieronymi Cardani filij infœlix exitus. 349.
XVI. Aſtrologorum diſſenſiones. 350.

Finis Elenchi librorum,&capitum.

IN

Digitized by Google

IN ASTROLOGOS CONIECTORES
LIBER PRIMVS.

De cœli actione in hæc inferiora generatim.

PROOEMIVM.

QVÆCVMQVE hominum generi, omníque mundo ſublunari eueniunt, ex aſtrorum præſcripto deducunt Mathematici, aduerſus quos ex philoſophiæ naturæque principiis diſputaturo mihi, licèt non incommodè cederet ab homine initium facere, cuius gratia totus hic labor ſuſceptus eſt; neque enim de aliis magnopere laborarem, niſi humanas etiam actiones ſub ſtellarum iura & dominatum redigere Mathematici conarentur; addo diſputationes à notioribus inchoari aptiſſimè, auctore Ariſt. lib. 1. phyſ. text. 2. at multò notius ac manifeſtius vel eſt, vel fieri poteſt, hominem à ſyderum imperio eximendum eſſe, quàm cæteras res. Malui tamen à generali quadam tractatione exordiri de cœli vi, & poteſtate, quæ cunctas res cœlo ſubiectas complectatur multis de cauſis. Primùm quidem, quòd ea, quæ vniuerſis ſunt communia, priuatis, propriiſque ſunt priora, illiſque contenta & incluſa, ſine quibus priuata intelligi cogitaríque nequeunt. Deinde quòd generali hac tractatione incidemus Aſtrologiæ quaſi neruos, quibus vniuerſum hoc corpus ſuſtinetur, elidemus fontes ipſos vnde omnis Aſtrologia promanat, quibus exturbatis, & diſiectis ſua ſponte areſcent omnes præſenſionum, prædictionúmque lacunæ. Præterea cùm de efficientia cœli in vniuerſas res ſublunares frequentior in ſcholis

A ſuſcipia

ſuſcipiatur diſputatio,priùs debuimus ſcholis deſeruire,& Philoſophiæ profeſſoribus, inter quos numerabamur quando aduerſus Aſtrologos ſcribere ſumus ingreſſi. Deniq; quòd hæc philoſophica magis eſt diſputatio,quàm quæ de homine,in qua multa à Medicis, multa à moralibus, multa à publicis officinis repetere neceſſe eſt.

Principiò autem ea de ſyderum poteſtate in hæc inferiora & ſibi ſubiecta corpora proferemus, quæ non grauatè Aſtrologis concedimus, deinde ea quorum illos, vt iacturam facere velint, rogamus.

CAPVT PRIMVM.

Omnes ſtellas lumine eſſe præditas.

STELLIS vniuerſis inſitam eſſe lucem aliquam ſibi propriam, præter eam,quam à ſole mutuantur,nemo fermè philoſophorum ambigit;nec Auer. lib.2. cœli, com.42.& 49.& lib.de ſubſt. orbis,c.2.nec Auicenna apud Alber.2.cœli,tract.2.c.2.nec Alex.aut Simplicius,apud Auer.locis citatis, nec S. Thom.2. cœli,text.42.nec Alber.de Saxonia 2.cœli,quæſt.20.nec Cardani antagoniſta Scaliger exercitatione 62.nec Niphus lib.2.cœli,text.49.nec Amadeus lib.2. cœli, quæſt.5. nec Alber.lib.4.de quatuor cauſis,quæſt.4.a.21. lib.2. cœli, tract.3.c.6. Et de luna quidem nullum dubitandi locum facere defectiones,quas cùm patitur ex obiectu terræ,quamuis nihil illuſtretur à ſole, lucet tamen,ac rubet,quod exiguæ quidem,ſed cuiuſdã tamen lucis argumentum eſt. Quin & poſt nouilunium, quæ partes ad ſolem conuerſæ non ſunt, obumbrante earum tenue lumen interdiu ſole,noctu lunæ cornibus vix diſpici poſſunt, diſpiciuntur tamen & luminis neſcio quid nobis obiiciunt.

De Venere eadem fermè ratio eſt,teleſcopio enim (quod omnium ſuperiorum ſæculorum caligine diſcuſſa,nouas cœlo, & antehac inauditas ſtellas detexit) nuperrimè eam vidimus accedendo,recedendóve à ſole creſcere, minuíque non ſecus ac lunam, quò enim ſoli propinquior eſt,quia ei maiorem ſui partem ad nos conuerſam præbet illuſtrandam, eò magis cornicularis per teleſcopium nobis videtur.

Idem de cæteris conſtat aſtris: licèt enim nunc ad ſolem propiùs accedant, nunc ab eodem recedant longiùs,licèt numquã globoſam eorum formam vllo inſtrumento viderimus variari,in confeſſo tamen eſt,propriam habere lucem, & quidem maiorem quàm Lunam aut Venerem : hæ enim quia totum ferè lumen deſumunt à ſole, quò ſoli propinquiores ſunt, eò minori ſui parte ad nos lumen ſolis remittunt, quo fit vt corniculares videantur,idem cæteris ſine dubio eueniret ſi totum lumen, vel ſi tantum luminis ſoli referunt acceptum,quantum Venus & Luna.

Adhæc conſtat vniuerſim ſtellas omnes perſpicui corporis,id eſt,cœli partes eſſe denſiores,vnde Ariſt.lib.2. cœli, text. 41. [De vocatis autem aſtris,inquit,conſequens vtique erit dicere, ex quibus conſtant,& in quibus figuris,&

quinam

quinam ſunt ipſorum motus;rationabiliſſimum itaque fuerit, & ea quæ à nobis dicta ſunt conſequens ad vnum quodque aſtrorum ex hoc facere corpore, in quo exiſtit lationem habens, quoniam diximus aliquid eſſe, quod circulariter ferri natura natum eſt;vt enim ignea dicentes eſſe ob hoc dicunt quia id quod ſurſum eſt corpus ignem eſſe dicunt: vtpote cùm rationabile ſit vnumquodque conſtare ex iis in quibus vnumquodque eſt, ſic & nos dicimus.] Quæ ſentẽtia in omnium Philoſophorum animis inſedit altiùs,veteres enim, qui cœlum eſſe ignem docuerunt, ſtellas quoque igneas eſſe putarunt. recentiores,& Ariſt. interpretes, Auer. S.Thomas,Albertus, Hypol. cæterique paſſim, qui cum Magiſtro cœlum ab elementis ſecernunt: ſtellis quoque ſui orbis naturam donarunt. Iam verò cœlum totum, quamquam propter raritatem non lucet,tamen ſuapte natura lucidum eſſe,declarat, quæ dicitur via lactea, hoc eſt,partes illæ orbis denſiores, quæ medio cœlo albicantes, exiguam quidem, ſed aliquam lucem oſtendunt.

Neque verò aliter fieri oportebat, cùm enim pleraque alia inferiori longè conditione à Deo procreata lucem ſortiri natura voluit,vt videre eſt in noctilucis,ſquamis piſcium, putridis lignis, oculis felium, minimè hoc idem ornamentum inuidendum fuit cœlo,aut ſtellis,quæ cœli partes quædam ſunt.

Rurſus cùm ſol, qui pars quædam cœli eſt denſior, tantum effundat luminis,quis reliquas eiuſdem cæli partes omni ſplendore denudet? An quia ignis prope lunam circumpoſitus ob eximiam raritatem non lucet, negabis ignem ſua natura lucidum eſſe?

Nec magna diſtantia parum officit, ne tenuem cœli lucem eminus videamus: at non eſt neceſſe pluribus confirmare id, quod cum aduerſariis litigioſum non eſt.

CAPVT SECVNDVM.

De poteſtate cœli in ſubiecta corpora.

PRINCIPIO conuenit inter nos & Aſtrologos,magnam eſſe cœli vim & poteſtatem in ſublunarem mundum,& corpora ſubiecta non ſolùm illuminando (quis enim de cœli lumine ambigat,niſi qui cæcus natus ſit?) ſed calefaciendo,frigefaciendo,ſiccando, humefaciendo, [Sol,inquit M. Tullius lib.2.de natura Deorum,qui aſtrorum obtinet principatum,ita mouetur, vt cùm terras larga luce compleuerit, eaſdem modò his, modò illis partibus opacet,ipſa enim vmbra terræ ſoli officiens noctem efficit,nocturnorum autem ſpatiorum eadẽ eſt æquabilitas quæ diurnorum;eiuſdémque ſolis tum acceſſus modici,tum receſſus,& frigoris,& caloris modum temperant, circuitus enim ſolis orbium,v.defectibus,& LX.& CCC.quarta ferè diei parte addita, conuerſionem conficiunt annuam,inflectens autem Sol curſum tum ad Septemtriones, tum ad Meridiem, æſtates & hyemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti adiunctum eſt,alterum æſtati. Ita ex quatuor temporum mutationibus omnium, quæ terra, marique gignuntur, initia, & cauſæ ducuntur.]

Nec Soli hanc vim Luna inuidet. [In Lunæ quoque, aiſt idem Tullius eodem loco, curſu eſt brumæ quædam, & ſolſtitij ſimilitudo, multáque ab ea manant,& fluunt, quibus & animantes alantur, augeſcántque, & pubeſcant, maturitatémque aſſequantur,quæ oriuntur è terra.]

Magis diſertè Ariſt. lib.1.Meteoror. cap. 2. [Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur;vnde enim motus principium omnibus ineſt,illam cauſam putandum primam.] libr. 1.de generat. animal.c.2.in vniuerſo quoque naturam terræ quaſi fœminam matrémque ſtatuit,cœlum autem,& ſolem, ac reliqua generis eiuſdem nomine genitoris patríſque appellat, lib. 2. de generat. animal. cap.2.at verò ſolis calor & animalis,non modò qui ſemine continetur, verùm etiam ſi quid excrementi ſit, quamquam diuerſum à natura,tamen id quoque principium habet vitale : cæterum calorem in animalibus contentum nec ignem eſſe,nec ab igne originem ducere,apertum ex his eſt.

Planiùs lib. 2. de generat. text. 15. & 16. lib. 2. cœli, text. 20.& 21.lib.8.phyſicorum, text.46. lib.12. Metaphy. text.34. lib.2.phyſ.text.26.Sol & homo generant hominem.

De qua cœli vi in hæc ſublunaria diſertè diſputant S. Thom. p. par. quæſt. 115.art.5. lib.3. contra gentes, cap.82. 86. in 2. d.15.q.1.art.2. & de pot. quæſt.5. art.8. Heru. in 2. diſt.15.q.1. Gab. in 2.d.14. q.vnica dub.vlt. Scot. in 2. diſt.14. quæſt. 3. Capreol. ibidem quæſt.1. art. 2. concl. 2. Ferrar. lib.3. contr. gentes, cap. 84.86. S. Bonau. 2. d. 14. quæſt. 6. 7. 8. 14. Aegid. 2. diſt. 14. quæſt.3.art.2. ibidem, dub. primo, & 2. literali & quodl. 4. quæſt. 12. Argent. in 2. d.14. quæſt.1.art.4.Sonc.lib.12. metaphy. quæſt. 13. Iandun. lib. 1. cœli, q. 1. & lib.2. cœli, quæſt.12. lib.8. phyſ. quæſt. 6. Pauiſ. diſpu. 4. met. cap. 9. & 10. Achill. quodlib. 4. de orbibus dub. vlt. Auer. libr. 2. cœli, com. 42. lib. 2. de gener. com.55. 56. lib. 1. Meteor. cap. 2. Paulus Venet. de compoſit. mundi, cap. 21. 22.23.Themon.lib.1.Meteor. quæſt.3.& 9.Amadeus lib.2. cœli,q. p. art. 3.Marſ. lib.1. de gener. quæſt.9.Philopon. lib.1. Meteor. cap.4.Auguſtinus Niphus lib. 2. cœli, q. de hac re, & tract.de cauſis calamitatum noſtri temporis. Albert. de Saxonia lib.2. cœli, quæſt.21.Alber. Magnus lib. 1. Meteor. tract. 1. cap. 12. de quatuor cauſis, quæſt. 4. cap. 23. Thienenſis lib. 1. Meteor. cap. 4. Scaliger exercit.18.75.Buccafer. lib.2. de gener.text.56.Philalſeus lib.1. cœli, quæſt.27. Picus Mirand. lib.3. contr. Aſtrol. cap. 3. Ant. Mirand. de euerſione ſingularis certaminis, libr. 22. 23. 24. Sextus Empir. libr. contra Mathematicos, cap. 21. nonnulla etiam leges apud Triſmegiſtum in Pimandro, Plotinum Enneade ſecunda, libr.3. Enneade 3. libr.1. & 2.Plutarch. opuſc. de Iride & Oſiride, Auctorem Philoſophiæ ſecundùm Aegyptios libr.10.cap.3.libr. 11. cap. 1. Auctorem libri de Mundo, cap. 6. Macrob. libr.1.in ſomnium Scipionis cap.9. Adeò conſtans de actione cœli, in ſubiecta corpora, ſententia omnium ſapientum ſuffragiis, quotidianíſque firmata experimentis; mirum eſt, quàm varios & ambiguos habeat explicatus; alij ſolo lumine exiſtimant confici totum negotium;alij lumini addunt ſecretas alias & arcanas virtutes:alij ad omnia omnino, quæ his inferioribus accidunt,cœli actionem pertinere contendunt; alij certis quibuſdam effectis coërcent libentiùs;alij omnia quæ fiunt cœlo ſolùm auctore fieri volunt,aliis & ſublunaribus cauſis cœli vim temperari placet, & in varios deduci effectus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Lumine ſolo cœlum efficit quatuor primas qualitates.

LICET nulla cœli pars ſiccitate, aut humiditate, calore, aut frigore affecta ſit, alterari enim & corrumpi neceſſe eſſet, habet tamen facultatem efficiendi hæc omnia in orbe ſublunari per lumen. Et de calore quidem conſtat, in vmbroſis enim locis minor eſt calor, quàm apricis, quod non eſſet, niſi lumen calorem progigneret, vbi eſt, alibi verò per quamdam viciniam, quæ quò minor eſt, eò minus eſt caloris. Huc accedit, quòd lumen ignis calefacit per ſe, vt experimur, at cœleſtis & ignei luminis natura eadem eſt, quare & ſeſe mutuò ſolent augere, ſi miſceantur, quod proprium eſt eorum, quibus natura communis eſt, Calefacit igitur etiam cœleſte lumen.

Neque id ſolùm, ſed arefacit quoque ſi non per ſe, ſaltem per accidens: caloris enim eſt ſegregare heterogenea lib. 2. de generatione, text. 8. Ex iis enim in quæ incidit extrahit humidiores partes, relinquit arida quæ ſunt, hæc autem arefactio quædam eſt: quin etiam eadem opera ſæpe humectat, humidiores enim vapores, quos lumen extrahit è terra, nec poteſt abſumere, decoquendo, pariunt humiditatem, & pluuiam: nec ea ſolùm ratione humectat, quia partes humidas dum extrahit ad vnum redigit, omnia autem quæ vnius modi ſunt ſe mutuò fouent, & tuentur meliùs, quàm contrariis admixta, ſed etiam quia multa humentia in vnum compacta mole ſua magis humectant omnia, quæ attigerint.

Frigefacit tandem, nec ſolùm, Sole longiùs recedente, quod voluit Ariſtoteles lib. 2. cœli, text. 20. & accuratiùs lib. 2. de generatione, text. 56. qui enim ſol accedendo cauſa eſt caloris, idem abſcedendo cauſa fuerit frigoris, eo planè modo quo Ariſt. idem lib. 2. phyſ. text. 3. explicauit commune axioma, Eadem eſt cauſa contrariorum, [Quod enim præſens (inquit) cauſa huius eſt, hoc facimus aliquando cauſam contrarij, vt abſentia gubernatoris nauis ſubmerſionis, cuius erat præſentia cauſa ſalutis;] eodémque recidunt quæ ſcribit 2. de Gener. text. 56. [Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ.] idem enim, & ſimiliter ſe habens ſemper idem natum eſt facere, idem autem contrario modo ſe habens, contrariorum cauſa cenſetur, ſed etiam frigidos extrahendo vapores è terra, marique, qui à ſole in ſublime delati, mox deſtituti calore, ad natiui frigoris ſtatum reuertuntur. Quin & duo elementa, terra & aqua ſolis radiis excalefacta, ſole longiùs recedente proliuitate naturæ nulla alia vrgente cauſa in ſuum frigus relabuntur, cæteráque omnia, quæ terra, marique continentur, frigore complentur: quemadmodum ollam efferueſcentem ab igne amotam ſua ſponte ad natiuum frigus redire videmus. Atque ex his intelliges, hæc omnia cœlum præſtare ſolius luminis opera, hoc enim calefacit ſubiecta ſibi corpora, eſt autem calidi ſecernere, quæ vniuſmodi non ſunt, hæc à contrariis ſeiuncta, & frigefacere & ſiccare, & humectare in confeſſo eſt.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Omne cœli lumen per ſe vim habet caloris.

OMNE cœli lumen per ſe vim habet efficiendi caloris; Et quidem de ſolis lumine, de quo ſuperiori capite, dubitat nullus, ſed idem de lumine lunæ tradit Ariſt. libr. 4. de partibus animalium cap. 5. [Echini inquit) habent ſe in pleniluniis vberiùs, non quia per idem tempus copioſius piſcantur, vt quidam putant, ſed quòd noctes tepidiores ſunt propter lunam pleniorem, calorem enim deſiderant quando frigori patent, vt pote quæ ſanguine carent, ex quo fit vt æſtate potiùs vbique vigeant.]

Rurſus lib. 4. de generatione animal. cap. vltimo. [Luna (inquit) principium eſt propter ſolis ſocietatem, receptúmque lucis, ſit enim quaſi alter ſol minor, quam ob rem conducit ad omnes generationes, perfectionéſque, calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt.] Idem ſignificat de cæteris aſtris lib. 2. cœli text. 20. 21. lib. p. Meteororum. cap. 2. [Oportet mundum hunc inferiorem (inquit) contiguum eſſe ſupernis lationibus vt inde omnis eius virtus regatur.] & lib. p. de generat. animal. cap. 2. lib. 2. cap. 3. & lib. p. Meteoror. ſum. 1. cap. 4. Et ratio eſt in promptu, quia omne lumen aſtrorum naturæ ſimilis eſt cum luce ſolis, ab hac enim illud auctius fieri ſolet, & plenius. adde quòd caniculæ æſtuoſa vis notiſſima eſt, quare cùm ad eam propiùs ſol acceſſerit, furere dicitur & vrere. Cùm igitur calefaciant nonnihil ſtellæ omnes, poterunt & calefaciendo vapores aliquos extrahere, eorúmque obſtractione humorem, ſiccitatem & frigus generare: ea ratione qua paulò antè dicebamus.

CAPVT QVINTVM.

De arcanis cœli viribus.

POSSVNT ſtellæ non ſolùm lumine, & calore, ſed etiam viribus aliis quas influentes vocant, eſſe cauſæ per ſe humidorum, aridorum, frigidorum, & quidem arcanis Lunæ viribus fidem faciunt maris æſtus, achini, & conchylia, aliáque id genus plurima. Par eſſe iudicium de cæteris aſtris, ex eo planum fit, quòd ſole, & luna ſtatas vices ſuas ſeruantibus, non vnum ſemper elementa ſeruant ſtatum, nec vnquam ſunt æqualiter vel calidæ æſtates, vel hyemes frigidæ, vel autumni ſicci, vel humidum ver, vel ſalutares anni, vel menſes inſalubres, ſed magnæ fiunt quotannis ventorum, pluuiarum, niuium, nimborum, ſterilitatum, ſerenitatum varietates, quarum cauſas niſi ad ſtellas alias, quàm lunam & ſolem, variè habentes ſe, & inter ſe, & cum ſole, & luna, referamus, laborabit mundus cauſarum maxima inopia.

Huc accedit, quòd nonnunquam repentè, vel æſtate media niues & frigora graſſantur, vel media hyeme calores ingruunt non modici, vel quouis tempore

ſubita

ſubita grando,improuiſa tempeſtas, inopinati venti ſæuiunt,nubes extemplò nigreſcunt, ruunt imbres,inſtant frigora, & tamen ſolem & lunam cernimus in eo ſtatu, in quo aliàs vidimus,cùm nihil horum baccharetur è cœlo:ſtupidi aut peruicacis eſt ingenij, in tam repentinis aëris commutationibus, repentinam vim ſyderum non videre. [Præterea & muſculorum iecuſcula (inquit M. Tullius lib.2.de diuinatione) bruma dicuntur augeri, & pulegium aridum floreſcere ipſo brumali die, & inflatas rumpi veſiculas, & ſemina malorum, quæ in his mediis incluſa ſint, in contrarias partes ſe vertere, oſtreiſque & conchyliis omnibus contingere, vt cum luna creſcant pariter, paritérque decreſcant, arbóreſque vt hyemali tempore, cum luna ſimul ſeneſcentes, quia tunc exiccatæ ſint,tempeſtiuè cædi putentur. Quid de fretis, aut de marinis æſtibus plura dicam? quorum acceſſus,& receſſus lunæ motu gubernantur.]

Quod de pulegio ſcribit Tullius,ſcribit etiam Ariſt.ſect.20.proble.21. Porrò quòd nouilunio, plenilunio, quarta luna, tempeſtates commutari ſoleant, augeri morbi,turbari maria, concitari humores, excitari dolores, & morbi, non poteſt niſi occulta aliqua cœli vi contingere.

Quod tradit Ariſt. & lib.2. Meteor. ſum.2. cap.2. oriente Orione vſque ad Eteſias & Prodromos, quod contingit octaua die ante ortum canis, auctore Plinio lib.18.cap.20. tranquilla ſolere eſſe cuncta oriente canicula,calores vrgere, ad Hyadum exortum defluere vberiores imbres,& ſect. prima probl. 3. Syderum ortu flatus imbréſq; excitari, obſcuréne indicat arcanas cœli vires?

Porrò in altiſſimis ſub terra ſpecubus, ad quos nec lumen, nec calor ſolis, multò minùs aliorum ſyderum pertingit, pleraque gignuntur agente cœlo, quæ per facultates alias præter lumen à cœlo effici dubitauerit nemo.

Iam mare, cuius acceſſus & receſſus lunæ motu gubernari per quotidiana experimenta didicimus, quale tandem lumen concitare poteſt fluere illud oriente luna,idque quacumque diei vel noctis hora illa exoriatur,vbi ad ſummum cœlum luna peruenit,refluere,poſt occaſum rurſus excreſcere,vbi imum cœlum luna attigit, iterum recedere videmus. Atque ne quis rem tantam lumini tribueret,natura in nouiluniis,quando luna minùs abundat lumine,mare concitari vehementiùs, quàm in pleniluniis & in lunæ quartis, hoc eſt, ſeptima & vigeſima prima die lunæ nullum æſtum eſſe voluit.

Dicant qui huiuſmodi virtutes cœlo denegant, cur Hippocrates & Medicorum natio vniuerſa,per ſolſtitia,& vernum,atque autumnale æquinoctium, maximas dicat fieri morborum mutationes. An quia redundat lumen? nihil minus;an quia mediocri luce complentur vniuerſa? id non cadit in ſolſtitium æſtiuum; an quia minimum eſt luminis?ne id quidem de æſtiuo ſolſtitio dici poteſt;an quia his præſertim temporibus acriùs incitantur humores,ac prima illa initia,calor,frigus,humor,& ſiccitas, in quibus omnis corporis cõſtitutio conſiſtit?id verò eſt, quod in quæſtione ponimus, luminéne an alia ſecretiore vi hæc commoueantur? Sed audiamus Hippocratẽ ipſum in aureo illo libello, de aëre,aquis,& locis. [Maximè autẽ (inquit) obſeruare oportet magnas temporum mutationes,vt neque medicinas in illis niſi coacti, exhibeamus,neque vramus, neque ſecemus,priùs quàm prætereant dies decem, aut plures & non pauciores,periculoſiſſima ſunt etiam ambo ſolſtitia,maximè verò æſtiuũ; periculoſum etiam æquinoctium vtrumque,magis verò autumnale.Oportet autem & aſtrorum exortus conſiderare,præcipue Canis,deinde Arcturi,& Pleia-

dum

Digitized by Google

dum occaſum, morbi enim in his maximè diebus iudicantur, aliique perimunt, alij verò deſinunt, aut aliam in ſpeciem, aliúmque in ſtatum tranſmutantur.]

Denique cur abditas haſce vires cœlo negabimus? An quia ſimplex eſt corpus, corpori autem ſimplici multiplex virtus repugnat? at ſimplici corpori miſtio primarum qualitatum repugnat, non multitudo virtutum, nec perfectiſſimo corpori non congruit multiplex agendi modus. An quia non apparent, nec exercentur omnibus in locis, at præter effectricem vim opus eſt etiam idonea materia, quæ non vbique, nec ſemper præſtò eſt: quamobrem vinum exhilarat cor, non cerebrum, non pedes, non hepar: & Magnes trahit ferrum, non aurum, non argentum, non item res cæteras. An quia, vt aliqui ſensêre, ex cœleſti lumine fluit, non quiuis calor, ſed calor viuificus, qui præſtare poteſt quidquid occultis viribus tribuitur. Vnde Ariſt. lib. 2. de gener. animal. cap. 3. [Solis calor (inquit) & animalium non modò qui ſemine continetur, verùm etiam ſi quid excrementi ſit, quamquam diuerſum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Cæterùm calorem in animalibus contentum nec ignem eſſe, neque ab igne originem ducere, manifeſtum eſt.] Calor autem cœleſtis, & vitalis omnium qualitatum poteſtate præditus eſt, & cum cauſis aliis calefacit, frigefacit, cum aliis humectat, arefacitque cum aridis: at calorem cæleſtem eiuſdem eſſe naturæ cum elementali, exploratæ fidei eſt. Primò id Iacobus Zabarella lib. de calore cœleſti diſertè probauit. Deinde lumen ſolis ſpeculis, & phialis, & globis vitreis reflexum aut refractum in fomite excitat ignem, non alio ſanè calore quàm igneo. Auget inſuper calor igneus calorem vitalem & cœleſtem, quod non faceret, niſi communis vtrique eſſet natura. Aduerſatur frigus elementale æquè calori vitali, & cœleſti, ac igneo & elementali, at vni vnum ſolum eſt contrarium, auctore Ariſt. vnus igitur ſit calor vitalis, & igneus neceſſe eſt. Diſſidet autem non natura ſed ſiccitate adiuncta, vel alio accidenti. Omnis item calor calefacit, qua calor eſt, nec minùs naturaliter ac neceſſariò quàm durities obduret, mollities molliat, ſonent ſoni, ſapiant ſapores; vnde igitur calor, qua eſt calor, diſcrepet à calore, habet nihil. Nec illud prudenter ſatis dictum eſt, calorem cœleſtem cum frigidis frigefacere, cum humidis humectare, exſiccare cum ſiccis, nam ſolis lumen, cùm pluuialibus aquis campi innatant, interdum non humectat magis, ſed exſiccat, nec niues frigefacit, ſed calore ſoluit, & humidas res alias non ſolùm feruefacit, ſed etiam comburit, nonnunquam ad igneam porrò formam non niſi per elementalem calorem fit apta via, vt planum fiat quàm ignei, & cœleſtis caloris ratio communis ſit, & indifferens. Denique ſi ex vna cœleſtis caloris natura contendant plures qualitates fluere non pro conditione materiæ, ſed pro fœcunditate agentis, quid magis obſcurum audiuit philoſophia? quàm ex vna eadémque cauſa calorem manare, & frigus, humorem & ſiccitatem? [Contrariorum ait Ariſt. lib. 2. de gener. text. 56. & lib. 2. Phyſ. text. 30. eædem ſunt cauſæ ſed diuerſo modo ſe habentes.] Quod enim præſens eſt cauſa huius, hoc abſens facimus aliquando cauſam contrarij, idem verò vt idem ſemper natum eſt facere idem.

Libenter itaque condonamus Aſtrologis præter lumen & motum alias cœli vires, quas ſapientiſſimi viri in Peripatetico puluere exercitati obſtinatè pernegant, Auer. lib. 2. cœli, text. 42. & 45. Alex. Damaſcius apud Philoponum

num loco citato, Philalteus lib. 1. cœli, tex. 25. Pauiſius diſput. 4. Met. q. 9. & 10. Mirandulan. de ſingulari certamine, lib. 22. 23. & 24. Ioannes Picus Mirandul. lib. 3. contra Aſtrologos, c. 4. & 5. Plotinus Ennead. 2. lib. 3. per totum. Ægid. in 2. diſt. 14. q. 3. ar. 2. dub. 2. & 3. literali, aliique permulti.

Primò quidem Ariſt. lib. 2. Meteor. ſumm. 2. c. 2. quòd ad ortum Orionis vſque ad Eteſias, ac Prodromos tranquillitas generatim contingat, duas tradit cauſas, quarum neutra ad occultas cœli vires pertinet [Quapropter (inquit) in Orionis ortu maxima fit tranquillitas, vſque ad Eteſias, & Prodromos.] Vniuerſaliter autem fiunt tranquillitates propter duas cauſas, aut enim propter frigus, cùm extinguitur exhalatio, veluti cùm fuerit gelu forte, aut cùm marceſcit à ſuffocatione, plurimæ autem & intermediis temporibus, aut eo quod nondum facta ſit exhalatio, aut eo quod iam præteriit exhalatio & alia nondum aduenit. Idem ſect. 26. problem. 14. [Qua de cauſa (inquit) Orionis exortu dies maximè variantur, flatúſque importuni commouentur, an quoniam in mutatione varia maximè omnia ſunt, quæ non vno certóque tempore, motúque deſcribuntur. Atqui oritur Orion ineunte Autũno, occidit hyeme. Ergo quia non vno tempore conſtat, ſed alio incipit, alio ceſſat, flatus etiam inconſtantes eſſe neceſſe eſt, vtpote cùm ancipiti conditione proueniant, quos ſibi tempus vtrumque ſortitum eſt.]

Rurſus cur ortus & occaſus Orionis moleſtus eſſe ſoleat, idem Ariſt. ſcribit ibidem nulla facta mentione virium cœleſtium abditarum. [Infeſtus (inquit) & moleſtus Orion eſſe videtur, & occumbens & oriens, quia in tranſmutatione temporis accidit occaſus & ortus æſtate, aut hyeme, & propter magnitudinem aſtri dierum fit aliqua pluralitas, tranſmutationes autem omnium turbulentæ ſunt, propter indeterminationem.]

[Cur non meminit occultarum aſtrorum virium? quid erat facilius quàm hæc omnia Orionis occultæ virtuti aſcribere? quàm expeditum erat iter ad ignorantiæ aſylum, arcanas virtutes? Aut igitur ignorauit influentias, quas vocant, aut improbauit, & quæ circa Orionis ortum, & occaſum contingunt, magna ſapientia retulit, in temporũ commutationes, quando nimirum vel diuturno ſolis ardore exhalationibus aſſumptis, vel vehementi frigore ſuffocatis, nulla ſuppetit ventis materia.

Quid moleſtias, quas oriens & occidens Orion afferre ſolet? nónne in temporum commutationes, in quas huius aſtri ortus & occaſus incidit, refert potiùs, quàm in aſtrum ipſum?

Sed & de Eteſiis, & de ortu Canis, quid ibidem ſcribat idem Ariſt. videamus. [Eteſiæ autem flant (inquit) poſt verſiones & Canis ortum, neque tunc quando maximè propè fit ſol, neque quando longè, & diebus quidem flant, noctibus autem ceſſant.] Cauſa autem eſt, quia propè diem exiſtens præuenit exſiccans antequam fiat exhalatio, cùm autem abſceſſerit modicum, mediocris iam fit caliditas, adeò vt congelatæ aquæ liqueſcant: & terra exſiccata & à propria caliditate, & ab ea quæ ſolis eſt, quaſi ardeſcat, & exhalet, nocte autem deſinit, quia congelata liqueſcere deſinũt, propter frigiditatem noctium, exhalat autem neque quod congelatum eſt, neque quod nihil habet ſiccum, ſed cum habet ſiccum humiditatem, hoc calefactum exhalat. Dubitant autem quidam, propter quid Boreæ fiunt continui, quos vocamus Eteſias poſt æſtiuales verſiones, Auſtri autem ſic non fiunt poſt hyemales? Habet autem non irrationabiliter.

Digitized by Google

fiunt enim vocati Leuconoti, oppoſito tempore, non ſic autem fiunt continui. Quapropter latenter faciunt inquirere; cauſa autem eſt, quia Boreas quidem à locis, quæ ſub Vrſa ſtat, quæ plena aqua & niue ſunt multa, quibus liquefactis à ſole poſt æſtiuales verſiones, magis quàm in ipſis flant Eteſiæ, ſic enim & ſuffocationes fiunt, non cùm maximè adpropinquauerit ad Vrſam, ſed cùm calefecerit ampliori tempore, adhuc autem prope. Similiter autem & poſt hyemales verſiones flãt Ornithiæ, etenim hi Eteſiæ ſunt debiles, minores autem & tardiores Eteſiis flant, ſeptuageſimo enim die incipiunt flare, propterea quòd longè exiſtens ſol incaleſcit minus. Non continui autem ſimiliter flant, quia quæ in ſuperficie & debilia tunc ſegregantur, magis autem congelata ampliori indigent caliditate, quapropter interpolantes iſti flant, donec ſubuerſionibus iterum æſtiualibus flauerint Eteſiæ, quoniam vult quàm maximè continuè hinc ſemper flare ventus.]

[Idem ſect. 26. prob. 12.] [Cur Auſter (inquit) canicula oriente moueatur, idque lege naturæ certiſſimum fieri ſoleat? An propterea quòd regio inferior orbis ſole ſcilicet remoto, minùs calida eſt? itaque vapor inde largè emigrat, & multi profectò Auſtri ſpirarent, niſi anniuerſarij prohiberent.]

Iterum problem. 13. [An omnibus Auſtris tum orientibus, tum occidentibus aër ſoleat commutari, ſed Cane præcipuè? quod quidem flatibus latiſſimè conſtat, qui eius ortum & poſt ortum ſequuntur. Quod cùm æſtus tunc vigeat, ſpiritus calidiſſimos per idem tempus oriri congruum eſt. Auſter autem calidus eſt, & cùm ex contrariis in contrarium maximè commutari ſolitum ſit, ortúmque canis præuij nuncupati antecedant, qui Aquilones ſunt, meritò poſt eum Auſter ſpirat, quãdoquidem aſſignari neceſſe eſt, idque Auſtris fieri orientibus. Huic autem verbo, cùm aſſignari dicimus, ſubiecta notio eſt, aërem inſigniter commutari, & quidem mutari flatuum omnium genera, in ventos aduerſos, aut dextros ſolent; cùm Aquilo non tranſeat in latus dextrum, reliquum eſt vt in aduerſum, hoc eſt, in Auſtrum tranſeat. Quinetiam dies poſt brumam quintusdecimus Auſtrum præfefert, eò quòd bruma initium quoddam eſt, mouetúrque à ſole is potiſſimùm aër, qui brumæ vicinus eſt, ſolem autem tunc ad Auſtrum vergere certum eſt. Vt igitur cùm ort perreptat, flatus excitat, Subſolanus, ita cùm meridiem adit, Auſtros euocat, nec tamē ſtatim à bruma id facit, quoniam breuiſſimas tunc agit diſtantias, ſed quintodecimo, quia tempus id modicè ſe habeat ad primam diſceſſus ſenſionem, totum enim id tempus pars conſpicata eſt.]

Quàm ſilent apud Ariſt. cœli influentiæ, quàm frigent arcanæ aſtrorum vires, quàm nouitiæ ſunt huiuſmodi virtutes in philoſophia, in conuerſiones, commutationeſque temporum, in anni tempeſtates quæ acceſſu receſſuque ſolis conſtant, in lumen generale cœli inſtrumentum, quo omnis aſtrorum vis ad nos defertur, refert Ariſt. quæcumque ad ſyderum ortum vel occaſum contingunt, naturalémque omnium rationem haud paulò melius reddit, vel è proximis cauſis, vel è cœli conuerſione, quàm alij ex aſtrorum arcana vi, & poteſtate.

Deinde quòd Echini, & reliqua id generis in pleniluniis vberiùs impleantur, non refert in occultas lunæ vires Ariſt. vt faciunt recentiores aliqui, & leuioris nominis Philoſophi, ſed in calorem qui per plenilunia redundat. [Laborant (inquit lib. 4. de partibus anim. c. 5.) teſtata omnia per frigus, & æſtum,

atque

atque exuperantiam temporis,pati nequeunt,argumento eſt,quod Echinis euenit,habent enim id iam inde ab ortu naturæ,& pleniluniis vberiùs,& non quia per id tempus copioſiùs paſcuntur,vt quidam putant,ſed quod noctes tepidiores ſint propter lucem pleniorem , calorem enim deſiderant , quoniam frigori patent,vtpote quę ſanguine careant;ex quo fit,vt æſtate potiùs vbique vigeant, præterquam in Pirenſi Euripo, nam ibi non minùs tempore hyberno probantur,cuius rei cauſa eſt,quòd tunc vberiùs pabulētur, cùm piſces per idem tempus ea loca derelinquant.]

Ita incrementum & decrementũ conchyliorum à calore,calorem à maiori, & minori copia luminis repetit Ariſtoteles. quæ cauſa eſt , cur ligna cæſa luna creſcente faciliùs quàm quæ decreſcente cæduntur, putreſcant , vt rectè notauit Mirandulanus lib. 3. contra Aſtrologos, c.5. Etenim creſcente luna,minùs viget calor , maximéque abundant humores, qui putredini materiam, & cauſam exhibent,decreſcente luna , diuturno lumine tum ſolis, tum lunæ, & longiori tempore dominante calore reſoluti multi humores, & ligna fieri ſicciora neceſſe eſt, quæ deficiente humore diutiſſimè perdurare oportet : aptè enim Ariſtot.lib.4.de gener.anim.c.2. [Sol (inquit) per totum annum hyemem atque æſtatem facit,luna per menſem id agit, quod ita fit non acceſſu diſceſſúque lunæ, ſed alterum increſcente luce, alterum decreſcente,hinc per plenilunia,& nouilunia temporum commutationes frequentes , morborum incrementa , & decrementa, medicamentorúmque purgationes, vberiores, aut parciores, aliáque huiuſmodi,quæ ad ſtabiliendas influentias paſſim proferri ſolent.] Quod verò ſcribit Ariſtot.lib.4 de gener. animal. c.2. [tempus eſſe humidius & frigidius decreſcente luna] intelligo eſſe humidius quàm in plenilunio, non humidius quàm luna à ſole diſcedente.

Præterea omnes rerũ ſublunariũ mutationes, generationes , corruptiones, augmentationes , alterationes, primæ quatuor qualitates,calor,frigus, humor, ſiccitas,peragunt,omnes primas qualitates,lumine,& motu,cœlũ progignit,vt vidimus c.3. Alias itaq; ſecretiores virtutes,cœlo nequidquã affigimus,id quod planum fiet, ſi ea,quibus potiſſimùm freti, minuti Philoſophi nonnulli, huiuſmodi cœlo virtutes attribuerunt,lumine & motu fieri poſſe docuerimus.

Dies enim criticos , quorum mira vis eſt in morbis & morborum curatione,non pertinere ad lunam , vel aliud aſtrum, vt quidam nuperrimè commenti ſunt,docet Hieronymus Fracaſtorius libro de criſibus,c. 4. Ioannes Picus Mirandulanus lib. 3. contra Aſtrologos, cap.16.vel ex eo quòd ſeptimus,decimusquartus, vigeſimus, vel vigeſimusprimus dies à contracto morbo ſunt maximè critici , in quacumque tandem die lunæ, & in quodcumque aſtrum inciderint; non itaque à luna,nec ab aſtris dies huiuſmodi expectamus,ſed ex natura morbi, vel humorum, qui ſtatas habent vices; non ſecus ac febres ipſæ , & certum incrementi & decrementi tempus ex propriis & intrinſecis initiis,quemadmodum animantes,& plantæ,& fruges.

Quod quibuſdam locis aër inſalubris,in aliis maximè ſit ſalutaris,oritur,vt docet Hippocrat.lib.de aëre,aquis,& locis,ex putreſcẽtibus aquis,ex corruptis vaporibus intra terrę viſcera incluſis,ex deprauatis exhalationibus,ex aliis malè olentibus,quæ noxios ſpiritus exhalant,inficiúntque aërem,& regionem,aut prouinciam aliquam,quibus quæ carent loca ſalutaria cenſentur.

Nec peſtilentiæ alios habent ortus , quæ vbi aëri ipſi inſederint, longè laté-

que graſſantur, ſi corpora ſolùm occupauerint non inficiunt, niſi contactu & afflatu, huiuſmodi ſpiritus concitantur actione primarum qualitatum, provt in varias materias inciderint.

Neque ea quæ fiunt intra terræ viſcera deſiderant aſtrorum vires occultas, quamquam enim eò non pertingit lumen cœli, pertingit tamen calor lumine excitatus, per æſtatem præſertim, excaleſiunt enim partes terræ extimæ, quæ afficiunt intimas, in quibus procreantur metalla, & cætera huius generis. Faciunt ad rem, & ſpiritus calore excitati, & à contrario per antiperiſtaſim retroacti ad ima terræ viſcera, agendo enim, patiendoque fundunt multa naturæ opera ad vſum & ornatum mortalium. Quicumque pulegium agente cœlo aſſerit vtroque ſolſtitio floreſcere, docere debet cur cœli potiùs quàm ipſius pulegij arcana vi florere velit, contra philoſophiæ tabulas ab Ariſt. ſignatas ſect. 20. problem. 21.

Æſtus porrò maris res vna in vniuerſa philoſophia inenodabilis ſtellarum quoſcumque occultos, & latétes laqueos eludit, atque perrumpit. Nam eædem ſtellæ, eademque luna, ſupero & infero mari fulgent, Tyrrhenum non concipit æſtum, quem concipit Adriaticum mare. Extra Herculeas columnas ſecundùm littus Africæ, & meridiem verſus, ad inſulas vſque capitis viridis, quæ non longè abſunt à tropico Cancri, nullum mare patitur incrementum vel decrementum, vt videre eſt in hiſtoria rerum Indicarum, lib. 2. c. 10. Idem mare ab iiſdem columnis versùs Septentrionalem plagam magnos habet acceſſus, & receſſus, ſinus Mexicanus, & mare totum quod ad inſulam Hiſpaniolam, inſulam Cumbam, Ciuitatem nominis Dei latiſſimè patet, totúſque ille Oceanus Septentrionalis ab æſtu, vt ſcribunt Petrus Martyr, Gonzales de Ouiedo in ſummariis de rebus Indicis, quæ leges tom. 1. Hiſtoriæ rerum Indicarum, c. 2. immunis eſt & liber. Mare verò Sur, quod huic ex altera parte reſpondet, atque ita reſpódet vt interpoſito breuiſſimo tractu terræ, vix 20. millibus paſſuum ab eo diuidatur, æſtu vel agitantur vehementiſſimo, lib. 2. de hiſtoria rerum Indicarum, c. 10. Gonzales de Ouiedo & Petrus Martyr locis citatis. Id quod ſcribit Scaliger exercitatione 52. Franciſcus Vicomercatus lib. 2. Meteor. com. 4. Oceanum Gallicum, ad fauces Garumnæ fluminis, inter Aquitaniam, & Hiſpaniam ſeptem horis fluere, quinque refluere conſtat, non ſeruato lunæ ortu neque occaſu: Denique quod tradit Aloyſius Cadamuſtus, in ſuis nauigationibus quæ extant to. 1. rerum Indicarum, ad caput rubrum per 50. vel 60. millia paſſuum mare quatuor horis decreſcere, octo excreſcere, referri in lunam, & influétias non poteſt. Ad extremum illud etiam quæro cur luna non exagitat etiam mare Caſpium, lacus, fontes, aquas omnes? An dicturus es id euenire, quia maria ſolũ hæc virtus petit, ſicut magnes ferrum non alias aquas. at multi prætereà fontes æſtuare ſolent. nam Plin. lib. 2. natural. hiſtoriæ. c. 97. tradit in Gadibus ad columnas Herculeas fontem eſſe, qui interdum cum Oceano augeatur, & minuatur, interdum vtrumque contrariis temporibus præſtet; & in ripa Boëtis oppidum eſſe, cuius putei creſcente æſtu minuuntur, decreſcente exundant, multáque alia huius generis refert Georgius Agricola lib. 3. de iis quæ è terra effluunt, fermè initio: Andreas Baccius lib. 1. de thermis, c. 14. Alber. de proprietate elementorum, tract. 2. c. 5. Hier. Barrius dialogo de fluxu & refluxu maris.

Quid habet ratus & ſibi conſtans cœli motus, & natura, cum tanta æſtus inconſtantia, & varietate? cur è cœlo petimus cauſam æſtus marini potiùs, quàm

febris

febris & morborum omnium? O ignaua & iners ratio, quæ in difficilem quoties locum incidit, ad latētes confugit cœli virtutes, cur non audimus Strabonem lib. 1. Solinum lib. 1. c. 25. Stoicos apud Plutarchum lib. 3. de placitis Philoſophorum, c. 17. qui id totum in naturam maris referunt, [quemadmodum (inquit Seneca lib. 3 natur. quæſt. c. 16.) quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet: quemadmodum purgatio ſi nihil obſtitit, ſtatum diem ſeruat, quemadmodum præſtò eſt ad mēſem ſuum partus, ſic aquæ interualla habent, quibus ſe retrahant & quibus reddant.] Cur non audimus Alexandrum lib. 2. Meteororum, comm. 5. Ioannem Buridanum eodem loco, Andream Ciſalpinum lib. 3. quæſt. Peripateticarum, c. 5. Ludouicum Buccaferrum lib 2. Meteor. lect. 18. & 19. qui ex natura ſoli, cui mare incumbit, huius rei cauſas repetunt. [Sunt illic ſpecus vaſti (inquit Seneca, loco citato) ſunt ingentes receſſus, & ſuſpenſis hinc & inde montibus, laxa ſunt ſpatia, abrupti in infinitum hiatus, qui ſæpe illapſas vrbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidere. Hæc ſpiritu plena ſunt, qui nunc huc colliſi, nunc illuc repercuſſi mare exagitant.]

Si cœlum malumus tantæ rei auctorem facere, cur non audimus Auer. lib. 2. Meteor. c. 2. Vicomercatum ibidem com. 5. Paulum Venetum in ſumma Meteor. c. 12. Albert. lib. de cauſis & prop. element. tract. 2. c. 5. Contarenum lib. 2. de elemen. Hieronymum Burrium dialogo de fluxu & refluxu maris, Mirandulanum lib. 3. contra Aſtrologos, c. 15. Scaligerum exercit. 25. & 52. aliôſque permultos, qui lumine rarefactum mare à luna & cœlo redundare, & ebullire, ceſſante rarefactione, deferueſcere, & ſubſidere docuerunt.

Atque hæc quidem ambiguas & inconſtantes eſſe cœli latentes vires & influentias quibus Aſtrologia omnis nititur, planè cumulatéque concludunt. Nos verò, qui multò plura Aſtrologis vltrò dare ſolemus, quàm ipſi probare poſſint, libenter recipimus præter lumen, & motum, alias ſecretiores, & abditas cœli vires, ſed vt ſobriè iis vtantur rogamus. Quod ſi fecerint, Primùm quæ nondum definitè diſtinctéque norūt de ſtellarum viribus, pro certis & definitis non venditabunt. Deinde exploratam iam & perſpectam cœli actionem non extendent ad plura quàm eius natura, vel experimētum patiatur, qui eſt Aſtrologis omnibus familiaris error. Denique vires quas colligunt ex eo quòd luna in fretis, in conchyliis, in arboribus, cerlis, in herbis, in hominibus morbo affectis, facere ſolet, non tribuent ſolis natalitiis aſtris, ſed fatebuntur omnia aſtra in hæc inferiora agere non minùs quàm quæ ortui aut conceptui præeſſe dicuntur.

CAPVT SEXTVM.

Motum cœli non pertinere ad hæc vſque infima, &c.

ASTROLOGI non modò lumine, aliiſque viribus arcanis, ſed etiam motu in his inferioribus cœlum efficere multa contendunt, alterare aiunt aëris proximi partes, eúmque calefacere plus quàm natura ferat, trudere præterea ignis vicini partes deorſum, quibus æſtum fieri maximum apud nos, & non paucas ſummo aëre exhalationes accendi, in cometas, in ſtellas

crinitas, & barbatas,in alia ſpectra, quæ non rarò è cœlo terrent mortales. Hæc ille.

Animaduerti hæc eadē placere Peripateticis nonnullis propter duo Ariſtot. loca difficultatis pleniſſima, quæ verbatim hîc deſcribimus lib.2.cœli, tex.42. [Calor autem ab ipſis (loquitur de aſtris) & lumen generatur attrito aëre ab illorum latione,nam natura aptus eſt motus ignire ligna, & lapides & ferrum; rationabilius igitur eſt id, quod eſt igni propinquius, propinquior autem eſt aër, veluti & in iis quæ feruntur ſagittis,hæ.n.& ipſæ ſic igniuntur,vt plumbei mucrones colliqueſcant, & quoniam hæ igniuntur, neceſſe eſt & eum, qui in circuitu ipſarum eſt,aërem hoc idem pati.]

Rurſus lib.1.Meteor.ſumm.1.c.4.extremo. [De facta autem caliditate (inquit) quam exhibet ſol magis quidem ſecundùm ſe, & diligenter in iis, quæ de ſenſu conuenit dicere.Calidum enim paſſio quædā ſenſus eſt.Propter quam autem cauſam fit non talibus exiſtentibus illis ſecundùm naturam dicendum eſt nunc.Videmus itaque motum,quod poteſt diſgregare aërem & ignire, vt & quæ feruntur liquefieri videantur ſæpe. Vt igitur fiat tepor & calor, ſufficiens eſt efficere etiam ſolis latio tantùm,velocem.n.oportet,& non longè eſſe.Quæ igitur aſtrorum eſt,velox quidem,longè autem: quæ autem lunæ,deorſum quidem, tarda autem: quæ autem ſolis,ambo hæc habet ſufficienter. Fieri autem magis ſimul cum ſole ipſo caliditatem, rationabile eſt, ſumentes ſimile ex iis, quæ apud nos fiunt.etenim hic eorum quæ violentia feruntur, vicinus aër maximè fit calidus: & hoc rationabiliter accidit, maximè.n.motus ſolidi diſgregat ipſum,& propter hanc igitur cauſam pertingit ad hunc locum caliditas, & quia ambiens ignis aërem ſpargitur motu frequenter, & fertur violentia deorſum.]

Quæ Philoſophi loca multiplices habent explicatus,quos leges apud Alex. lib.1.Meteor.comm.16.& 17.Auer.S. Thom.Simplicium,Auguſtinum,Hiſpanum,Philactum lib.2.cœli,tex.42.Philoponum,Olympiodorum, Vicomercatum,Caiet.Vicnenſem lib. 1.Meteor.ſumm. 1.c.4.Albertum lib.1.cœli,tract.5. cap.2.& lib.1.Meteor.tract.1.c.10.11.13.Trimonem ibidem q.7.Flaminium de Nobilibus,lib.1.de gener.c.6. Iacobū Zabarellam libro de calore cœleſti,à c.1. vſque ad 10.& lib.de regionibus aëris;commodior Ariſto.explanatio,& quæ ad veritatem accedat propiùs mihi videtur pendere ex iis,quæ ſubiiciam.

Principiò igitur cœli motu deferri ad nos aſtrorum efficientiam,in confeſſo eſt,id tradit Ariſtot.lib.2.de generat.t.56.lib.2.cœli, t.20. id docet quotidianus vſus & experimentum.

Deinde fatemur exhalationes ſupremo aëre degentes vnà cum elementali igne, & aëre à cœlo circumferri, immò & atteri,& ad ignis formam præparari illius regionis æſtu & agitatione cœleſti.

Detrudi præterea aliquas exhalationes inferiùs dum circumducuntur à cœlo,& aëri alliſæ atteruntur,probabile ducimus,iaculari etiam fulmina,alióſque ignes è nubibus expreſſos,libenter recipimus.

Adhæc motu cœli ignis aëriſque calorem foueri ac conſeruari, eâquē de cauſa non incongruè dici motu cœli aërem & ignem calefieri, vltrò damus.

Poſtremò motum diurnum,quamuis nō ſit ſolis proprius,ſed octauæ Sphæræ,cùm tamen in ſole maximè ſplendeſcat,qui ſuo ortu,& occaſu dies, noctéſque

que deſignat, iure merito ſoli potiùs quàm vlli aliorum aſtrorum tribui non inficiamur.

Atque hæc omnino Ariſt. tradere locis citatis longè veriſimilius fit, quàm in abſonas & imperitiſſimas ſententias deſcendiſſe de attritu, & iaculatione ignis ad terras vſque;illa porrò verba libri primi Meteoro.[Propter hanc igitur cauſam pertingit ad hunc locum caliditas] ad locum, de quo erat ſermo, hoc eſt,ad ſummum aërem referenda ſunt: non ad hunc locum in quo degimus.

Maneat igitur, cœli motum vſque ad ſupremum aërem pertingere, non inferius, ibíque exhalationes aliquas excalefacere non aërem, neque ignem corpora natura ſua calidiſſima, auctore Ariſtotele lib. 2. de gener.à tex.16.ad 24. ídque voluiſſe ſolum Ariſtotelem, qui ait motu Solis atteri aërem & caleſcere, loquitur.n.de ſupremo aëre,in quo cometæ, aliáque id genus fiunt, non de noſtrate ad quem motus Solis neutiquam pertingit.

CAPVT SEPTIMVM.

Non omnia, quæ cœlo continentur, ita à cœlo pendere, vt eo non agente, nihil agere poſſint.

PHiloſophorum & Theologorum nonnulli ita omnia, quę cœlo ſubſunt, à cœlo pendere arbitrati ſunt, vt eo non agente nihil cæterorum aut agere, aut pati, aut mouere, aut moueri, aut à contrariis diſſolui, aut à propriis cauſis generari poſſit. Ita Soncinas libro 12. Metaphyſices,q.13. Dominicus de Ilandria lib.8. Met.q.1.a.1. Dominicus à Soto, lib.2.Phyſicorum,q.4. concluſ.1. & lib. 2. ſent. d. 48.q.2.a.2.Chryſoſtomus Iauellus lib.12.Met.q.13. Iandunus lib.1.cœli,q.1.lib.12.Met.q.13.Pauiſius diſput. 4. Met.c.9. & 10. Gaſpar Contarenus lib.2.de elementis, qui ſicut lumen à ſole,ita res omnes ſublunares à cælo perpetuò conſeruari, eóque ſublato ne momento quidem temporis cæterorum quidquam permanſurum docet. Ioannes Bauonius in 2. diſt. 15. q.1.ar.4.Ægidius in 2.d.14.q.3.dub.2.literali, Ferrarienſis 4.contra gentes,c.97. §.aduertendum tertiò. Dominicus Bagnes 1.parte q.66.a.3.dub.2.Medina & Corradus 12.q.109.ar.1.Capreolus in 2.d.14.q.1.ar.2.concluſ.2.a.3. extremo. Claudat agmen S.Thomas 1.2.q.109.ar.1.in c.[quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non tamen alteraret, niſi per motionem corporis cœleſtis.]

Idem q.5. de potentia Dei, a. 8. in c. [Elementa (inquit) agunt in virtute corporum cœleſtium,& corpora cœleſtia agunt in virtute ſubſtantiarum ſeparatarum, vnde ceſſante actione ſubſtantiæ ſeparatæ, oportet, quòd ceſſet actio corporis elementaris, ſed ſciendum quòd corpus habet duplicem actionem, vnam quidem ſecundùm proprietatem corporis, vt ſcilicet agat per motum, (hoc enim proprium eſt corporis vt motum moueat & agat) aliam autem actionem habet ſecundùm quod attingit ad ordinem ſubſtantiarum ſeparatarum, vt participat aliquid de modo ipſarum: ſicut naturæ inferiores conſueuerunt aliquid participare de proprietate naturæ ſuperioris, vt apparet in quibuſdam animalibus, quæ participant aliquam ſimilitudinem prudentiæ, quæ

propria

proprià eſt hominum. Hæc autem eſt actio corporis, quæ non eſt ad tranſmutationem materiæ, ſed ad quamdam diffuſionem, ſimilitudinis fermè in medio, ſecundum ſimilitudinem ſpiritualis intentionis, quæ recipitur de re in ſenſu, vel intellectu, & hoc modo ſol illuminat aërem, & color ſpeciem ſuam, multiplicat in medio. Vterque autem modus actionis in iſtis inferioribus cauſatur ex corporibus cœleſtibus, nam & ignis ſuo calore tranſmutat materiam ex virtute corporis cœleſtis, & corpora viſibilia multiplicant ſuas ſpecies in medio virtute luminis, cuius fons eſt in cœleſti corpore, vnde ſi actio vtraque corporis cœleſtis ceſſaret, nulla actio in iſtis inferioribus remaneret, ſed ceſſante motu cœli, ceſſabit prima actio, non ſecunda, & ideo ceſſante motu cœli, erit quidem actio in iſtis inferioribus, illuminationis & immutationis medij à ſenſibilibus, non autem erit actio, per quam tranſmutatur materia quam ſequitur generatio & corruptio.] Hæc S. Doctor.

Rurſus quodlib. 6. q. 4. ar. 19. [Ideo (inquit) primum cœlum, ſcilicet empyreum, ſingulariter per ſuam quietem influit, hoc autem eſt ptoprium huic corpori quòd influat abſque motu, inquantum eſt ſupremum, attingens quodammodo ordinem ſubſtantiarum ſpiritualium] pro vt Dion dicit 2. de diuinis nominibus, quod diuina ſapientia coniungit principia ſecundorum finibus primorum. Audiunt hanc inferiorum, ſuperiorúmque cauſarum colligationem naturalem libentibus & gaudentibus animis Genethliaci, cùm. n. ad affectionem vnius cuiuſque, tantorum virorum ſententia, cum proximis cauſis aſtra & cœlum venire neceſſariò dicuntur, ita vt ceſſante cœlo proximæ cauſæ efficiant nihil; perbelle Aſtrologiæ fundamenta iaci exiſtimant, quæ ex conſtitutione cœli, ſtellarúmque configuratione quidquid futurum vmquam ſit, longè ante & præſentiri, & prædici poſſe profitetur.

Cæterùm nihil eſt, cur magno huic Philoſophiæ loco Genethliaci confidant, cauſas enim ſublunares ab æternis, & cœleſtibus pendere, bifariam intelligi poteſt; vno quidem modo ſecundùm ea, quæ mundo elementari communia ſunt vniuerſim, & ſic omnes inferiores cauſæ aptè à ſuperioribus, & cœleſtibus ducuntur.

Duobus .n. modis intelligi poteſt quod Auctores citati aiunt. Primum ita hæc inferiora à ſuperioribus pendere, vt hæc ſine illis diu perdurare non poſſint, quod veriſſimè dicitur. Nam ſi quieſceret cœlum, hemiſphærij, in quo ſol conſiſteret, ſine dubio æſtuaret, breuique omnia occuparet ignis, alterum verò nimio frigore, & ipſum diſſolueretur. Propterea ſapienter Ariſtot. libro primo Meteororum, cap. 2. ſcribit [à ſuperioribus lationibus omnem huius mundi virtutem gubernari.] hoc eſt, ordinatè conſeruari & diſponi. & lib. 8. Phyſ. c. 52. & aliis. Iterum lib. 2. cœli, tex. 2 0. euidentiſſimis rationibus euincit, neceſſitatem alicuius principij ſempiterni vnde pendeant, quæ nunc mouentur, nunc quieſcunt, ordo namque in ſtatis vicibus, & motus, & quietis, & generationis, & corruptionis, ferè cœlitus adminiſtratur, nec poſſet ita rerum viciſſitudo, quam videmus perſtare, niſi Solis, qui aſtrorū obtinet principatum, tum acceſſus modici, tum receſſus, & frigoris, & caloris modum temperaret.

[Quoniam autem (inquit Ariſtoteles lib. 2. de generat. tex. 56.) ſuppoſitum eſt & demonſtratum, continuam eſſe rebus generationem, & corruptionem, dicimus autem lationem cauſam eſſe generationis, manifeſtum eſt, quod vna exiſtente latione non contingit fieri ambo, quia contraria ſunt, idem enim, & ſimiliter

militer ſe habens ſemper idem natum eſt facere. Quocirca generatio erit ſemper, aut corruptio: oportet autem multos eſſe, & contrarios motus, aut latione, aut inæqualitate, contrariorum enim contrariæ ſunt cauſæ; ideóque non prima latio cauſa generationis, & corruptionis eſt, ſed quæ ſecundùm obliquum circulum, in hac enim & continuũ vnum eſt, & moueri duobus motibus, neceſſe enim ſi erit ſemper continua, generatio, & corruptio, ſemper aliquid moueri, vt non deficiant ipſæ tranſmutationes, duobus autem, vt non ſolùm contingat alterum.]

Infra textu 58. [Apparent autem (inquit) ſecundùm ſenſum confeſſa, his quæ à nobis dicta ſunt. Videmus enim quòd adueniente quidem ſole generatio eſt, recedente autem corruptio, & in æquali tempore vtrumque, æquale enim tempus generationis & corruptionis, quæ ſecundùm naturam, ſed contingit ſæpe in minori corrumpi, propter ad inuicem confuſionem. Inæquali enim exiſtente materia, & non vbique eadem, neceſſe eſt generationes inæquales eſſe, & has quidem celeriores, illas autem tardiores. Quocirca accidit propter horum generationem, aliis fieri corruptionem, ſemper verò, vt dictum eſt, continua erit generatio, & corruptio, & nunquam deficiet propter eam quam diximus cauſam.]

Deinde anni tempora, rerúmque vices non fierent ſine definito quodam curſu, recurſúque Solis, vt idem notauit locis citatis. Vnde Marcus Tullius lib. 2. de natura Deorum, [Sol (inquit) inflectens curſum tum ad Septemtrionem, tum ad Meridiem, æſtates & hyemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti adiunctum eſt, alterum æſtati, ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium, quæ terra, marique gignuntur initia, cauſæque ducuntur. Hæc itaque ſapientes viri aiunt, quando aiunt à ſuperioribus cauſis gubernari inferiores, ſublunares cauſas ita à cœli efficientia pendere, vt eo ceſſante cæterorum nihil agere poſſit.]

Adhæc quia rebus animatis generatim magna vi caloris opus eſt, vt generentur, ideo dixit ille lib. 2. Phyſ. text. 26. Sol & homo generant hominem, calor autem bona parte à cœlo proficiſcitur, ideo nonnihil auctores citati procreationem animantium cœlo tribuerunt. Sed hoc quid ad Aſtrologiam? quæ omnia ex aſtris deducit?

Tandem pleraque ſunt in arboribus, in ſegetibus, in herbis, in fodinis, in aquis, in meteoris, in aliis, quæ certam cœli temperiem poſtulant, nec fiunt niſi certo anni tempore, & quibuſdam dominantibus aſtris; propterea cœlum in ordinem generalium cauſarum referre potuerunt ſummi viri, nec propterea cœli efficientiam rebus omnibus ſine idonea ratione, vt Genethliaci, temere admiſcent.

Altero modo intelligi poteſt ceſſante cœlo cæteras cauſas efficere nihil, hoc eſt, ſublata cœli conuerſione, vel actione, nihil omnino, quod ſub cœlo ſit, poſſe vel breui tẽpore ſubſiſtere; vel aliquid operis efficere. Id Cardanus, id Bellatius, id cæteri clamant Aſtronomi. Incerta ſanè res, & dubia non parũ.

Primò quidem id non probatur S. Thomæ, quem ſuæ ſententiæ patronum adſciſcunt opuſculo 10. art. 8. quæſt. 5. de potentia à 10. ad 8. quodl. 6. quæſt. 8. art. 19. non Scoto in 2. diſt. 14. quæſt. 3. extrema, non Ricardo ibidem art. 2. quæſt. 6. non Durando, in 2. diſt. 14. part. 2. q. 3. num. 11. non Henrico quodl. 11. quæſt. 15. quodl. 14. quæſt. 1. non Gulielmo Ochamo in 2. quæſt. 23. 5. quátùm

ad generatam per putrefactionem; non Gabrieli in 2.diſt.14.quæſt. vnica.dub. vlt. non Heruæo quæſt. 5. de natura cœli, ad 5. ad 7. ad 12. ad 14. ad 25. non Alexandro Aphrodiſeo, ſi malunt in philoſophorum foro cauſam agere, quam in Theologorum lib. 3. naturalium quæſtionum, cap. 4. apud Simplicium, lib. 2. cœli, text. 13. Simplicio ipſi eodem loco, & text. 20. non Philopono aut Buccaferro lib. 2. de generatione, text. 56. non Achillino lib. 4. de orbibus, dubio vlt. non Philalteo lib. 1. cœli, text. 27. non Mirandulano lib. 22. 23. & 24. de euerſione ſingularis certaminis, non Scaligero exercitatione 52. non aliis innumeris.

Deinde quis dicat lapidem, vt ſit vel ad ſemihorulam, egere cœlo? nónne ab elementis quibus conſtat, conſeruari poſſet tantiſper? num omnia ita à cauſis extrinſecis pendent, ſicut lumen à ſole? Nónne filius ſuperſtes ſæpe eſt patri? num non perſeuerat lapis ſublatis etiam cauſis, quibus procreatus fuit, ac ſi ſine cœlo eſſe poteſt aliquo tēpore, cur non & ad centrum tendere, ſine cœlo? non enim indigentior eſt naturalis actio, quàm ſubſiſtere naturaliter cum ſuis facultatibus integris: dicéſne ingenti fragore ruentem è ſublimi lapidem ſubſiſtere repente medio aëre? ſi in nihilum redigeretur cœlum? Multiplex eſt cœlum, quo potiſſimùm ſublato dices ſubſiſtere lapidem?

Præterea humectandi vis ineſt aquæ per ſe, & ex naturæ principiis. negas? id docet Ariſtoteles lib. 2. de generatione, text. 23. id euincit experientia. Si veſtis ad eam quantum oportet admoueatur, quid opus eſt cœlo vt madefiat? nónne par humiditas eſt, quæ in aqua, ex aquæ natura, non à cœlo procedit, & quæ in veſtem debet immitti? cur igitur humor veſtis à cœlo, aquæ non item dependet?

Age verò nónne cauſa quælibet per ſe præſtare poteſt effectum, quem in ſe continet? nónne continet id omne quod eius perfectionem non excedit? calor porro ligni ſuperátne calorem ignis? cur igitur tali cauſæ tales effectus ex æquo non reſpondet? ſed poſtulat præterea actionem cœli? ergo nec ſtipulam incenſa fornax, niſi cœlo concurrente combureet? talia iactant Aſtronomi, & ſi non credimus indignantur; indignentur licèt, à nullo impetrabunt fidem.

Libenter ſciſcitarer ex iis qui omnium rerum cauſas è cœlo deducunt, an id omne rei cuiuſlibet cauſam dicant, quod ſimul cum illa in hac rerum vniuerſitate exiſtit, an id ſolum, quod efficit rem cuius eſt cauſa? Si rebus omnibus quæ ſunt, faciunt nomen cauſæ commune, quis eos ferat? Si autem non quodcumque eſt cauſa, ſed id ſolum, quod ſua vi rem efficit, cuius eſt cauſa, videndum etiam atque etiam an cœli virtute res omnes ſint. Ratio porro effectus aperit ſine dubio ſuam cauſam. Dicimus lucem effici à ſole, propterea quòd recedente ſole lux perit; accedente ſole, coruſcat. Id itaque efficienter rem antecedit, quo ſublato, res vel non ſtat, vel non fit: quo debilitato imminuitur effectus, quo alio, & alio modo ſe habente, aliter, & aliter res fit. At quoquo modo ſe cœlum habeat, in terris multa fiunt, vno ſemper & pari modo, ſub quacumque cœli conſtitutione, quæcumque fulgeant aſtra, vbicumque ſol exiſtat: ignis ſemper exurit, aqua madefacit, lapis è ſublimi deſcendit, vulnus interficit: non pertinent igitur hæc ad cœli efficientiam, ſed ad proximas rerum cauſas, & cum exitu coniunctas.

Poſtremò conuenimus pridem cum Genethliacis, nihil è cœlo requirendum eſſe eorum quæ cauſæ proximæ per ſe præſtare poſſunt, exigo nunc conuentionis

uentionis fidem: aridæ ſtipulæ imponantur igni magno: cur earum exuſtio cœleſtem opem deſiderat? An quia ordinis optimi ratio poſcit, vt inferiora ſuperioribus ſubdantur? verum id quidem, quoad partes vniuerſi, quoad elementa generatim, quod paulò ſuprà docuimus; particulatim fallit, nam aqua vt madefaciat, operam non poſtulat ignis elementaris, quamuis excellior ſit, neque hominis, quamuis ſit præſtantior.

An quia præcipuum in vnoquoque genere, quale eſt cœlum in ordine reliquorum corporum, cauſa eſt cæterorum? At Ariſtot. lib. 2. Met. text. 4. docuit, quòd in vnoquoque genere cauſa ſit reliquorum, id eſſe omnium in eo genere maximum. non item hæc viciſſim reciprocari, & aurum metallis præſtat omnibus, eorum verò cauſa nequaquam eſt.

An quia circularis motus cæteris prior eſt, auctore Ariſtotele lib. 8. Phyſic. text. 75. ſemoto priori nihil, quod poſterius ſit permanere poteſt? Nihil certè ordinatè, & vt oportet, nihil diu, & longo tempore, quomodo id intelligunt Auctores citati, & nos ſuprà explicauimus, id ſolùm conficit ratio, qua Ariſtoteles docet, motum circularem eſſe primum motuum.

An quia ſol in mundo eſt id quod in animante cor, ſine quo nihil fit actionis? nonnulla quidem, ſed non omnis eſt cordis, & ſolis ſimilitudo, eſt enim cor fons præcipuus caloris, qui ad cerebrum dimanat: ſol fons luminis, & magna ex parte caloris, non tamen omnis: ignis enim calefacit etiam abſente ſole: non igitur à ſole eſt omnis facultas agendi, ſed permulta, ſicut nec omnis motus eſt à corde, quod teſtatur S. Thomas quæſt. 5. de potentia à 10. ad 8. Cur igitur à ſole petimus omnes affectiones? proprium eſt Dei optimi maximi adeſſe omnibus rebus, & cunctis cauſis opitulari.

An quia duo ſunt cauſarum genera: aliæ perfectæ & principales, aliæ adiuuantes & proximæ, cuiuſmodi ſunt omnes ſublunares, & noſtrates, quæ ſine principalibus facere poſſunt nihil? cur obſecro calor caloris, equus equi, non dicitur cauſa perfecta & principalis? an vnus calor non eamdem naturam habet ac alius? quid requiris aliud ad cauſam perfectam, quàm vt ſit eiuſdem naturæ cum eo quod efficit? cur cœlo tribuis omnes perfectæ cauſæ numeros? cur negas calori quando calores progignit?

Quare cùm nullam afferant, nec afferre poſſint idoneam rationem, cur in cuiuſcumque operis communionem cœlum ſit accerſendum? nihil incertum magis, quàm cauſas inferiores nihil efficere non concurrente cœlo, eo ſenſu quem volunt Aſtronomi.

CAPVT OCTAVVM.

De elementorum conſeruatione.

PROBAT Bellaritius quæſtione ſecunda, articulo primo, elementa omnia ſubiici cœleſtibus corporibus; damus id quidem libenter, ſed illud manifeſtum non eſt, quod ſubdit, cùm elementa contrariis viribus inſtructa inter ſe perpetuò pugnent, niſi agente cœlo continerentur in

officio, fore vt mutuo ſe perderent, & ex quorumdam generatione aliorúmve corruptione nimirum procedente, vniuerſum interiret.

Id fortaſſe locum habet in iis quæ contrariis conſtant, [deſiderant enim, quod Ariſtoteles vidit libro 2. de Anima, text. 38. aliquid, à quo contineantur prohibeantúrque, ne ad interitum vſque pugnent, & deſæuiant; at elementa, quæ certis detinentur interuallis, quæ magna quadam mole conſiſtunt, quæ mira ſibi proportione reſpondent, quæ ſuas operandi, reſiſtendíque æquales vires obtinent, quæ generationis & corruptionis ſtatas vices habent, non egét aliquo extrinſeco à quo conſeruentur, tueri ſe ſuis viribus poſſunt abundè; non enim pugnant, niſi in confinio, vbi magnæ non ſunt timendæ corruptiones, paruæ autem & quaſi ſubitæ excurſiones in alienas regiones, ne longiùs ſerpant, integrum elementum obſtat, frangitque contrarij irruptiones mole ſua, naturali vi, & facultate debilitantur: præterea contrarij vires, quò longiùs à ſuo principio recedunt.]

Quin etiam ita elementa diſpoſita ſunt, vt vnumquodque cognatum & affine ſit ei, cui eſt confine, altera enim ſemper qualitate ei coniungitur, magnáque raritatis & denſitatis proportione: vbi porro vna eſt contrarietas, in certa raritate & denſitate magna eſt agendi & patiendi æqualitas & proportio. Non conſtat igitur cur elementa nequeant ſe tueri à contrario ſine cœli præſidio, cùm exæquatis omnium iuribus cur vnum alterum extinguat cauſæ ſit nihil.

CAPVT NONVM.

Materiam non præparari ad formas à cœlo ſolo.

PLACET Genethliacis à cœlo præparari omnem materiam ad formas ſuſcipiendas, idque cœlum efficere vel per ſe ſolùm, vel vtendo ad id aliis cauſis vt inſtrumentis. Vtrumque nobis diſplicet, & diſplicere oportet omni Philoſophorum Senatui.

Atque vt à priori membro faciamus initium, omnis generatio naturalis, vel eſt perfectorum, vt hominis, equi, ficus, braſſices; vel imperfectorum, ſeu ſponte naſcentium, vt vermium, pulicum, &c. Vt priùs agamus de perfectis, in eorum procreatione non tantùm à cœlo aio materiam inſtrui ad formam, ſed etiam à cauſis proximis, & vniuocis: completa enim diſpoſitione, nouam oportet introduci formam, priore depulſa, non enim manere poteſt prior peracta diſpoſitione contraria, nec materia omni forma carere: ſupereſt igitur vt noua inducatur, at à ſolo cœlo non inducitur forma perfectorum, & quis vidit vnquam procreari equum ſine equo & equa? aut bouem ſine boue? aut leonem ſine leone? quid ad hæc Aſtrologi enarrabunt? ne Aium haruſpicinæ auctorem in Hetruria? proferent Deucaleoneos lapides ex fabulis? dignum patella operculum.

Sed ne præcipuè quidem materia præparatur à cœlo, quod oſtendi poteſt hoc ferè modo; licet efficientia cœli quolibet tempore vniuſmodi non ſit: conſtat enim ex multorum ſyderum viribus non parum diſſimilibus, vno

tamen

tamen eodémque loco vniuſmodi eſt & ſibi ſimilis. Vnde igitur adfertur diuerſitas in eodem loco? tritici, lolij, auenæ, vitis, vlmi, oleæ, mali perſici, & nucis.

Vnde in eâdem materia diuerſæ partes, os, caro, neruus: vena, arteria, nulli tendones? non niſi ex proximis & contiguis cauſis; ab his itaque, tanquam à potentioribus, præcipuiſque adornatur materia. Quod ipſum & alia ratione efficitur; materia ſiquidem non momento, ſed aliquo temporis interuallo præparatur ad formas; quandiu fouendum eſt Gallinæ ouum? priuſquam includat pullum? quot dies ſemina delitefcunt, antequam germinare incipiant? Omne quod mouetur, tempore aliquo mouetur, auctore Ariſtotele 6. Phyſicorum, text. 37. nec formam, quæ habet contrarium, induci in inſtanti docuit idem libro 8. Phyſicorum; at toto aliquo tempore non vna eſt ſtellarum configuratio, nec vna cœli vis, & efficientia; quo itaque modo aſtra proſequuntur inchoatum materiæ ornatum? aut qua ratione non diſſoluitur à ſequenti, & contraria conſtitutione ſyderum, quidquid priori horoſcopo inchoatum fuerat: vt prorſus nihil videatur cœlum materiæ ſuppeditare quo ad formas ſuſcipiendas præparetur, ſed à ſublunaribus cauſis omnia illi præſtari quæ ad inducendas nouas formas ſunt neceſſaria.

Dabo & alteram rationem Aſtrologis ſoluendam ex iis, quæ per idem tempus & locum conſueuerunt progigni: ſicut homines, equi, columbæ, canes, agni, ſues, braſſicæ, ficus, vites, frumenta, legumina, fraga. Quid iis magis diuerſum? quantò maior cum iis vel omnibus vel nonnullis diſſimilitudo naturæ, quàm cognatio? Non enim quantùm ab equo differt triticum, tantùm cum equo conuenit, ſed longè magis differt quàm congruat. hæc diſcrepantia cùm non à materia nuda, quæ vna eſt omnium ſublunarium rerum proficiſcatur, nec cœlo tribui poſſit, cùm eodem tempore & ſub eodem aſtro, eádemque hora vtrumque ortû ponamus; à proximis equi & tritici cauſis naſcatur oportet. Deponenda igitur neceſſariò eſt Aſtronomorum ſententia, in præparatione materiæ præcipuas partes agere cœlum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Id quod magis adhuc conſpicuum fiet ex Solis actione, quam eſſe omnium aſtrorum validiſſimam docet Ptolemeus libro primo capit. 4. in æſtate præſertim, at quam plurima naſcuntur intra eandem regionem, eundémque locum, ſub idem tempus perfectorum genera diſſimillima, in quibus plus valent reliquæ cauſæ ad diſſimilitudinem, quàm Solis vis maxima ad ſimilitudinem; Cedant igitur aſtra proximis cauſis, & viribus impares cedant valentioribus.

Accedat his ratio manifeſta, quæ neminem patiatur hoc loco errare. Perfectorum generatio fit, aut ex ſemine, aut ex ſurculo ſatiuo vel inſito, ſemini ferè tota temperies & virtus inſita eſt ab iis, à quibus funditur; eſt enim quid à viuente deciſum, & tale, quale id, vnde deciſum eſt. Quod multò magis quadrat in ſurculum, qui pars viuens & viuentis eſt, quo exciditur, trahit autem alimenta ſurculus. Idem de ſemine iudicium eſt, in ſuum temperamentum, quod ab arbore vnde deciſum fuit, deſumpſit alimentum, inquit Ariſtoteles lib. 2. de Anima, text. 45. patitur aliquid ab eo quod alitur, ſed non hoc ab alimento, ſicut neque faber à materia, ſed ab illo hæc. Superat ergo natiua vis aduentitiam & cœleſtem, ſecus ſi fiat, areſcit ſurculus, aut putreſcit.

Hactenus de perfectis. Quid de imperfectis? animalculis, herbulis, lapidibus, metallis, fruticibus, quæ ab vniuocis cauſis non proueniunt, & natiua

potiùs quàm ſatiua ſunt, de quibus Ariſtoteles lib. 2. de generat. animalium cap. 1? Idem fermè iudicium eſt, quod de perfectis; nam & in iis plerumque plus differentiæ quàm affinitatis eſt: generantur tamen per idem tempus, eodem loco, eodémque præſide aſtro, vt euidens ſit eorum diuerſam procreationem, & naturam non poſſe in cœlum & ſydera reuocari.

Quin terra etiam, quam locis quibuſdam totam ſaxeam, aliis argenteam, aliis ferream, vel aromaticam cernimus, non agnoſcit huiuſce ornatus cœlum auctorem. Nam & ipſa ſpectat varia ſydera, nec propterea variè imbuitur, ſed vno & eodem modo. Cur ſydera varia variè non afficiunt huiuſmodi terram? Quin iiſdem locis, vbi auri argentique fodinæ, vbi lapicidinæ, vbi inexhauſtæ venæ viſuntur, animantes, variæ ſtirpes, herbæ multiplices; vt neceſſe ſit fateri, aut horum varietatem non eſſe à cœlo, ſi eodem modo ea loca ſemper ſpectet, aut totius regionis vniuſmodi temperamentum, lapideum, ferreum, non eſſe à cœlo, ſi variè ad eam ſe habeat. Eligant quod voluerint Genethliaci, tanta enim varietas conſentire nequit cum aliquo cœli ſtatu, vna & ſibi ſimilis temperies non poteſt à varia conſtitutione ſyderum proficiſci.

CAPVT DECIMVM.

Specificæ effectuum naturæ non proueniunt à cœlo.

RES omnes aut natura diſſident inter ſe, &, vt aiunt, ſpecie aut accidenti aliquo, & qualitate, vtramque diſcrepantiam à proximis cauſis ducere originem potiùs quàm à cœlo, ſi oſtenderimus, iacebũt omnia, quæ de apparatu materiæ à cœlo dilapſo tradunt Genethliaci.

Et quidem, vt à priori ordiamur, naſcuntur hyeme animalia plurima, quibus multò vberior calor ineſt, quàm quẽ in aëre experiamur è cœlo dilapſum; in æſtate item fructus, herbæ, frutices, fruges, proueniunt multæ, in quibus longè plus eſt frigoris, quàm quod deſcendit de cœlo: quanta ſiccitas per idem tempus, at humidiſſima plura æſtate quoque progerminant: experimúrque fœliciùs ea prouenire, quibus ex irrigatione crebra per riuos humor accedit, copioſior areſcente cœlo, quàm quæ vberiùs perfundit cœlum in maligna terra. Quid hyeme, aut vere humidius? Multa tamen vtroque tempore naſcuntur ſicciſſima, quibus ab humidiſſimo cœlo non paratur materia, ſed ab aliis cauſis.

Præter calorem, inquiunt, humiditatémque Solis & Lunæ, quibus aër afficitur, manifeſtò per temporũ vices, ſunt aliorum ſyderum vires arcanæ, quæ licet ſpargantur per aërem, eum tamen non ſemper imbuunt calore, vel frigore, humore vel ſiccitate, ſed iis ſolùm rebus has qualitates impartiuntur, quæ ſibi naturæ quadã cognatione, & ſympathia coniunguntur. Quare efferueſcente ſolis æſtu poſſunt frigida plurima procreari per tacitã alterius ſyderis vim, frigidúmque afflatum, qui vberius frigus profundat, quàm proximæ cauſæ, ſed certis quibuſdam rebus, non omnibus.

Verùm ne cum Genethliacis rurſus de abditis ſyderum viribus litigemus, de quibus ſuprà, largiamur nos vltrò, quod Aduerſarij probare nequiuerunt:

non

non negabunt tamen cùm rem aliquam circumſtant extrinſecus; duæ cauſæ, vna caloris, altera effectrix frigoris, ambarum actiones ſe mutuò impedire ac frangere, vincere autem vehementiorem. Naſcetur igitur frigida frutex, dum tropicum Cancri ſol, & frigidum ſydus obtinet: de quibus Ptolemeus lib. 1. cap. 4. Et Saturnus præſertim, qui omnium eſt frigidiſſimus, vt idem ſcribit ibidem longè plus illi caloris impertiet Sol, quàm frigoris Saturnus; tum quia Solis efficacitas maxima eſt, auctore Ptolemeo lib. 1. cap. 4. tum quia etiam ſi par eſſet Solis, & Saturni vis, tamen acrior eſt in agendo calor quàm frigus. Non extrinſecus igitur frutici aduenit frigiditas, ſed à ſemine, quod naturali vi frigidum eſt, & potens externis impreſſionibus reſiſtere: ita vt intereat priùs quàm calidum inducat temperamentum.

Huc accedit, quòd ſi quando frigidum ſydus, vt Saturnus, dum eſt in Cancro poſſit cum Sole contendere, aut etiam Solem vincere, id tamen facere non poteſt, quando longiùs à nobis receſſit: non ſanè æſtate Saturnus ſemper in Cancro exiſtit, aut aliæ ſtellæ frigidæ, quarũ congreſſus aduersùs Solis æſtum Saturno ferebat opem: abſunt nonnunquam in Capricorno: diſtrahuntur ad alia ſigna, impediuntur ab aliis calidis aſtris, vt non poſſint cum Solis, aliorúmque ſyderum ardore contendere: ſemper ac perpetuò frutices quidam frigidiores in æſtate progerminant, ſemen igitur frigidam fruticis ſubſtantiam conſtituit, non inconſtans & vana ſyderum vis.

Quod de frigidis diximus, intellige de calidis, de humidis, de ſiccis, quorum caloris, humoris, ſiccitatis, niſi pars magna aliunde accederet, quàm à cœlo, multa forent, quæ variatis aſtris gigni non poſſent ſingulis annis. Nemo vberes annos, & ſteriles: agrorum infœcunditatem, & vbertatem pro frugibus noxia, fructibúſque cœli temperie, aut intemperie nobis obiiciat; nulla enim eſt cœli intemperies, ſub qua triticum non hordeum, aut legumina, aut pulegium creſcat, exuberat quidem genus vnum, magis vno tempore, quàm alio; omnes tamen fruges ſingulis annis progerminant, quod ſanè non contingeret, ſi ſtellarum vi pubeſcerent, potiùs quàm propria, & innata virtute, vt oſtendimus.

CAPVT VNDECIMVM.

Quæ rebus adueniunt, non aduenire à cœlo, &c.

NEQVE verò ex tanta rerum diſſimilitudine ſpecifica oſtendi ſolùm poteſt, minus in rebus eſſe ab efficientia cœleſti, quàm à ſublunari, ſed etiam ex iis, quæ propria ſunt, ſingulis ſub eadem ſpecie comprehenſis; & quidem ea, quæ vniuſcuiuſque rei naturam ſpecificam ſequuntur, non à cœlo petenda, ſed à cauſis ſublunaribus euicimus ſuperiori capite. Iuſtam magis dubitationem habent illa, quæ ſingulis accidunt, & non comitantur ſpeciem, de quibus nunc diſſerere ingredimur, ſed res fiet exemplis illuſtrior.

Proueniunt eodem hortulo lactucæ plurimæ: nullæ aliis ſunt planè ſimiles, in foliorum numero, ac latitudine, in colore, in ſapore, in tyrſo, minus, aut magis oblongo, craſſo, obtorto, in magna conueniẽtia maxima cernitur diuerſitas.

Quo

Quo obſecro pacto? vnum & idem cœlum tantam præſtat rerum diuerſitatem? cur non fatemur in iis euariandis magnam eſſe vim terræ, immò & glebæ, valere etiam ſitum, ſemen, irrigationem, & alia huiuſmodi?

Quid de fatiuis loquor? in viticis, in mericis, in vacciniis, in liguſtris, in quouis alio natiuorum genere quanta diuerſitas, quanta in eodem prato varietas eiuſdem herbulæ? nihil de iis, quæ putri materia fiunt: nihil de piſcibus in eodem lacu dico, quæ ſole clariùs teſtantur ſingulorum diſcrimina, & proprietates proximis deberi cauſis potiùs quàm cœlo?

Iam verò inter equos, inter boues, inter aſinos quanta intercedat diſcrepantia, ſtabularij etiam & agaſones norunt: hanc varietatem à proximis oriri cauſis hoc modo conficio.

Sublunarium cauſarum vis & facultas non eſt res aliqua generalis, ſed ſingularis, & cuiuſdam modi, quare & actio quæ inde proficiſcitur, ſiue vna & ſimplex ſit, ſiue ex multis collecta, non commune quid, ſed ſingularis, ac definita ſit oportet: & quoniam actio vna eadémque res eſt cum effectu, neceſſariò ſit, vt effectus certus & definitus ſit, propterea ſi calor magnus eſt, calefacit multùm, ſi modicus, parum: denique modò pleniùs, modò parciùs, prout vberior vel tenuior fuerit, fundit calorem.

Quæram & illud, effectus qui ſubeſt efficientiæ cauſæ ſublunaris ſitne res aliqua communis, & vniuerſa, an ſingularis & definita? Non dicent eſſe communem, effectus enim in genere ſub nullius cadit efficientia; præterea id quod fit, qua parte fit à cauſa hac definita, aut eſt paruum aut magnum, aut neutro modo: ſi paruum, aut magnum vniuſmodi eſt & definitum; ſi neutro modo, aut nihil eſt, aut ſola cogitatione eſt.

Quid quæſo eſt effectum à cauſa produci? niſi ab ea accipere ſuum eſſe, quod eſſe cùm ſit capax cuiuſdam modi, ſiue ſecundùm qualitatem, ſiue ſecundùm vigorem, ſiue ſecundùm virtutem, pugnantia omnino ſunt: effectum habere eſſe à cauſa, & non habere modum vllum, ſeu non habere eſſe terminatum & definitum.

Denique non ſunt duæ res: effectus & hic effectus; quo itaque modo cauſa efficit commune quid, non tale ac definitum, ſi id quod à cauſa prodit ſingulare eſt, & vnius modi, varietas, quæ inter res eiuſdem generis, vtputà inter equos, boues, leones cernitur, velint nolint Aſtrologi, non à cœlo, ſed à proximis cauſis proficiſcitur.

Hoc ipſum explico obiter: Nam ignis vel poteſt à cœlo impediri ne calorẽ efficiat pro modulo caloris ſui, vel impediri non poteſt. Si primum; vel ita cœlum inhibet ignem, vt nullum penitus edat calorem, & aliquando eſſet ignis ſtuppæ proximus ne combureret, quo quid magis abſurdum? vel prohibet ne hunc fundat calorem vel talem, & quoniam nullus eſſe poteſt calor, qui non ſit vnius, vel plurium graduum, non ſit definitus & ſingularis, rurſus relabimur ad ignem, qui ſtuppam non exurit, vel denique cœlum obſtat, ne ignis fundat calorem octo graduum, quot ipſe habet, non autem impedit, ne proferat calorem, vt quatuor, aut etiam minorem, & tunc minor calor ab alio longo interuallo diuiditur, cauſa igitur proxima eſt: multitudo, & varietas effectuum ſingularium, id quod inſtitueramus dicere. Si ſecundum, id eſt, ſi cœlum non poteſt inhibere, ne ignis ſuam obeat actionem, non pertinet ad cœlum ſingularium effectuum multitudo, & diſcrepantia, ſed ad proximas cauſas, à quibus

cùm

cùm probatum ſit, eſſe etiam diuerſitatem rationum, & ſpecificam, nihil omnino eſt in effectu, quod à proximis cauſis non proficiſcatur.

Verùm ne in propriis ſeorſim & communibus hæreamus, cùm obiicere poſſint vtraque ab vtriſque ſimul pendere cauſis cœleſtibus, & ſublunaribus, ſed magis à cœleſtibus, vt omnis ad effugiendum aditus præcludatur, illud vrgeo, ſiue cœlum arcana vi agat, ſiue lumine, & motu, cum multifaria eius efficientia variabilis ſit, quo pacto ſit præcipua ratio eorum, quæ perpetuò gignuntur, & vno definitóque modo, cùm ob varios acceſſus, receſſus, congreſſus, ſyderum, quorum alia frigida, alia calida, alia ſicca, alia humida, nunc frigus, nunc calorem, nunc ſiccitatem, nunc humorem cœlum in hæc inferiora fundat, quî fit, vt ope cœleſti ignis perpetuò calore promat? num frigida quoque cœli efficientia calefacit, ô licentiam iocularem! num ſemper calida aſtra præpollent frigidis? frigida igitur nihil cœlo, omnia debent proximis cauſis. num frigida vis cœli, frigida, quæ ſunt: calida petit calida? ſicut magnetis virtus ferrum optat, cum quo naturæ illi cognatio magna intercedit, non argentum aut aurum, nónne pudet Aſtrologos hæc dicere? Primò enim hinc fit, illos è cœlo definite nihil poſſe effari, propterea quòd vis omnis, quæ cœlo defluit à cauſis ſublunaribus diſtrahi, diſſolui, extingui poſſit. Deinde in rebus efficiendis potiores cœli partes non eſſe. Denique nihil à cœlo progigni, ſed ab aliis cauſis quod perfectum eſt aliqua qualitate imbui poſſe. nam vis frigiſia aſtri ſi petit frigida non calida, quæro à quo res illa frigida effecta ſit frigida? Si à ſtella non igitur petit, ſed efficit frigida: non petit frigida ſolùm, ſed calida potiùs, quæ ſola frigeſieri poſſunt, ſi ab alia cauſa quemadmodum magnes nôn afficit ferrum, ſed trahit, quod ab aliis cauſis eſt confectum, friget cœlum, cauſæ enim ſublunares ſine influxu cœli frigus præſtãt, quod ſi frigus, & calorem & humorem, & reliqua. Euanuit igitur omnis virtus cœleſtis; omniáque in cauſarum ſublunarium iura redierunt.

Illud quoque ſciſcitabor, cùm pro triangulorum, vel quadratorum ratiône velint Aſtrologi modò pleniùs, modò parciùs, modò ferè nihil, cœlum in hæc ſubiecta corpora agere, qua ratione ignis, niſi opitulante cœlo efficit, nihil ſemper calefaciat?

Duarum cauſarum, quæ ita ad conſtitutionem effectus conueniunt, vt neutra ſeorſim effectum præſtare poſſit totum; ſi altera debilitata, aut præpedita fuerit, nunquam tantumdem effectus, altera ſola edere poteſt, quantum vtraque ſolet proferre cõiunctim: ignis eumdem fundit calorem, cum minori, ac minori ſyderum vi, quid ergo aliud conſequens eſt niſi cœlum, nihil in effectione caloris apponere de ſuo, ſed omnia ab igne proficiſci?

Denique locum hunc, vt tandem concludamus, non rarò ſimul duo gignuntur equi, ſues, boues, agni, canes, vnus altero fortior, vnus altero maior, vnus altero pinguior, vnus altero magis gracilis, quæ fuit ratio diſparitatis tantæ? cæleſtiſne virtus? quomodo à communi quadam efficientia, quæ ſimilis, ac par in eumdem incidit locum, in eamdem materiam, tam magna diuerſitas? à coniunctis, proximiſque cauſis conclamata eſt Genethliaca diſciplina.

CAPVT DVODECIMVM.

In rerum procreatione nullas eſſe cœli partes.

VNVM adhuc Aſtrologiæ vulnus aperiendum eſt, quæ ad ſingulorum generationes cœlum venire contendit; vel enim pares vult eſſe cœli, & proximarum cauſarũ vires generando, vel maiores cœli, quàm aliarum cauſarum, vel minores: exemplũ duci poteſt ab equo in generatione, ſiquidem equi, vel pares exercet vires cœlum, & ſemen, cæteræque cauſæ cõiunctæ: vel minores, vel maiores, ſi maiores, aliquid eſt in equo, quod non eſt à ſemine, neque à proximis cauſis effectum, ſed à ſolo cœlo, id nimirũ quod ſublunarium cauſarũ vires excedit. & cur equum quoque totũ non proſeminat ſine proximis cauſis? quid agunt cauſæ inferiores, ſi cœlum per ſe ſine ope alterius cauſæ efficit quæcumq; efficiuntur? ſi minores, aliquid cauſæ ſublunares præſtant ſine ope cœleſti? ſit igitur iſtud pars vna, cur non & alia? cur nõ totũ? cur quidquam debemus cœlo, ſi pares fateantur primum in effectione rerũ cœli partes non eſſe potiores? deinde nihil cauſas ſublunares iuuari à cœlo, cùm enim ſimile nihil patiatur à ſimili, neque ab æquali æquale, pares ſi ſunt cœli, & cauſæ proximæ vires, neutrum alterũ efficere, aut augere poteſt. Præterea nihil certò, immò nec probabiliter, ex ſyderum congreſſu, de rebus ſublunaribus coniici poſſe. Nam ſit validiſſimũ ſydus: ſemen verò equi infirmũ, ac debile: ſydus nihil efficit ſupra ſeminis vires; imbecillis igitur prodibit equus, ſub valido ſydere; quid ergo nugãtur Aſtrologi, cum horoſcopo ſuo? quid rimãtur ex aſtris?

Poſtremò ſi cœli vires non augent proximæ cauſæ efficientiã, ſed illud idem efficiunt quod cauſa proxima & coniuncta, fatendũ neceſſariò, nihil eſſe in effectu, quod à proxima cauſa non ſit profectũ: Eant igitur Aſtrologi & ſuum prædicent genitale cœlũ, & doceant cùm ſit nihil, quod à proximis cauſis non ſit profectum, quódque earum vires excedat, cur in rerum omniũ efficientiam aſtra quoque pertrahant. At rationum magna ſe inopia laborare ingenuè confitentur, proferant ſaltem experimẽta, quibus ſe abundare iactitant frequenter.

Conuenimus iam nihil in his inferioribus fieri, quod à cauſis ſublunaribus non fiat, non eget id vlla probatione, proferant ſi poſſunt experimenta, quæ præter cauſas ſublunares, quæ omne id quod eſt in effectu præſtant, oſtendant, neceſſarias eſſe cauſas etiam cœleſtes; ſi nullæ ſunt. (at verò eſſe non poſſunt) experimenta, quæ id euincant, patiantur Genethliacam in illud ſepulcrum inferri, in quo aliæ diuinationes, in quo aruſpicina, in quo ſortilegium, in quo auguria iam dudum fœtent mortalibus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De cœlo in animo.

IVLIVS Firmicus lib.1. Meteororum cap.3. cui Bellantius & Aſtrologi plures apud Albertum lib.11. Metaphyſices tract.2. cap.10. non grauatè

ſubſcri-

ſubſcribunt, cœlum facit animatum, ſenſu, intelligentiaque præditum. Stultum quidem eſt videre, quid quiſque deliret; hunc tamen errorem, qui multorum etiam Philoſophorum mentibus inſedit, quod videre eſt apud Plutarchum libro primo de placitis Philoſophorum, cap. 17. & 23. & Ariſtot. lib.3. Metaphyſ. text.15. lib.1. Meteoror. cap. 2. libr.1. cœli, t.21. Platoni id inprimis placuit, præſertim in Timæo, in Dialogo 10. de legibus, dialogo 7. de republica, & Marſilio Ficino in argumento 10. dialogi de legibus, Carpentano lib. de doctrina Platonis, cap. 12. quos ſequitur ex Peripateticis Simplicius lib. 2. cœli, comm. 3. S. Thomas lib. 3. de anima, t. 61. Alex. lib.3. ſuo de anima. Philoponus lib.3. de anima, text.59. Auguſtinus Niphus diſput.3. Metaph. quæſt.5. art.6. Achilleus lib.3. de orbibus, dub.1. Pariſ. diſput.5. Metaph. part.1. cap.26. Auic. tract.1. Met. cap.3. tract.9. cap.2. & Xenocrates apud M. Tullium lib.1. de natura Deorum. Plinius lib. 2. de hiſtoria naturali cap. 8. Philoponus lib. de opificio mundi, lib. de ſomniis, lib. de Gigantibus. Nec alienum ab inſtituto noſtro, nec ſuperuacaneum fuerit paucis confutare. ad quod faciendum multæ ſuppetunt rationes; proferam de multis vnam aut alteram.

Ac primùm cuiuſnam gratia orbi ſuo coniungitur intelligentia, veluti forma materiæ? gratiáne orbis tantùm? nihil minus. materia enim cùm ſit gratia formæ, orbis potiùs ſit ob intelligentiam oportet, quàm intelligentia propter orbem: & meritò. perfectior enim eſt intelligentia quàm orbis: natura non ſubiicit perfectiora imperfectioribus. non itaq; ipſius orbis tantùm gratia intelligentia ad huiuſmodi conuentionem pertrahenda eſt, niſi id etiam intelligentiæ conducat. An etiam in bonum intelligentiæ id cedit? in quod bonum? vt ſit & viuat. An vt agat? non ſanè. vt viuat vel ſit, nam ſubſiſtens eſt & immortalis, nobilior animo noſtro, nec eget opera corporis vt ſit. quin liberum ac ſeiunctum eſſe à concretione materiæ melius & optabilius eſt. id enim & independentiæ & ſimplicitatis, & perfecti nota eſt certiſſima. Neque vt agat, ad quid enim agendum præſidio corporis iuuanda eſt intelligentia? ad mouendum? at etiam extra corpus, corporis poteſt eſſe motrix, qualis eſt Deus Optimus Maximus; multáque alia etiam corporata, quæ extrinſecè moueret.

An ad intelligendum? At intellectio non eget corporali organo, vt videre eſt in Deo. Quin hebetari mentem ſocietate corporis in confeſſo eſt. Nec alia ratione mens iuuari poteſt à corpore ad intelligendum, niſi quia corpus illi ſuppeditet ſenſibiles formas, quæ phantaſmata nominantur, vnde ipſa ſecernit rationes intelligibiles & notas eorum quæ intelligit, at ſi phantaſmatum vſum affingis intelligentiæ, addas oportet & phantaſiæ ſenſum, quæ certam primarum qualitatum temperiem poſtulat, vnà cum ſentiendi organum vegetantem, præterea animum cogeris adiicere, à qua nequit ſenſus abiungi; vt planum facit Ariſtoteles lib.2. de Anima, text.31. & 50. lib. 3. text.61. & 66. [Quòd ſi vegetante animo intelligentias donas, & augmentum & decrementum, & repletionem, & inauctionem, & generationem, & corruptionem illis tribuas neceſſe eſt, ſi huiuſmodi commutationibus cœlum ſubeſt. Non igitur ſempiterni orbes, & orbium conuerſiones.] Hæc fermè Ariſtoteles lib.3. de Anima, textu 61. 62. 63. 64. & 65.

Rurſus quæro, cur intelligentiam orbi deuinctam eſſe velis? An quia non poteſt eſſe extra corpus? at corpus cohæret ſine mente in ſtirpibus, in ſaxis, in brutis, cur non poterit & intelligentia corpore præſtantior ſe ipſa cohærere

ſine corpore? At Ariſtoteles lib. 8. Phyſicorum, text. 82. intelligit motorem extra magnitudinem. lib.12. Metaphyſ. cap.30.35. & 41. ſeiungit intelligentias ab omni materia lib.1. cœli, text.100. ponit extra orbem.

Sin poſſe quidem ſubſtantias eſſe ſine corpore dicis. ſed non decere, multò longiùs aberras à vero, cur enim ſubſtantias corporatas & concretas in corporales & ſimplices eſſe non decet? quæ & eſſe poſſunt, & auctori rerum factu facillimæ, & mundi totius illuſtre ſunt complementum.

Hinc S. Auguſtinus lib.1. retractationum, cap.5. & 11. damnat quodlib. de immortalitate animæ, cap.15. lib. de Muſica, cap. 14. mundum præditum eſſe animo, libro de agnitione veræ vitæ, cap.6. irrationales eos appellat, qui mundum aiunt eſſe rationis compotem.

Denique nullum corpus ſimplex, capax eſt animi, qui eſt ratio corporis organici potentia vitam habentis lib.2. de Anima, textu 6. id quod non probabilibus, ſed neceſſariis rationibus efficit Ariſtoteles libro 3. de Anima, textu 66. 67. 68. non enim corpus ſimplex aptari poteſt ad obeunda animi munia, ad augmentum & decrementū, ad auditum & viſum, ad olfactum & tactum, quæ multiplicia variaque inſtrumenta poſtulant, at corpora cœleſtia ſimplicia ſunt, & vniuſmodi, Ariſtotele auctore lib.1.cœli, tex.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Cauſas ſublunares non eſſe omnes cœli inſtrumenta.

CAVSAS ſublunares omnes inſtrumenta cœli facit Bellantius quæſt.1. art.1. & 2. quæſt.2. & quæſt.6. eáſque ait ab illo adaptari, dirigi, moueri, ad id, ad quod eius virtus tendit, vel propendet.

Ego verò quam rationem inſtrumenti cauſæ ſublunares habeant non video. Prima non inſtrumēto, ſed cauſæ principi adſimilatur, id quod fit. At quæcumque fiunt terra, marique proximis cauſis ſimilia prodeunt, nec vllam cœli formam referunt. Deinde ab artifice mutuatur vim omnem, & efficientiam inſtrumentum, at cauſis ſublunaribus nihil à cœlo accedere virium oſtendimus, cap.12.

Verùm, vt vniuerſim diſputemus, ſex potiſſimùm rationes hanc inſtrumentariam ſubiectionem perſuaſere Bellantio, quarum nullum eſt robur, nulla firmitas.

An cœlum his inferioribus cauſis vtitur, tanquam inſtrumento, quia perfectius eſt, aurum perfectius eſt aliis metallis, neque propterea iis vtitur inſtrumentis, equus dignitate præſtat muſcis, non vtitur illis inſtrumentis, quando vlcera ſibi liguriunt. nec illud recipio, cœlum inanimum eſſe perfectius animantibus.

An quia cœlum generalis magis cauſa eſt quàm proxima, at elementa quoque generales magis cauſæ ſunt quàm proximæ, vt bos, leo, canis, nec quiſquam auſus eſt hactenus hæc illorum inſtrumenta facere.

An quia nihil agunt cæteræ cauſæ, niſi agitatæ à cœlo, id iam pridem exploſum eſt.

An

An quia omnis agendi vis è cœlo defluit, id quoque tanquam folium deflauimus. ergo dices ignem à cœlo expectare vim exurendi ſtuppam? delabitúrne ex aſtris vis etiam intelligendi, ſentiendi, appetendi, vegetandi? his certè caret cœlum.

An quia cœlum ſi non ſemper, certè frequenter ad agendum conuenit cum cauſis proximis? Ita ſanè: ſed id ſi inſtrumentariæ rationi ſatis eſſet, duorum nautarum, qui vnum trahunt rete, alter alterius eſſet inſtrumentum.

An tandem, quia in quolibet effectu plus cœlum ponit de ſuo, quàm proximæ cauſæ? neque id ſatis eſt ad rationem inſtrumenti, ſed ſi ſatis eſſet, nego plus à cœlo quàm ab aliis effici, & demonſtrata res eſt.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Formas ſubſtantiales non eſſe à cœlo.

A PROXIMIS propriiſque cauſis materiam ornari, & inſtrui, mox cœleſti quadam vi extrudi de ſinu, & fœcunditate materiæ formas omnes ſubſtantiales, ſi animum noſtrum excipias, ſenſêre nonnulli, quos mordicùs tuetur Fernelius Ambianus, Scotus in p. diſtinct. 37. in 2. diſt. 18. Accuratius in 4. diſtinct. 12. quæſt. 3. artic. 3. Ochamus in 2. quæſt. 23. Guilielmus de Rubeonis in 4. diſtinct. 12. quæſt. 6. Maior ibidem quæſt. 13. Ioannes Bauon. in 2. diſtinct. 18. quæſt. 2. Ant. Andreas lib. 3. Metaphyſic. quæſt. 11. Achillæus lib. 3. de elen. dub. 4. Ab his non multùm diſcrepat Bellantius quæſt. 2. art. 2. qui diſpoſita materia per inferiores cauſas, formas imperfectorum ſoli efficientiæ cœleſti tribuit; perfectorum verò etiam inferioribus, ſed vt inſtrumentis cœli. Quorum omnium ratio præcipua videtur, quòd nulla cauſa efficere poſſit aliquid perfectius, & præſtantius ſe, omne autem accidens imperfectius ſit ſubſtantia, impotens igitur videtur ad procreandas formas ſubſtantiales, procreantur autem formæ, vbi nulla ſuppetit ſubſtantia, quæ illas queat efficere, accenditur enim ignis à lumine, vbi nullus eſt ignis quo excitetur. prodeunt animalcula ex putri materia, vbi nullus apparet auctor generationis animatorum, pullulant herbæ è terra in qua nulla eſt vis efficiendi viuentia, cœlum itaque præſtet hæc omnia oportet; quod virtute cõtinet res omnes inferiores, viuentia quidem, qua vnitur & agitatur ab intelligentia, cætera qua perfectiſſimum quoddam & præſtantiſſimum corpus eſt, in cuius comparationem nullus aliorum veniat.

Ego verò non veriſimile ſolùm, ſed etiam verum ſemper duxi quod tradit S. Thomas 1. parte, quæſt. 45. art. 8. ad 2. & 3. quæſt. 53. artic. 3. quæſt. 77. a. 1. ad 4. quæſt. 115. art. 1. ad 5. 3. parte, quæſt. 77. art. 3. De potentia Dei, quæſt. 3. art. 11. & 12. quæſt. de ſpiritualibus creaturis, art. 11. Capreolus in 1. diſtinct. 3. quæſt. 3. art. 2. in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 3. Ferrarienſis 4. contra gentes, cap. *66*. Ægidius quodlib. 3. quæſt. 1. ad 2. Heruæus quodlib. 3. quæſt. 12. Henricus quodlib. 14. quæſt. 1. Durandus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. Auerr. lib. 7. Met. comm. 129. Zimara Theoremate 114. Simplicius 5. Phyſic. tex. 8. Soncinas lib. 7. Met.

 quæſt.

quæſt. 11. Dominicus Soto 2. Phyſicorum,quæſt.4. Petrus Fonſeca lib.5.Met. cap.2. quæſt.6.ſect.3. Franciſcus Suarez diſput.18.Metaphyſices,ſect.2.num.9. Franciſcus Albertinus in corollarij principio ſecundo philoſophico,puncto 2. Formas ſubſtantiales effici à qualitatibus accidentariis vt inſtrumenta ſunt ſubſtantiæ; duo enim requiro in cauſa inſtrumentaria, vt aſſimilet effectum principi cauſæ; & vt ſit quid alterius. Primum didici ab Ariſtotele libr.7. Metaphyſ. text. 23. & 31. libr. 12. text. 24. libro primo, de part. cap. primo, quibus ille locis vult aſſimilari artificium non inſtrumento, ſed artifici, non qua homo eſt, ſed qua formam operis mente gerit, alterum continetur ipſa inſtrumenti notione. continetur exemplo ſeminis quod Ariſtotel. libr. 2. de generat. anim. cap. 1. docet eſſe inſtrumentum eius à quo deciſum eſt: dicitur verò ſemen inſtrumentum viuentis, non quòd à viuente continenter moueatur, ſicut ſerra ab opifice, vel nouam vllam vim accipiat, quoties agit aliquid: agit enim etiam poſt obitum viuentis; ſed dicitur inſtrumentum viuentis, quia viuentis aliquid eſt, à quo habet vim omnem agendi, & quia viuenti aſſimilat effectum. Vtrumque reperio in qualitatibus accidentariis quæ non ſuam, non cœli, non calcodeæ, non intelligentiæ, ſed ſubſtantiæ, cui famulantur, reddunt ſimilitudinem. Calor & ſiccitas, qui ignem præbent, vires ſunt ignis; & quadam ratione temperati eiuſdem proprietates, & faciunt ignem ſimilem ei, cuius ſunt virtutes; nihil autem vetat inſtrumenta efficere aliquid præſtantius ſe,& æquali cauſæ principi; quorſum igitur longiùs accerſimus cauſas,quæ ex materiæ ritè inſtructæ ſinu promat ſubſtantiales formas? ipſa accidentia inſtrumenta ſubſtantiæ virtute præcipuæ cauſſæ eas in rerum naturam effundunt.

Mihi verò non id munus in præſentiarum incumbit, vt doceam,quem auctorem ſubſtantiales formæ agnoſcant:nihil eas cœlo debere immediatè,ſatis eſt oſtendere Aſtrologis.

Ac primùm quidem, quidquid ab intelligentia ad cœlum, vel à cœlo ad nos deſcendit, ex accidentium genere eſſe oportet. Quare quo argumento probant aduerſarij imbecillitatem accidentium, promendo formas ſubſtantiales, probant & ſtellarum inefficaciam, & ſanè multò firmiùs: nam cœli qualitas inſtrumentum eſt inanimati, & ſimplicis corporis, vt ſuprà probatum eſt; ſemen verò, eiuſque poteſtas eſt inſtrumentum viuentis, quod ſi viuentis natura, ſuo genere præſtat, omni corpori, quod vita caret: Cœli facultas duplici laborat incommodo, & quòd accidentaria eſt, & quòd eſt à corpore inferioris generis, quàm viuentia. Quare & gignendæ ſubſtantiæ longè magis, quàm alia accidentia impar eſt.

Qui verò ad intelligentiam cœli motricem huiuſmodi qualitatem inſtrumentariam reuocant,fallunt manifeſtò:intelligentia enim nullam qualitatem impartitur cœlo, ſed ordinatum motum; quòd ſi quam qualitatem tribueret cœlo, tribueret vnius ſpeciei, cùm intelligentia non omnes contineat ſpecies, neque ſit omne ens, immò nec omne viuens, ſed quoddam certum & definitum ens,certum & definitum viuens, nempe compos intelligendi, non ſentiendi,neque vegetandi; Habeat porrò omnes viuentium gradus, cur qualitas fluens ab intelligentia ad cœlum, à cœlo in materiam, vt continet gradum equinæ naturæ, ſufficit pro creando equo, non autem ſemen equinum

de

deſumptum ex ipſo equo,& in quo tota vis naturæ equinæ ineſt? Quare ſi ſeminis inſtrumentariam qualitatem inefficacem putas, non minus intelligentiæ,aut cœli qualitatem facies impotentem.

Vrgeo hoc ipſum preſſiùs; Vel hæc qualitas cœleſtis nunquam illabitur materiæ, & nunquam eam afficit; cùm inter agens, & patiens contactum intercedere oporteat:vel delapſa per intermedium aërem deſcendit in materiā: & quidem ſi eſt diuerſa à temperie equi, aliam omnem formam progignet potiùs quàm equi;ſin eſt ipſa temperies equi,hæc eſt ex primis qualitatibus,ſicut omne temperamentum mixtorum, de quo Ariſtoteles lib. 1. de generatione, textu 48. Primæ itaque qualitates edunt formam ſubſtantialem,quæ certa ratione temperatæ non cœli,ſed ſubſtantię inſtrumenta eſſe docuimus,non ergo cœlo, ſed proximis cauſis formas ſubſtantiales debemus.

Quòd ſi fingas duplicem diſpoſitionem ad formam equi ſuſcipiendam, alteram ex primis qualitatibus elementorum, alteram è cœlo, commentum id quidem eſt ineptiſſimum, ſine probabili coniectura, quod infrà diſcutiendum eſt; ſed interim quæro, cur equus genitus per vtramque temperiem non poſſit in eum, quem generat, vtramque transfundere, ſed altera expectanda ſit è cœlo? cœleſtis enim illa in equo quamuis ſit, agendi tamen potens eſt, & efficiendi ſibi ſimilem aliam, quomodo cœli lux prolapſa in aërem, aliam ſimilem lucem procreat, & hæc eadem cœli vis demiſſa per elementarem ignem & aërem ſibi ſimilem procreauit,in equo,in ſemine, in vtero, in fœtu, quantò igitur aptiùs equum ab equo dicimus proſeminari, quàm à cœlo:tantā ineptiā ſubſtantiarum procreationi cœlum admiſcent Aſtrologi?

Rurſus vſus docet quotidianus, quidquid poteſt & ſolet progignere formas, poſſe etiam & ſolere formæ adaptare materiam, id quod rationi congruit multùm,materiæ namque diſpoſitio licèt formam antecedat, formæ tamen eſt veluti inchoatio quædam, quæ poteſtate in forma continetur. Quin Philoſophorum plurimi, Auerroës libro quarto, Phyſicor. comment. 129. Simplicius quinto Phyſic. textu octauo, Soncinas libro ſeptimo, Metaphyſ. textu vigeſimo ſecundo, Ferr. libro ſecundo contra gentes, capite 17. generationem ſubſtantialem non diſtingui ab alteratione, eadémque actione, qua vltimo diſponitur materia ad ſuſcipiendas formas,induci volunt formam, nec cogitari quidem poſſe adornari vltimo materiam, & non ſimul induci formam. At quod efficere poteſt formam, cur non etiam formæ inchoationem, & proprietatem: quare ſi cœlum poteſt perfectorum formas generare, poterit & materiam præparare ad formam; hoc non poteſt, alioquin ſine propriis cauſis cœlum equos, boues, elephantos gigneret: quare nec formas ſciſcitari. Præterea libet ex iis, qui cœleſtem orbem faciunt formarum ſubſtantialium opificem, concurrántne ſtellæ omnes, an vna ſolùm, an plures ad earum procreationem? Non omnes planè, numerent enim omnia, quæ de variis & contrariis ſyderum viribus tradit Genethliaca & Ptolomæus libro primo, capite quarto, libro tertio, capite decimo, cur aliæ ſtellæ benignæ, aliæ malignæ, aliæ ſalutares, aliæ noxiæ dicuntur à Ptolomæo locis citatis? nugatúrne Ptolomæus libro primo, capite quarto, quo Saturnum frigificum, Martem calidum & ſiccum, Lunam & Venerem humidam, Iouem temperatum dicit eſſe? An ea quoque, quæ frigus fundunt aſtra,accendunt ignem?quæque calorem cauſant,procreant aquam & terram,

quæ

quæ frigore continentur? ſuntne omnia conficta, quæ Firmicus lib.2. Met.cap. 28. de auctore vitæ, cap.29. de cronocatore quæ lib.3. toto de Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ decretis per ſingulas cœli ſtationes tradit?

Si omnes ſtellæ æquè res omnes præſtant, quorſum tanta Mathematicorum diligentia in obſeruandis ſyderum viribus, triangulis, quadratis, diametris, henagonis, altitudine, aſcenſu, deſcenſu, finibus, domibus, familiaritate, coniunctione, dominatu, deiectione? Ruit ſine dubio omne Aſtrologorum cœlum ex horoſcopis, triangulis, quadratis, configurationibus, conſtitutionibus, conflatum, ſi quodlibet fit à quolibet aſtro.

Si vna quælibet ſtella ſolùm eſt generatim cauſa formarum ſubſtantialium; quæ tandem? quomodo vna omnes? quomodo tam varias & diſcrepantes? idem qua idem ſemper facit idem, lib.2. de generatione, tex.56. Nec id ſanè Aſtrologis imponere velim, cùm apud Ptolemæum lib.1. cap.4. lib.2. cap.8. fœcunditatem tribuat Soli, Lunæ, Veneri, aliiſque ſtellis, quæ ſunt Solares, Lunares, Iouiæ, Venereæ.

Sin plures, vel ex quolibet ſtatu, vel etiam ex qualibet configuratione cum aliis, ſtellæ promunt formas omnes, vel fundunt varias, pro varia conſtitutione, & habitu ad cæteras. Si primum, eadem ſunt incommoda quę eſſe diximus, ſi quælibet procrearet quodlibet: ſi enim ſtellæ quoquomodo ſe habeant, formas omnes edunt, fruſtra metimur earum altitudines, deiectiones, triangula, quadrata, quibus Genethliacæ arcana omnia myſteria continentur. Immò nec illud docere poſſunt Aſtrologi, cur variæ, & inter ſe maximè diſcrepantes formæ prodeant ab iiſdem, & nihil variatis aſtris.

Iam verò ſi certas formas ex certo & definito ſtatu ſtellæ ferunt, requireretur certus, & definitus earum congreſſus, ad accedendum ignem, ad tranſmutandum aërem, ad vertendum alimentum in carnem, in ſanguinem, in os; expectendus eſſet certus aſtrorum habitus, ad canes, ad homines procreandos; & quibus hæc perſuadebunt maritis an vxoribus?

Itaque pro comperto eſſe debet, formas perfectorum non eſſe ad cœlum, vt effectricem cauſam, ſed ad accidentia & ſubſtantiam, cuius illa ſunt inſtrumenta referendas.

Eadem planè ratio eſt formarum imperfectarum, harum enim aliquæ animæ ſunt vermium, herbarum, fructuum, quæ cœli vim tranſcendunt vniuerſam, quædam licet animæ non ſunt, tamen earum diſpoſitiones, vel à cauſis ſublunaribus pendent magis, quàm à cœleſtibus; vel ita à ſublunaribus, vt per has impediri poſſint cœleſtes, vt paulò antè diſputauimus; vel igitur dependent ab omnibus, vel à certis, & definitis aſtris? non ab omnibus: à quo enim eſſet tanta formarum varietas, quanta terra, marique videtur? non à certis; expectandus enim eſſet aſtrorum certus quidam conuentus, vt pediculi, vt pulices, vt vermes, vt tineæ, vt muſcæ, vt culices, vt herbula, vt frutex orirentur. Immò, vt hæc omnia alimentum ſumerent, & in propriam ſubſtantiam redigerent.

At vnde, dicet aliquis, animantium imperfectorum formæ, tanquam ab efficiente primario? Ariſtoteles lib.1. de genera. animalium, cap. 1. ſtatuit in harum materia præcedere temperiem quandam, non ſeminis quidem, ſed perfectorum ſemini reſpondentem, eámque non minùs valere ad formas educendas imperfe-

imperfectorum, quàm ſemen ad extrudendas formas perfectorum; ſicut igitur calor eſt ignis inſtrumentum, non cui ignis motum aliquem imprimat, vel aliquod aliud apponat, nam etiam nullo exiſtente igne calor attritu lapidum excuſſus ignem generat, ſed quia calor eſt proprietas ignis naturalis, & eius virtus agens, per quam efficit quidquid efficit; ita ea temperies, quæ loco ſeminis antecedit imperfectorum generationem, eſt inſtrumentum ſubſtantiæ, eiúſque vi formam ex poteſtate materiæ educit, cuius eſt proprietas, & inſtrumentaria vis, & cui ſimilem reddit effectum. Atque ita oportuit fieri, cùm enim huiuſmodi animantes, & ſubſtantiæ generatrice vi careant, accidentaria illis poteſtas tribuenda fuit, minor quidem ſuo effectu, ſed quæ virtute primariæ cauſæ illum efficere poſſit; quare ſi ſemen idoneum eſt ſuæ generationi, erit etiam hæc temperies ſuæ. Hæc haud paulò probabiliùs dicuntur, quàm quæ diſputant aſtrorum patroni, qui non reperta in proximis cauſis facultate, quæ formis imperfectorum animalium effingendis par eſſe poſſit, protinus ad cœlum confugiunt; cur ad cœlum potiùs, quàm primam rerum omnium ſupremam cauſam? cur ad cœlum infirmum & impar viuentium formis non minus, quàm ſublunares cauſæ? cur ad cœlum quod ab effectu longiùs abeſt, quàm elementa, multáque alia corpora eiuſdem cum effectu naturæ & proprietate?

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Omnium corporum temperamentum à primis qualitatibus ducere originem.

IN eodem homine duo diſtinguit temperamenta Bellantius lib. I. q. I. artic. 9. 10. 11. [Vnum quidem formæ conſentaneum, ac debitum ex quatuor primarum qualitatum, totidémque humorum permixtione conflatum. Hinc pituitoſi, ſanguinei, bilioſi, quibus nimirum ineſt cuiuſquam humoris maior vis, & copia. Alterum quod materiam ſequitur, confectum ex occultioribus aſtrorum viribus, ex quo variæ hominum propenſiones, ac proprietates exiſtunt, quarum ratio non poteſt ex priori temperamento deſumi; licet enim Philoſophi omnia ex humana varietate deducant, Aſtrologi tamen, inquit, docent à ſtellis, tum humores ipſos variè temperari, vnde ſunt varij corporum habitus, tum præter humorum temperamenta, infundi aliud ſecretum, & arcanum, ex occultioribus cœli virtutibus conflatum, quod aliò trahit quàm humores; aduerſaturque primarum qualitatum temperamento non parum.]

Cum Bellantio facit Cardanus text. II. lib. Ptolomæi, & Fernelius Ambianus, lib. I. de abditis rerum cauſis, cap. 8. 9. 10. 11. quamuis enim hic, duobus, tertium quoddam addat Cardano & Bellantio inauditum, duo tamen temperamenta, alterum formæ, materiæ alterum, cum Bellantio, & Cardano diſtinguit.

Redeamus ad Bellantium: tres ille profert rationes, cur temperamenta hæc ſecernat, ſed huiuſmodi quæ ſola inficiatione tollantur, nec poſſint ampliùs reparari.

[Ac primùm videmus, inquit, interdum ſanguineum, auarum, melancholicum, liberalem, phlegmaticum, intrepidum, cholericum, meticuloſum, & litigioſum: cùm hæc longè aliter oporteret eſſe ex humorum conſtitutione. Item animaduertimus Saturno ſubditos, nunc quidem ſanguineos eſſe, nunc cholericos, nunc alterius temperamenti, ſemper tamen inuidos, auaros, fœdos, vltores, obſcœnos, libidinoſos: eos verò, quibus Mars pręſidet, aliquando phlegmaticos, nonnunquam ſanguineos, aut aliter temperatos, ſemper verò bellicoſos, iracundos, homicidas, ſtupratores, prædatores, vltores, ſanguinarios. Non itaque temperamentum quatuor humorum, & primarum qualitatum quod formæ cognatum eſſe diximus, eſt menſura morum, neque inde oriuntur omnes propenſiones, & procliuitates; ſed aliud admittendum eſt annexum materiæ, ex arcanis cœli facultatibus; permixtum, quod aliò longè impellit, quàm humorum temperatio poſtulet.]

[Neque verò horum ratio, inquit art. 6. reiicienda eſt in educationem, conſuetudinem, præceptores, parentes, domeſtica exempla, & alia id genus: hæc enim præſidis Planetæ vim non pertrahunt aliò, quàm eius natura poſtulet, ſed ipſa potiùs à planeta pertrahuntur, & tanquam inſtrumenta à cœlo mouentur. Hæc ille.] Cuius ignaua, & iners ratio, & aſſumit id, de quo diſputamus, & ea ponit principia, quæ ne Aſtrologi quidem recipere poſſunt. Aſſumit omnes, qui Saturno præſide naſcuntur, eſſe inuidos, auaros, obſcœnos, libidinoſos; omnes qui Marte duce prodeunt in lucem, eſſe iracundos, homicidas, bellicoſos: res omnino controuerſa, & plena diſſenſionis, & de qua tota eſt ſuſcepta diſceptatio. Ponit præterea cœli efficientiam non trahi à proximis cauſis ad varios effectus: id verò Aſtrologorum decretis aduerſatur, qui cœli vim, prout in variam materiam inciderit, varios edere effectus tradunt, cùm enim ex eodem agro, immò ex eadem agri & glebæ parte prodeunt triticum, far, hordeum, auena, milium, panicum, lolium, ad diuerſa ſemina renocant, cur ex eodem ſemine radix, lanugo, vaginulæ, culmo, cortex, genicula, folliculi, capillamentum ſimul, & ſub eodem aſtro fiant, non referunt ad aſtra, ſed in partes ſeminis diſſimilares, & varias materiæ diſpoſitiones.

Denique cur animi mores non ſemper ſequantur temperamentum corporis, aduentitiis cauſis tribuendum eſſe, bene longa diſputatione lib. 3. à cap. 12. planum fiet. Probet itaque Bellantius nihil valere ad mores, vſum, inſtitutionem, familiaritatem, domeſticam diſciplinam, parentum exempla, morbos, Principum ſeueritatem, Reipublicæ inſtituta, deinde ventitet occultum temperamentum è cœlo diuinitus delapſum.

Altera Bellantij ratio huiuſmodi eſt. [Humorum qualitas modum præſcribit ſpiritibus, & hi ſenſuum functionibus, hæc verò appetitionibus, itaque videmus hæc varia pro diuerſitate humorum, humores variari pro ætate, pro modo, pro tempore; at cœlum imperat humoribus; quare, & rebus cæteris, quæ naturam humorum ſequuntur.] Huc vſque non malè Bellantius. Neque aliud S. Thomas, & Scotus, quos eo loco teſtes excitat, docuêre. Sed quid tum? Obſequuntur quadam tenus aſtris humores, & humoribus ſpiritus, ſpiritibus ſenſus, ſenſui appetitiones, num propterea cogor recipere duo temperamenta? [At ſtellæ, inquit, ſuum faciunt quoddam temperamentum, temperamento humorum frequenter aduerſum, quod declarant mores humorum, temperamento minimè reſpondentes, reuoluimur eodem.] Primum nullus explicare quiuerit,

uerit,quo pacto ab iiſdem ſtellis, eodem temporis momento in eumdem, qui oritur puerum contrariæ propenſiones deſcendant;perinde quæ altero temperamento è ſtellis ſumpto effici dicuntur, aduentitiis cauſis præſtare contendo; oſtendat Bellantius in his locum nullum habere poſſe huiuſcemodi cauſas, obſeruet eos,quorum mores temperamento corporis aduerſos eſſe ait ex incunabulis,domi,foris, in ſchola, in ſcena, in triuiis, in lecto, in menſa, in ludo, in foro,in agro,in naui, in ſenatu,in curia,in templis, in ſacris, in profanis. Hæc omnia ad inſtitutionem morum pertinere contendimus,ab his eſſe mores,qui à naturali temperamento diſſident.

Tertiam rationem ita conficit. [Non ſolùm per humorum ſpirituúmque commutationem, ad appetitiones multiplices cœlum nos impellit, ſed etiam per formas, ſpeciéſque ſenſibiles, quas noſtris ſenſibus & phantaſiæ inferri poſſe à cœlo,ſine ope primarum qualitatum,conſtat,tum experimento puerorum, quibus phialam aquæ plenam ſpectantibus colores varij,agente cœlo, ſine qualitatibus primis diluceſcunt, tum ratione, quia virtutes alias cœlum continet, pleraſque longè perfectiores his formis, quas cùm poſſit generare, poterit, & has ſine dubio imperfectiores.] Nunquàm Bellantius præclariùs ſomniauit phialæ colores ex lucidi & opaci commixtione exiſtere, quotus quiſque ignorat? ſcilicet arcanas cœli vires perſecutus eſt Vitellius, qui huiuſmodi colorum cauſas aperuit, lib.... cap.... [Non fuit luminis refractione, reflexionéque contentus, neque minùs ridicula eſt ratio. Eſto, ne omnia negare videar,ſit cœlum perfectius, quàm ſpecies ſenſibiles, quomodo procedit argumentatio? Nónne homo nobilior eſt formica? An idcirco poſſumus ſpeciem viſibilem formicæ ſine formica oculis immittere? Eſto, præſtet cœlum formas alias perfectiores ſpeciebus ſenſibilibus, An quia homo generat hominem,generare poteſt columbam? fruſtra à perfectioribus rebus,quas, aut continet,aut efficere poteſt cœlum, argumentum deducitur,ad ea,quæ à rebus tantùm obiectis poſſunt effici.]

Poſtremò ſaxum illud dimouendum eſt:mores,qui à corporis temperamento diſcrepant, non poſſe, neque in extrinſecas cauſas, neque in diuerſorum organorum diuerſam temperiem referri, alioquin iubemus Bellantium diſcedere à ſententia, quæ & Ptolomæo, quem Ducem ſequitur, & Medicis, & Philoſophis aduerſatur vniuerſis,

Multi quidem Medicorum, & Philoſophorum, non nemo in eam abierunt ſententiam, vt exiſtimarint mixtorum temperamentum non eſſe quid conflatum ex primis qualitatibus,ſed eſſe formam quamdam ſimplicem; in qua virtute continentur formæ elementorum. Ita Auicen.lib.1. ſufficientiæ, cap.6. & prima primi Doctrina 3. cap. 1. Gentilis Vgo Senenſis ibidem, Foroliuienſis eodem loco quæſt.5. Thomas de Garbo in ſumma,tract.2.quæſt.1.Conciliator differentia 17. Turriſanus lib. 1. Regni, com. 15. Albertus lib. 2. Phyſ. tract.2. cap.1. Hieronymus Taglia petra lib.2.tract.2.cap.13. Soncinas lib.10.Met.q.21. Iauell. lib.4. Metaphyſic.quæſt.4.Albertus de Saxonia lib.1. de gen.quæſt.19. Buccaferrus lib.1. de generat. digreſſ. poſt. text. 88. rurſus lib. 2. de generat. ad text. 48.

Aliis contrà, temperamentum viſum eſt complexio quædam, & menſura primarum qualitatum,quæ in mixto,quaſi in mixtario continentur, quod Galenus præfatione ad librum de temperamentis his verbis explicat. [Conſtare

(inquit) animantium corpora,ex calidi, frigidi, ſicci, humidi mixtura, nec eſſe horum omnium parem in temperatura portionem, demonſtratum eſt abundè antiquis,tum Philoſophorum,tum Medicorum præcipuis. Diximus autem,& nos de iis ea,quæ probabilia ſunt viſa,alio opere,in quo de iis, quæ Hippocrates conſtituit, elementis egimus.] Idem Franciſco Valeſio lib. 1. controuerſiarum cap. 6. Valeriolæ libro 1. de locis communibus, cap. 10. idem Hali. lib. 2. Tegni com. 8. idem Alexandro opuſc. de mixtione, idem Simplicio, Themiſtio, Auerroë, Nipho, lib. 5. Phyſ. text. 19. idem Marſilio lib. 1. de generat. quæſt. 22. viſum eſt. At duplex temperamentum: alterum ſimplex, è cœlo delapſum, alterum ex primis qualitatibus conflatum, à cauſis ſublunaribus, & à priori planè diſſitum, monſtrum eſt: & Ptolemæo Aſtrologorum magiſtro inuiſum, & Medicis, & Philoſophis inauditum. Ptolemæo primùm, tum Medicis, & Galeno in primis, denique Philoſophis Bellantium aduerſari oſtendamus.

Ptolomæus enim ad primas qualitates refert omnia: has ab aſtris effici; & reliqua per has ſine vlla arcanæ virtutis è cœlo prolapſæ mentione docet lib. 1. de iudiciis cap. 2. his verbis: [Quid contrà obſtabit quominus, qui exquiſiuerit ſtellarum omnium,'atque Solis & Lunæ motus, vt iam nullum configurationum, neque tempus, neque locum ignoret: ſi etiam ordine, & conſequentia expoſitionis harum rerum, perceptas diſtinctè naturas omnium, quæ diximus, perſpexerit. Non iam duo, quæ in rebus ſubiectis apparent, ſed quatum affectiones poteſtate conſtent, vt quod Sol calefaciat, Luna humectet, déque reliquis ſimiliter, ſique inſit, cui ingenium hac in parte ſuppetat, quid inquam obſtabit, quominus naturaliter, & certò omni commixtione proprietatem habitudinum diſcernere poſſit ita, vt de quocumque tempore propoſito, explicet iuxta rationem eorum, quæ ſunt in cœleſti contemplatione obſeruanda, circumfuſi cœli proprium modum & ſtatum veluti futurum, aut calidiorem, aut humidiorem; ſimiliter & hominum propriè ſingulorum conſtitutionis generalem cognitionem habeat collectam à ſtatu circumdantis cœli, veluti corpus alicuius tale eſſe, talem autem, & animum: quæ etiam conſequetur caſuum ſingulorum præuiſio, nempe quòd talis cœli ſtatus, tali conſtitutioni aptus ſit, & conducat ad proprietatem: talis verò contrarius & in aduerſa impellat.] Hæc ille. Videſne poni primò à Ptolemæo primas qualitates ab aſtris deſcendere ſolitas? Subinde verò deduci caſus, & mores hominum. Si adhæc aliæ internirent arcanæ qualitates è cœlo excuſſæ non à primis, quo pacto ex calore, frigore, humore, ſiccitate, deduceret Ptolemæus omnia, quæ fiunt.

Idem eodem libro cap. 4. diſſerit de viribus Planetarum, eóſque omnes in frigido, calido, humido, ſicco, collocat, & ſubdit hæc ad finem: [Quæ cùm ita ſe habeant, cùm quatuor ſint humores, ſeu primæ naturæ: duæ fœcundæ, & viuificæ, nempe calidi, & humidi, ex his enim omnia, & coaleſcunt, & corroborantur; Itemque duæ exitiales, & detrimentoſæ, aridi, & frigidi, vnde rurſus diſſipantur, & debilitantur omnia, tradidere ſimiliter veteres, & ſtellas beneficas eſſe, Iouem, Venerem, & Lunam, eo quòd temperatæ naturæ ſint, & in qua plurimum inſit calidi, & humidi; ſtellas verò Saturni, & Martis maleficas, quòd contrariæ ſint naturæ, & effectus; alteram enim frigidiſſimam, alteram feruentiſſimam eſſe voluerunt: in medio verò reliquerunt Solem, & ſtellam Mercurij, vt participes vtriuſque naturæ, ſuóſque effectus accommodantes,

dantes,illarum ſtellarum, ad quas acceſſerint,proprietatibus.]

Idem cap. 5. eiuſdem libri, Planetas alios maſculinos, alios fecit fœmininos, hos ex humiditate, illos ex caliditate, frigiditate, ſiccitate, metitur, & æſtimat.

Conſimili ratione cap. 6. ex humido nocturnos, ex calido diurnos, planetas facit.

Idem cap.7.cùm Planetarum vires remitti,augerique pro eorum variis configurationibus ad Solem, doceat,nihil omnino in his viribus ponit,niſi frigoris,caloris,ſiccitatis,humoris incrementa,vel decrementa.

Rurſus cap. 8. de inerrantium ſtellarum facultatibus, ita diſputat, vt alias faciat Saturninas; alias Martias, alias aliis Planetis ſimiles, iuxta eas vires, quas plantis tribuerat, in primarum qualitatum efficientia.Itaque cùm omnes ſtellæ referantur ad Planetarum naturas, hi verò nihil præter vim primarum qualitatum obtineant; conſequens fit; omnem cœli actionem,Ptolemæi ſententia, poſitam eſſe in primarum qualitatum affectione,ſecundùm quas cap.9. diſtinguit ventos,quorum originem ducit à cœlo,& lib.2.c.2. gentium mores. Conſtat itaque,apud probatos Aſtrologos(ſi quis tamē eorum probatur) temperamentum, vel mixtionem eſſe primarum qualitatum, vel ſimplicem qualitatem in mixtione primarum qualitatum exortam.

Vnum etiam eſt temperamentum apud Medicos, qui hæc accuratiùs tractant, & Medicorum Principem Galenum libro de elementis, libris de temperamentis, libris de locis affectis, libris de Medicamentorum facultatibus, præſertim lib.7. c.18.19.21. libris de Methodis,maximéque cap.10. Sed placet hic deſcribere, quæ habet præfatione ad libros de temperamentis. [Conſtare animalium corpora (inquit) ex calidi, frigidi, humidi,ſicci mixtura, nec eſſe horum omnium parem in temperatura portionem, demonſtratum eſt abundè antiquis, tum Philoſophorum, tum Medicorum præcipuis: diximus autem & nos de iis ea, quæ probabilia ſunt viſa, alio opere, in quo de iis quæ Hippocrates conſtituit, elementis egimus. hoc autem opere, quod illi ordine ſuccedit, omnium temperamentorum differentias, quot hæ, qualéſque ſint generatim: quis ſiue membratim decidat,inuenire docebo: ſumámque ab ipſa nominum interpretatione principium. Cùm namque ex calidi, frigidi, ſicci, & humidi temperatura, compleri corpora dicunt:de iis,quæ ſummo gradu, ſic ſe habent, ipſis ſcilicet elementis, igne, aëre, aqua, terra, intelligendum aiunt: cùm verò animal, ſtirpem,calidum,humidum,frigidum,ſiccum eſſe,non item: neque vllum animal, aut calidum in ſummo eſſe poſſe, vt eſt ignis,aut in ſummo humidum, ſicut eſt aqua; pari modo, nec frigidum, ſiccúmve in ſummo, ſed ab eo, quod in menſura præpollet, appellationem ſortiri, vocantibus nobis id humidum, in quo maior eſt humiditatis portio, ſiccum, in quo ſiccitatis; ita verò, & calidum,in quo calidum frigido præponderat; frigidum verò, in quo frigidum calido præſtat.]

Nullus autem plures inuenit arcanas cœli virtutes, aut magis abſonas, & abſurdas Fernelio Ambiano, lege duos libros, quos edidit, de abditis rerum cauſis, lib.præſertim primo, cap.8. & 9. lib.2.cap.8.9.10.12.13. Temperamentum tamen in primis qualitatibus poſuit, non in ſecreta aliqua vi, libro 3. de elementis, cap. 1. cuius verba, quia temperamenti naturam ante oculos belliſſimè ponunt, merita ſunt, vt hoc loco deſcribantur. [Elementorum conſi-

nio (inquit) proximè iuncta eſt, atque connexa temperamenti proprietas, quæ quodammodo propago, & ſoboles permixtionis eſt. In hac cognoſcenda, atque tractanda rerum continuata ſeries expoſtulat, vt ab elementorum vi, & natura rurſum ordiamur, & ab ea maximè, qua modò, ac planè paulò ante deſtitimus. Simplices mundi naturæ, quò in permixtione integræ, & incolumes ſeruarentur; & ne ſi pauca multis, aut parua magnis componerentur, debiliorum occaſu ea, quibus multum eſſet roboris, ac virtutis, potiùs augeſcerent, quàm perfunderentur; æquales quodãmodo eſſe debuerunt. Hanc æqualitatem non magnitudine molis, non pondere metiri licet, quod terræ, quàm cæterorum elementorum, vberior eſt in nobis copia; ſed poteſtatis vi, & efficientia, cui omnia planè accepta referuntur. vis autem ea, atque facultas, non niſi efficientia principum qualitatum, quæ in mixtis elementis ſunt, obſeruatione æſtimatur, hæ porrò vſquequaque, ſæpius quodammodo pares confluunt, nempe mediocritate quadam; quæ non vtique indiuidua, verùm latitudine definita limitibus coërcetur; in quorum ambitu mixtio contineretur. hos autem vltra citráque interitus eſt, atque diſſipatio. Quæ igitur intra mediocritatis huius limites inciderit principum qualitatum concurſio, vt mixtionem, ſic & continuò temperamentum progignit. Eſt autem temperamentum, non ipſa mixtio, ſed mixtionis ratio: poterit & id earum, quæ in mixtis elementis ſunt, principum qualitatum harmonia, & concentus definiri, vt in cantu, fidibus, ſoni, longis locorum interuallis diſtracti; aut coniuncti quidem, ſed diſpares, & non pro rata portione diſtincti, concentum haud quaquam efficiunt, niſi primi cum vltimis temperati, & medij vtriſque reſpondentes, æqualiter dulci ſono aures compleant; ita neque diuulſorum elementorum qualitates, neque coëuntes illæ quidem temperamentum efficiant, niſi moderata & concordi quadam mediocritate, ſe mutuò complectantur; non igitur ipſa rerum primordia, per ſe, & abſolutè perpenſa, temperamentum ſunt; neque illorum mixtio, ſed mixtorum comparatio, tametſi re ipſa, & ſubiecto finitima ſunt, & plurimum conſentiunt elementorum mixtio, & eorum proportio; rationibus tamen illa diſiuncta ſunt. Non deſunt, qui temperamentum à mixtione, hoc diſcrimine ſeiungant, quòd hæc maximè elementorum propria ſit, illud verò qualitatum. nos autem illa tametſi quodammodo adinuicem ſequi videmus; ſic tamen iuncta ſunt, vt neque mixtio citra efficientium qualitatum operam, neque ſine elementorum omnium ſubſtantia, temperamentum induci poſſit; non enim ſi quis aquam & ignem paribus quodammodo portionibus coïre ſtatuat, & coaleſcere, mutuáque pugnantium qualitatum vi, temperationem quandam inferri, ea protinus temperamenti rationem ſubeat; vt neque ex duobus illis facta perfuſio, exacta mixtio cenſeatur. perfectum enim non eſt, ſed inchoatum, atque mancum, quod ex duorum triúmve duntaxat elementorum connexione fit, cuiuſmodi eſt plurimum genus eorum, quæ ex ſublimi deturbantur, μετέωρα Græci vocant. Quocirca temperamentum concentus quidam eſt quatuor ptincipum qualitatum, ex omnium elementorum permixtione. Hanc temperamenti rationem cum minimè perſpiceret, nec ſatis animo complecteretur Auicennas, ſubabſurdam commentus eſt definitionem, qua primarum qualitatum effectione mutua, quæſitam qualitatem, eámque ſimplicem emergere confirmat; quæ vna ſuperſtes, reliquis in congreſſu pereuntibus, omnium vires poteſtate complet, eáſque quaſi ſuo ſinu complexúque recipit.

Id autem,

Id autem, quàm abſonum ſit, quámque ſecum pugnet, hoc in primis patefacit, quod fieri nequit, vt omnes per actionem qualitates diſſolutæ euaneſcant, neque non ea tandem ſuperet, quæ validior cùm eſſet, conflictus principia dedit. ſed eſto, donemus hoc exorto temperamento, omnes illas periiſſe; quæ nam tunc reſtabit in genito corpore contrariorum pugnantia? Si plura illi non inſident, eáque contraria, qui fiet temperamenti per ſingulas ætates conuerſio, quæ inſita illi erit cauſa morbi, ſenij, mortis? Adde quòd neque dum corpus diſſolutione occidet, poterunt ſimplices naturæ in vniuerſitatem recurrere, ſuis inſtructæ qualitatibus; illas enim vnde ſibi reſument, quæ iam diſſipatæ in compoſito non manent? Itaque nouam illam qualitatem pro temperamento inuehere, cùm vanitas quædam ſit opinionis, quæ multorum animos imbecilles diu multúmque vexauit; nos clariſſimorũ Philoſophorum imitatione, vt elementorum ſubſtantias, ſic omnino, & qualitates in compoſito teneri fatemur, & harum perfuſione, & concentu temperamentum conſiſtere.] Hæc ille.

Neque verò vt oſtendamus quàm à philoſophorum decretis hoc figmentum abhorreat, eundum nobis eſt longiùs per omnes auctores, omnium nomina obſcurauit excellens, & illuſtre Ariſtotelis lumen, vni Ariſtoteli à multis iam ſæculis reliqui ſubmiſere faſces; cui ſi Bellantij nugamentum aduerſari conſtiterit, infinitum ſine dubio ſapientum numerũ aduerſum habuerit. Ariſtoteles igitur libr. 4. Meteor. cap. 2. quod facit generationis mixtorum principium? qualitatem cœlitus demiſſam? nihil minus. [Generant autem (inquit) calidum, & frigidum dominantia materiæ, cùm autem non dominantur ſecundùm partem quidem, inquinatio, & inchoatio fit.]

Infrà: Putrefactio autem eſt corruptio eius, quæ in vno quoque humido propriè, & ſecundùm naturam caliditatis, ab aliena caliditate; hæc autem eſt quæ ambientis putrefactio quæ eſt ſolutio proprij temperamenti, eſt corruptio non qualitatis cœleſtis & arcanæ ſed natiui caloris.]

Idem lib. 2. de generatione, tex. 7. & 8. lib. 2. de partibus animalium cap. 1. calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem, ea ratione docet eſſe primas qualitates quia ab his reliquæ dependent, & his ſolutis cæteræ quoque euaneſcant neceſſe eſt; vbi itaque eſt iſtud cœleſte temperamentum, quod non agnoſcit harum qualitatum principatum, quid poterat fingi Ariſtotelis principiis magis repugnans? Verùm non aduerſantur ſolùm Ariſtotelis decretis; ſed multò magis experimentis, & rationi.

Per quotidiana namque experimenta videlicet, diſſipata primarum qualitatum temperie, interire mixta omnia: ligna, lapides, carnes, igne exuruntur, non alia actione, niſi caloris & ſiccitatis: ſublata ſubſtantia mixti, & accidentia interire neceſſe eſt, ſubſtantiæ propria; nullum itaque eſt temperamentum, quod horum actioni non ſubiiciatur humor. item collapſus ex aqua, nónne putrefacit omnia, in quæ incidit? quod ſanè non faceret, ſi vllum eſſet temperamentum, quod non à primis qualitatibus, ſed ſolùm è cœlo originem repeteret. Oſtendant denique aliquid, quod primarum qualitatum efficientiam ſubterfugiat; deinde proferent temperamentum, quod à primis qualitatibus non ducat ortum. quandiu harum principatum videmus, non recipiet Philoſophia alias virtutes, quàm quæ his ſubiiciuntur.

Accedit eodem, quòd duo temperamenta, quando inducit Bellantius, cogitur

gitur fateri, poſſe eumdem hominem, & meticuloſum, & audacem, & imbecillum,& firmum,& mitem,& aſperum,& ſolertem,& bardum, eſſe naturaliter: cur enim duo inuenit temperamenta? niſi vt oſtenderet, aliam eſſe temperiem,quam è cœlo,aliam,quam ex elementis haurimus. Si in idem propellit vtraque temperatio; cur duplex fingitur? Vna ſatis eſt. At hæc contraria ſunt, & pugnantia. Dicent,opinor: Contraria in ſummo non poſſe conſiſtere,poſſe verò ſecundùm gradus remiſſiores? quomodo remiſſiores? Contraria enim in ſummo non ſunt,medium quoddam,ac temperiem faciant oportet. quare non erit idem audax,& timidus, ſed inter audacem, & timidum, medius, qui ſtatus optimus eſt,& proficiſci ex atra, flauáque bili mediocriter temperatis, nec deſiderat, aliud temperamentum cœlitus delapſum, quòd ſi ſit paulò audacior, quàm timidus; flauæ bilis vis maior id poteſt præſtare, vt opus non ſit viribus aliis occultioribus;cùm frigus,& calor variè temperati ad metuendum, & audendum valeant plurimùm.

At inquies vnum, & eumdem hominem experimur in quibuſdam actionibus melancholicum,in aliis colericum,in aliis timidum, in aliis audacem:eſto planè: ſed id vel extrinſecùs accedit per aduentitias cauſas, vt ſuprà diximus, vel ſi naturaliter inſit,cùm eiuſdem humoris multæ ſint actiones,non oportet conſimili, parique modo ad omnes eſſe expeditum. denique non vna eſt omnium membrorum temperies. quid vetat in corde redundare flauam, in cerebro atram bilem: ſpiritus vitales eſſe affabrè elaboratos, animales non item: alios neruos expeditos eſſe ad motum,alios implicitos, & malè grauatos?quid igitur mirum, ſi functiones aliquæ vnum, aliæ contrarium indicant, ſemper autem à contrariis illæ proficiſcuntur principiis, ſed hæc contraria temperies non in eodem eſt organo;ſed in alio,& alio. Si hæc ignoras, lege Galeni lib.2. de temperamentis,cap.5.& 6.

Item temperamentum primarum qualitatum eſtne à cœlo ſolùm, aut ſaltem præcipuè? ſi negas, ruunt Aſtrologicæ diuinationes ex ſyderum obſeruatione; ruit inſtrumentaria ſeruitus, qua omnes cauſæ ſublunares cœlo ſubiiciuntur ab Aſtrologis,vt ſuprà vidimus,cap.14. Si ais:quomodo ex iiſdē aſtris, eodem ſitu,atque ordine diſpoſitis,eodem loco,ac tempore,in eumdem hominem, & in eamdem hominis partem deſcendunt propenſiones ad contraria; vna per temperamentum primarum qualitatum;altera per arcanam quamdam qualitatem;vna per qualitates,quibus præparatur materia ad formas,altera per qualitatem, quæ formam ipſam conſequitur: quomodo ad auaritiam ſtellæ incitant hominem, immiſſa atra bili; ad liberalitatem verò ingenerata alia ſecretiore virtute?

Euanuit itaque duplex temperamentum,vnum primarum qualitatum, quo imbuitur materia, priùs quàm formam ſuſcipiat; alterum, quo inſtruitur forma ad ſua munia obeunda: nec enim contraria in eodem organo, & corporis parte conſiſtere poſſunt: & in diuerſis diuerſa principium qualitatum aut humorum temperies præſtare poteſt, quidquid ex ſecreta, & cæca virtute deducunt Aſtrologi.

* * *

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Rerum effectus mirabiles non commodè ab Aſtrologis referri in aſtra.

FAMILIARE eſt Aſtrologis effectus omnes mirabiles, ad quorum cauſas mens humana vel ægrè, vel ne ægrè quidem pertingit, qui naturæ obſcuritate inuoluti maximè ſunt, ad ſyderum efficientiam reuocare. Itaque contendunt vi ſyderum ingenerari rebus ſublunaribus agendi facultates illas ſecretiores, & admirabiles, quibus herculeus lapis ferrum, adamas electrum, pilos, & ſurculos ad ſe trahunt; echines piſciculus nauim ſiſtit, aut certè remoratur; hircinus ſanguis emollit adamantem; miluus, non elephas, gallinaceum pullum terret; hic verò leonem; Naſſi & Pſilli illæſi tractant ſerpentes: Theſſali faſcinant, quem laudant; & intuendo tabefactant pueros; neruis ac fidibus aliis pulſis alij reſonant vniſoni. Catablepha animal homines ad mille paſſus conſpectum necat, Rhabarbarum flauam, epithymum atram bilem, agaricum pituitam educit, Struthiocamelus ferrum, coquendo exterit, veratrum & cicuta hominem interimunt, non coturnices, aut ſturnos; Helleborum ex Plinio, lib. 23. cap. 5. medetur morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, inſanientibus, lymphaticis, elephantiæ albæ, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, ſtomachicis, ſpaſticis, iſiadicis, quartanis, quæ aliter non deſinunt, tuſſi veteri, inflammationibus, torminibus, redeuntibus, aliaque id genus innumera alia efficiunt.

Nos verò primùm, quamuis horum, aliorúmque, quæ breuitatis gratia præteriuimus, reddi cauſa non poſſit, ex vi primarum qualitatum, atque adeò opus eſſet abditis aliquot facultatibus; eas potiùs (cùm incerta res ſit) ex rerum formis, ac proprietatibus, quàm è ſtellis eſſe deducendas, exiſtimamus: comitantur enim huiuſmodi vires, certas ac definitas formas, putà Herculei lapidis, adamantis, ouis, pulli, milui; atque ita comitantur, vt ſine illis numquam ſint: euaneſcere vim Rheubarbari, Magnetis, cæterarúmque, temporis diuturnitate compertum eſt; retundi vires magnetis allio, experimentis didicimus quotidianis: vis tamen illa, niſi in magnete non reſidet. Cur igitur non exiſtimemus à forma magnetis, illam naſci, niſi impediantur ab aliquo contrario? cur repetimus potiùs è cœlo? quis aſtris ipſis, & cœlo indidit tam miras, & arcanas vires? quid ſequitur Saturni arcana vis? nónne formam? nónne ſui orbis naturam? & negabimus ex magnetis natura profluere vires magnetis?

At eſto; non ſequantur huiuſmodi vires, formas ſubſtantiales, nec primarum qualitatum temperamentum, an propterea ingenerantur ab aſtris? vnde, aut qua dialectica id conficit?

An ſi nihil queam diſputare, quamobrem ſcamoneæ radix ad purgandum, Ariſtolodica ad morſus ſerpentum valeat, continuò ad aſtra ſuffugiam? Quomodo cœlum in Helleboro incluſit tantam poteſtatum copiam; quomodo ita copulauit, vel diſtinxit, vt vna alteri non officeret? quomodo tot virtutibus congruentè ſedem materiámq; parauit? Eſt fortaſſe in natura ſatis certa cauſa, cognitioni autem hominum obſcurior; cur hæc ita fiant, neſcire me fateor: à

cœlo non effici perſpicio. Certè animantium proprietates è cœlo non defluūt; daret enim cœlum inanimum vires animali, quas non habet, efficeret aliquid, quod neque actu, neque poteſtate continet; quid pugnantius cum Philoſophorum decretis? cum Ariſtotelis potiſſimùm? Ad intelligentiámne confugies? non ſatis munitum perfugium, non ſentit, non vegetatur, definita eſt quodam genere, nuda mens eſt, vnius motus eſt cauſa, præterea nihili.

Deinde cœli vires, quibus formarum proprietates procreari dicuntur, perpetuóne præſtò ſunt aëri è cœlo demiſſæ? vt ſi quam paratam materiam nanciſcantur, in eam inuadant continuò, aliis prætermiſſis? an ſub certa ſolùm ſyderum conſtitutione fluunt non quocumque tempore? Hoc poſtremum conuellit quotidiana experientia: nulla enim ſit dies, nulla nox, nulla diei, noctíſque pars, qua innumerabilium rerum genera non gignantur, terra, mari, libero cœlo, quónam pacto tam multiplices vires, quolibet temporis momento cœlum habet paratas, quas tam diſſidentibus rerum proprietatibus: Quid denique agitis, vt vnum aliquem ventum, pluuiam, conchyle, margaritam generetis, certum ſydus expectandum dicitis, quia non quorumcumque aſtrorum ea poteſtas ſit, vt efficere poſſit margaritam, lapidem, & huiuſmodi; ad gignendas autem tot rerum proprietates, tam diſſimiles, & planè contrarias, tam admirabiles, & prorſus arcanas, quemlibet cœli ſtatum, quamuis ſyderum congreſſu parem eſſe affirmetis? quid ſupereſt, niſi vt Ptolemæum etiam magiſtrum deturbetis de cœlo, quòd tot ſyderum configurationes, fines, retrogradationes, ſtationes, dominatus, familiaritates, domos, altitudines, triangula, adaptauerit; quòd tam multas ſtellis vires indiderit; quòd non quodlibet aſtrum, quibuſlibet progignendis idoneum eſſe docuerit, libro ſecundo de iudiciis? quàm multa ſunt in Genethliaca pugnantia? quàm ſæpe iam Genethliacos cum Genethliacis commiſimus? vt non minùs hæc diſciplina ſecum ipſa, quàm cum veritate pugnet. Immò quia cum veritate pugnat, cogitur ſecum ipſa diſceptare.

Primum illud obſcurum eſt magis: ſiue enim in aëre ſit vis ipſa magnetis, ſiue arcana alia virtus poteſtate eam continens, trahat oportet ferrum, non minùs quàm Herculeus ipſe lapis. nam quidquid eſt poteſtate, quale alterum, eóque dignius, & melius, præſtare poteſt, quod alterum: ſi patientis ſit æqua conditio: ita lumen terram calefacit, ſicut calor ipſe, & piper ſtomachum non minùs, quàm feruens polenta; quare ſi facultas magnetis in aëre ſit, aut actu, aut poteſtate, ferrum ſi affectum ſit, vt oportet, trahet ad ſe: idcirco enim vna virtus dicitur poteſtate talis, qualis altera actu; quia efficere idem poteſt, quod altera. Cur ergo aër non rapit ferrum, ſicut rapit vapores? Idem de electro, de adamante, de herbis, ſuccis iudicium: Eia Aſtrologe quando ægrotas, cur à ſeplaſiariis medicamenta quæris, quorum viribus morbū expellas? ſunt in promptu hæ vires in aëre, in cubili, in ſpiritu ipſo, quem ducis, eas tibi cœlum, tanquam diuina virgula compluit, cur times morbum? aut mortem? habes paratas omnium medicamentorum vires?

Adhuc, & illud miror in eodem aëre eſſe tot, támque diuerſas virtutes lapidum, metallorum, arborum, herbarum, animantium, pilorum, vnguium, ventriculi, hepatis, renum, inteſtinorum, neruorum, adipis. ô chaos indigeſtum! rurſúſne frigida pugnabunt calidis, humentia ſiccis; mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus? an contraria quoque amicè coaleſcunt caduceatore Aſtrologo?

Redite aſtrorum Magiſtri aliquando in gratiam, cum ſublunaribus cauſis; audite celeberrimum illud in Philoſophorum Academiis axioma: Qui dat formam, dat conſequentia ad formam. Et quid conſequentius quàm proprietates, facultateſque naturales proficiſci à natura & forma vniuſcuiuſque? ſi cœlum, vt latè docuimus cap. 15. formas non gignit, cur eas vires impertiat, quæ naturaliter ſequuntur formam: illa, quæ naturæ lege deuincta ſunt formis; non agnoſcunt alium auctorem, quàm formam, aut cauſam efficientem formam. quid nugamur inter aſtra? Colligatio illa naturalis, quæ inter formas, & proprietates intercedit maxima, abundè declarat harum virtutum principium.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Vnde rebus ſympathiæ & antipathiæ?

SVNT quidam plurimarum rerum conſenſus, ſunt & diſſenſus mirabiles, intereditque inter plurima mira quædam cognatio, & coniunctio; inter alia diſſidium, & diſſenſio, de quibus Plinius libro 10. cap. 74. & libro 2. in procemio aggreſſurus hominum cibos. [Pax (inquit) ſimul in his, aut bellum naturæ dicetur: odia, amicitiæque rerũ ſurdarum, ac ſenſu carentium.] & lib. 36. cap. 16. [A marmoribus digredienti (inquit) ad reliquorum lapidum inſignes naturas quis dubitet in primis magnetem occurrere? quid enim mirabilius? aut qua in parte naturæ maior improbitas? dederat vocem ſaxis, vt vidimus, reſpondentem homini; immò verò & obloquentem. quid lapidis rigore pigrius? Ecce ſenſum, manuſque tribuit illi. quid ferri duritie pugnacius? ſed cedit, & patitur mores; trahitur namque à magnete lapide: domitrixque illa rerum omnium materia ad inane neſcio quid currit, atque, vt propiùs venit, aſſiſtit, tenetúrque & complexu hæret: ſyderitim ob hoc alio nomine appellant; quidam Heracleon, magnes appellatus eſt ab inuentore, vt Auctor eſt Nicander; in Iada repertus.] De quibus enucleatè diſputat Hieronymus Fracaſtorius libro de ſympathia, & antipathia. Horum quoque rationes Aſtrologi, quos Fernelius libro ſecundo de abditis rerum cauſis, cap. 2. ſequitur, ad aſtra ex more referunt; qua verò id probabilitate faciant, ſatis declarant ea, quæ ſuperiore capite ſcripſimus, quamuis enim nulla ratio explicaret, vnde vis hæc, & vnius rei in aliam tanta propenſio; ab alia tantùm diſſidium exiſtat, adhuc nihil eſſet cauſæ, cur ſtellarum opem imploraremus; ſi illæ tantis rebus impares ſunt: ſi ex varia earum conſtitutione, & commutatione continua adeò conſtantium, & vno ſemper modo ſe habentium rerum cauſæ non aptè ducuntur. Nunc verò phyſicam rationem promere decreuimus, eorum, quæ ſyderalibus machinis non poſſunt diſſolui, eius, quæ inter animantes intercedit, ſympathiæ, & antipathiæ rationem à fine petunt recentiores nonnulli; aiunt enim conſentire aut diſſentire animantes ob pabulum, ob Venerem, ob locum, ob paratam noxam, ob tuendam vitam. Leo ſiquidem diſſidet à Leone ob Leænam, & Venerem: Taurus à Tauro eadem de cauſa ob pabulum. Duplex eſt ſympathiæ, aut antipathiæ ratio: nam duæ animantes, aut diſſident, quia idem expetunt pabulum, vt mus, & muſtella: aut quia vna eſt alterius

eſca, vt lupus, & ouis: & quibuſdam mutuus eſt hic affectus. Eſt & quarta ratio; nam quædam paſtu arcent alia, tametſi eo non vtantur, vt canis lupum ab oue pellit, quam ipſe non attingit, ob noxam, quam ſibi ab alio timent, diffidunt multipliciter: aliter enim homo auerſatur ſerpentem, à quo ſibi mortem intentari autumat: aliter pediculum, à quo moleſtiam, non mortem timet: aliter inimicum, aliter illum, cum quo nihil habet rixarum; ſed auerſatur eius mores. Ob Venerem, eſt ſympathia inter marem & fœminam, & antipathia inter riuales exiſtit. Quotidie ad tuendam vitam, & aues, & aliæ animantes ſocialem vitam degunt, & gregatim incedunt. Verùm cauſa finalis nequicquam ſollicitas habuit Philoſophorum ſcholas; cauſa effectrix magis exercuit eorum ingenia; ego verò in naturæ officinis, in primarum qualitatum rationibus, vnde res omnes natura conſtantes exiſtunt, eam contineri exiſtimo.

Rerum enim omnium temperamenta, ex primarum qualitatum exiſtere permixtionibus in confeſſo eſt apud Philoſophorum gentem: has verò nemini dubium eſſe poteſt, variari poſſe modis innumerabilibus; quorum alij cognati ſint & amici; alij diſſimiles, ac diuerſi; alij contrarij: idque, vel parum, vel pluſculo, vel magis, vel plurimum. non enim contrarius eſt calor frigori cuicumque; ſed certus gradus cum certo pugnat; cum quo miſceri nequit, huic aduerſatur plurimum, cum hoc illi implacabile diſſidium. Hinc prima rerum diſſenſio. oriuntur enim hinc virtutes quædam arcanæ, & humanis ſenſibus inacceſſæ; quibus vna res cum alia pugnat; oriuntur pugnantes formæ. quamquam enim ſubſtantiæ nihil ſit contrarium, per ſe; ratione tamen harum qualitatum inter ipſas etiam ſubſtantias oriuntur amicitiæ, & inimicitiæ, familiaritates, & odia. Solet autem vnaquæque res quomodo affecta ipſa eſt, eodem aërem proximum afficere, idque vel propagatione eiuſdem qualitatis, ſiue tractabilis & manifeſtæ ſenſibus, qualis eſt calor, frigus, odor, & huiuſmodi; ſiue arcanæ, & occultæ, quæ à nobis non percipitur per ſe; patet verò ex effectu, qualis vis magnetis, adamantis, ſcamoneæ, aliorumque medicamentorum, vel emiſſione tenuiorum quorumdam ſpirituum, quos effundere corpora ſolent, quæ propterea diuturnitate temporis conſeneſcunt, & deperdunt huiuſmodi vires.

Hinc triplex ordo rerum exiſtit. Primus earum, quæ cùm diuerſæ ſint, nihil tamen ſibi nocent, vel officiunt inuicem; nihil inter eas eſt amicitiæ, vel inimicitiæ; propterea quod agendi, patiendique vis vnius, eodem modo temperata eſt, ac alterius: ſimile verò non pati à ſimili receptum eſt in ſcholis axioma. Quo in genere fulmen, aurum colliquat intacto loculo, cum quo agendi, patiendique proportione iungitur, non cum auro: tum vina abſumit, vaſe nequidquam læſo: eadem de cauſa adamas, non alio cum quo conſentit, ſed hircino ſanguine, qui impar eſt, molleſcit: qua de re Plinius lib. 37. c. 4. hæc ſcribit: [De diſcordia rerum, concordiáque quam antipathiam, & ſympathiam appellant Græci, non aliter clariùs intelligi poteſt: ſiquidem illa inuicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum, ferri, ignîſque contemptrix hircino rumpitur ſanguine; nec aliter, quā recenti calidóque macerata, ſic quoque multis ictibus, tunc etiam præterquam eximias incudes malleóſque ferreos frangens; cuius hoc ingenio inuentum? quóue caſu repertum? aut quæ fuit coniectura experiendi rem immenſi ſecreti, & in fœdiſſimo animalium. numinum profectò muneris talis inuentio omnis eſt, nec quærenda in vlla parte naturæ ratio, ſed

volun

voluntas,& cùm fœliciter rumpere contigit,in tam paruas frangitur cruſtas,vt cerni vix poſſint.expetuntur à ſculptoribus,ferróque includuntur,nullam non duritiem ex facili cauantes.Adamas diſſidet à magnete lapide,in tantum vt iuxtà poſitus ferrum non patiatur abſtrahi; aut ſi admotum magnes apprehenderit, rapiat,atque auferat.Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, motúſque varios expellit à mente. Alter earum, quæ contrariæ cùm ſint, parum,multumque nocent aliis, cum quibus nimirum ſimultates exercent.Quare nucis vmbra proximis ſtirpibus,& arboribus grauis eſt:tranſmittit enim noxios quoſdam afflatus.Hinc apud Ouidium:

Ne,ſata ne lædam(quoniam ſata lædere dicor)
Imus in extremo margine fundus habet.

Narbonenſis etiam Taxus ſub ea conſidentes lædit, & non raro necat.Baſiliſcus eos,quos oculis afflarit,aut ſibilo contigerit,momento interficit; Torpedo ſtuporem adfert piſcatori,etiamſi tantùm haſta tangatur;Braſſicæ,& Rutæ tantum inimicitiæ eſt,vt iuxtà ſeri nolint; nihil hîc de ſcorpionum, rabidi canis, aliarumque morſibus ferarum;nihil de medicamentis, vel antidotis, quæ morborum cauſas,vtputà ſibi inimicas, abigunt,vel auertunt. His etiam, qui argentea vaſa inaurant,ſolius hydrargyri vapore eouſque nerui emolliũtur, vt paralyſi laborare videantur. Concuſſo quoque tympano,quod è corio lupi cõflatum ſit,aliud ex agni corio confectum (tanta eſt harum animantium etiam poſt mortem diſſenſio)diſſolui perhibent:& alia id genus innumera.

Tertius rerum cognatarum ordo eſt, quæ mutuò ſe fouent, ac iuuant;quo ferè modo certis noſtri corporis partibus medici adhibent quædam, quibus priuatim iuuentur, roborentur,cõſeruentur.Hinc Euphroſinum herba cordi amica in paucis:de qua Plinius libro 25.c.2.aliáque plurima,de quibus Galenus libris decem,de compoſitione medicamentorum,ſecundùm locos,libris de locis affectis,Plinius libro 26.toto.Huc etiam fortè pertinent Pſilli, & Marſici, quibus angues blandiuntur; ficus,quæ alligatum ſibi furentem taurum manſuefacit;argentum viuum, quod aquam,& oleum ebibit;ſtatim naturalis quorumdam hominum neceſsitudo,atque animi propenſio, quá repentè in amorem,& odium quorumdam exardeſcimus,quos numquam antè videramus.

Hæc prona ſatis, illud explicatu arduum eſt, quo pacto magnes trahat ferrum longè diſſitum: muſtela educat murem è penitioribus latibulis: rubeta, de qua Plinius li. 32. cap. 5. muſtelam ex arbore quamquã vociferantem & auxilium vndique implorantem,deuorandam pelliciat;cerui ex imis terræ cauernis ſerpentes euocent:id quod tripliciter contingere poſſe video. Primùm nihil vetat è re quapiam virtutem aliquam accidentalem prodire, per medium, & rem longius diſtantem afficere,quæ ab ea apta eſt commoueri, non mediũ, quod alterius eſt naturæ,& modi. quid enim prohibet ex magnete vim aliquã accidentariam per medium progredi ad ferrum,quæ ferrum percellat,& agitet non plumbum, aut argentum,quod alterius eſt temperamenti?Simili vi Chamæleõ ſuperuolantem aquilam ad ſe rapit deuorandam. & rubeta quid ni fundat vim aliquam, qua non aliæ animantes, ſed muſtela quamquam inuita,& vociferans ad certum exitium pertrahatur?quidquid recipitur,per modum recipientis recipitur,vt eſt in Philoſophorum trito prouerbio. Deinde magna Philoſophiæ approbatione receptum eſt,omnes animantium motus, aut boni, aut mali opinione cieri;ſiquidem opinione magni alicuius boni præſentis, læ-

titia exiſtit & voluptas:opinione boni futuri,appetitio,& libido:opinione magni mali impendentis,metus,& timor: opinione mali præſentis,mœror,& triſtitia.Hi motus omnis proſecutionis,& fuge,animantibus cauſę ſunt,fugit ergo pullus miluum,ouis lupum, mus felem,præſenſione imminentis mali:rurſus ſequitur leo leænam,& equus equam, anteceptanotione venereę voluptatis.Non abibo longiùs.Hinc animantium ſimultates,& amicitiæ ob cibum,ob venerem,ob alios fines,de quibus ſuprà.

Opinionis & præſenſionis vim maximam non ignoramus , dicent aliqui, ſed ignoramus,quo auctore:quis enim in leone mali præſenſionem facit Gallinaceo gallo canente? Cur pullo non ingerit mali præſenſionem alia auis,niſi miluus? cur furenti Elephanti, repentè viſo ariete,ea exiſtit ſenſio,qua omnis furor concidit? cur ouis conſpecto lupo, triſtem ſenſionem concipit; cane viſo, non item? Cæterùm,ne id quidem ignorare poſſunt Peripatetici, qui docent res ſenſibiles per medium, & interuallum tranſmittere ſua ſimulacra ad ſenſum,quibus illum ad ſui ſenſationem commoueant:non modo propria,ſed communia etiam ſenſibilia, magnitudinem, motum,ſitum,figuram,quoniam hæc ſimulacra ſenſui repræſentant; quid mirum, ſi ouis in oculis, in geſtu, in figura, in ore lupi videt ſibi paratam necem ? quid mirum, ſi imminens auerſatur malum? Quod de oue,& lupo dixi,intelligo de mure,& fele,de pullo, & miluo,de lepore, & cane. quod dixi de nece, intelligo de aliis multis incommodis, quæ vna alteri animanti parat, circa pabulum,circa Venerem,circa locum,& huiuſmodi.

Denique tenues quoſdam ſpiritus emittere corpora ſolent, quibus afflant res etiam diſſitas,quæ propterea diuturnitate conſeneſcunt. Hoc modo crediderim baſiliſcum fundere venenum,eos, qui peſte laborant,inficere veſtes,domum,edulia: à ceruis necari ſerpentes , nucem ſubiectis ſatis obeſſe;Taxi vmbra necari animantes.ſimile quid ex ſerpentis, rabidique canis morſu relinqui in vulnere,veriſimile fit.

Ita de ſympathia,& antipathia diſputare poſſunt, qui phyſicas rationes ſequuntur.Nos verò ad Aſtrologos reuertamur; largiamur illis quod petunt.

Eſto, oriantur hæc omnia à cæca quadam & ſecretiori virtute ; vnde probabis hanc non naſci ex forma magnetis , adamantis, ſmaragdi, nucis , ficus, aliorúmque, aut ex primarum qualitatum temperamento? Quid magis decantatum eſt in ſcholis ſapientum , quam naturam quamlibet certas ex ſe fundere proprietates: quæ cum ſuo principio arctiſſimis coniunguntur neceſſitudinis vinculis? Doceant,qui ſecretarum virtutum cauſas è cœlo aptiùs,quàm ex elementalium qualitatum temperamento , aut rerum naturis duci contendunt, cur adamantis vires cœlum non fundat, aut in res omnes,aut in reliquos quoque lapides:cur magnetis vim non impertiat etiam aliis multis rebus, quæ ſimul cum magnete generantur? cur Euphioſino vim imprimat hilaritatis , non cæteris herbis? Vt ſe in omnem partem vertant,nihil aliud reperient,quod reſpondeant,niſi cœlum diuerſimodè afficere adamantem ; magnetem, ſmaragdum,nucem,ficum,braſsicam,rutam,pro varia eorum natura,pro varia elementarium qualitatum temperie:Cur ergo non putamus ex primis qualitatibus, & rerum naturis oriri has virtutes? quid cogit nos admiſcere in earum ortu,cœli actionem,& efficientiam aliam, quàm quæ primis qualitatibus debetur ? quocumque Adamas generetur ſub cœlo, quibuſcumque aſtris fulgentibus coagmentetur,

mentetur, eamdem vim, & facultatem ſortitur. Rurſus huic poteſtati tanta neceſſitudo cum adamantis natura intercedit, vt ab eo ſeiungi ſepararique non poſſit; & putamus à cœlo eam, non ab adamantis natura aut temperamento proficiſci: quid eſt deſipere, ſi hoc eſt ſapere?

CAPVT DECIMVMNONVM.

De criticis morborum diebus.

VOCANT morborum dies criticos, quibus ita commouentur humores, vt natura cum morbo acriter pugnet, in quo congreſſu, ſi illa debilior fuerit, victoria inclinet ad morbum; ſin fortior, æger vergat ad ſalutem. Non quouis morbi tempore cernitur hæc lucta, ſed certis quibuſdam diebus: Cùm enim vis quædam membris inſita, vt nocentia quæque repellant; Et, quàtum fieri poteſt, noxios humores demittant, duo hæc excretio, quæ criſis dicitur, neceſſariò exigit, vt & humor noxius, qui eiiciendus eſt, concoctus ſit, & præparatus. cruda enim, ſicut immitia poma, difficilè auelluntur. Hinc Hippocrates ſectione prima Aphoriſmorum, aphoriſ.22.

[Concocta (inquit) medicamentis aggredi oportet, & mouere non cruda.] & libro quinto Epidemiorum. [Subducere oportet ventrem, ſi materiæ ſint concoctæ.] Qua de re planè, cumulatéque diſputauit Celſus lib.3. cap.14. & vt naturam irritet; tunc enim illam acriùs eiectionem aggreditur, quando corrupti humoris ſtimuli vehementiores ſunt. Quamobrem Galenus in paroxiſmis, [& in ſtatu morbi, ait criſes præcipuè contingere, in paroxiſmis quidem, quia tunc corruptus humor naturam ſtimulat, ac pungit acriùs: in ſtatu verò, quia concocti iam, & ſubacti humores, quaſi matura poma, ſua ſponte decidunt. Contingit autem aliquando, vt natura magnis irritata ſtimulis amoliatur indigeſtos adhuc & peruicaces humores; ſed magno ægroti incommodo & periculo: aliquando vt ſubactos, & ritè præparatos abigat feliciſſimè, magnóque laborantis commodo, & bono. Hinc morborum critici dies, quibus nimirum criſes ſolent eſſe ſalutares. ex quibus decernere licet, quid de euentu morbi ſperandum, aut timendum ſit: & non critici, ex quibus nihil certi de morbo conjicere poſſumus, quibus ſi qua excretio fiat non criſis, ſed violentia quædam ſit, & impetus furentis naturæ, quæ cum morbo paribus adhuc viribus luctatur, & incerto pugnæ euentu.]

[Iudicia (inquit Galenus lib.1. de diebus decretoriis, cap.2.) ſeu criſes, omnibus diebus accidunt, ſed neque pares numero, neque ex æquali fide: hoc intercedit diſcriminis inter illas, quòd aliæ bonæ, aliæ malæ eueniunt; quædam cum pluribus, & difficilioribus ſymptomatis, & maiori certamine: nonnullæ ſtatim ab initio tutò inuadunt.]

Non vendito mea. Hæc omnia accepi ex Galeno lib.3. de diebus decretoriis, cap.8. [Nam perturbationis violentia (inquit) naturam ea, quæ moleſtant, etiam ante tempus propellere compellit: quippe virtus ipſa eſt alienorum expultrix, quemadmodum in opere de naturalibus facultatibus antea demonſtratum

ſtratum eſt. Tempus autem actionis poſt finem alteratoriæ facultatis eſt:tunc enim functionem obire omnibus ſecundùm naturam abſolutis oſtendebatur, cùm illa ab actione deſierit.verùm ante perfectam concoctionem interim,quę offendunt amoliri cogitur, vt interdum concoctione iam abſoluta, moratur adhuc,& lentè propter imbecillitatem munus ſubit. Vtrumque autem in ventriculo clarè licet contemplari: inſtigatus enim concoctionis tempus non expectat;ſed protinus etiam idoneum, cum eo, quod moleſtat, excernit,& vbi iam ſatis concoxit,interdum lentè ac cunctanter ſuperfluum imbecillitatis vitio expellit; ac cum naturali habitu fruitur,perfectæ concoctionis tempus ipſius recrementorum expulſionis terminus eſt, quem neque præuertit, neque præſentem adhuc moratur.]

Quid porro ſit criſis,& quibus conſpicata notis, tradit idem Galenus lib.3. de criſibus,cap.2. [Sola (inquit) ſubita ad ſanitatem conuerſio, ſimpliciter criſis nominatur; & quidem omnino fit,per manifeſtas quaſdam excretiones,aut effatu dignos abſceſſus;quicumque enim aliter quieuerint,malignius retrocedunt:antecedit autem huiuſmodi excretiones & abſceſſus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis;nam & difficiles tolerantiæ,& difficiles ſenſus, dolores capitis,colli,& ſtomachi,& multorum aliorum membrorum;nonnullis verò aurium ſonitus,& vani ante oculos apparent ſplendores; & lacrymæ inuoluntariæ effluunt;& vrina retinetur; & labrum agitatur;aut aliquid aliud tremulum fit: obliuio,& præſertim ignorantia,& vehemens accidit rigor, & plurium acceſſio conſueta anticipat horas; & multus æſtus, ſitiſque intolerabilis ſequitur; clamant,& ſaliunt,ſicuti furentes; neque poſſunt in eodem ſitu recumbere,deinde repentè multus ſudor erumpit, aut vomitus aliquis nō paruus ſequitur,aut venter ſubitò ſoluitur, aut abundans fit fluxus ſanguinis, aut hæc omnia ſimul contingunt.vnde non paruus inuadit timor inſpicientes. Et quiſpiam homo vulgaris,cùm iſtis adeſſet ipſe, te cogente, ita pronunciauit, quod iudicium tunc de vita ægrotantis ageretur. neque enim Medicorum aliquis primus inuenit id nomen,ſed omnino neceſſarium fuit,vt qui pręſens eſſet conturbaretur, atque adeò exclamaret; & criſin, id eſt, iudicium rem ipſam nominaret.decet autem Medicum generoſum, nec perturbari,neque futurum euentum ignorare;melius autem fuerit,ſi ſe ad prænoſcendam futuram criſin exercuerit:neque enim iſta dignotio quæ habetur de præſentis criſis euentu,multum diſtat à prænotione eiuſdem futuræ;ſed ex eadem contemplatione vtraque proficiſcitur.]

Atque his planè cumulatéque explicatis,alij dies ſunt critici, alij non critici, alij inter vtroſque medij critici ſunt 4.7.11.14.20.vel vt alij volunt, 21. ſed vigeſimum anteferendum eſſe vigeſimo primo, auctorem habemus Hippocratem,& Galenum libro 3. de diebus decretoriis c. 9. qui accuratiſsimè hanc controuerſiam diſcuſsit.

Non critici ſunt 6.8.10.12.16.19.22.25.quamquam 6. nonnunquam criticus videatur.

Medij ſunt 5. 9. 13. 17. 18. 24. quorum 13. & 17. ad criticos propius accedunt.

Præter dies criticos ſunt indicatiui;qui indicant,quid futurum ſit alio quodam die; nam quartus, indicat quid ſeptimus; vndecimus, quid decimusquartus,decimusſeptimus,quid vigeſimus moliatur.

Neque

Neque verò critici qui ſunt,ſunt æquè critici, ſed vnus alteri præſtat.Primas enim obtinet ſeptimus. Proximus eſt huic decimusquartus.Cæterùm cùm res hoc loco nobis ſit non ſolùm cum Genethliacis, ſed etiam cum medicis, cauendum eſt diligenter,ne non ſatis prouiſa,& explorata principia ponamus, quare hæc omnia ex Galeno audiamus, quem vnum noſtra diſputatio præcipuè petit.

De ſeptima enim die ita ſcribit libro primo de diebus decretoriis,capit.2. [Nam,quod in tot annis ſeptimum iudicantem ſubinde ſimul, & abſolutè, fideliter, manifeſtè, conſpicuè, & ſalubriter, ſextum è contrario ſemper viderim.]

De ſexto ibidem ait:[Iudicatur ſed cum difficillimis ſymptomatis, & periculo maximo,& ad hæc abſque fide,imperfectè, obſcurè, ſine notis & ad malum.]

Die 12.& 16. ibidem ſcribit , [In duodecimo,& decimo ſexto, nullum vnquam iudicatum vidi.]Rurſus c.5.[Non ſoluitur morbus duodecimo , neque decimoſexto.]

De octauo,decimo,duodecimo, decimoſexto, decimonono , idem ſcribit ibidem.

Contrà verò docet morbos ſolui die 3.4.5.6.7.9.11.14.17.18.20.

Rurſus libro primo,cap.4.[Qui quarto die ad peiorem ſtatum recidūt, plerique ſexto moriuntur.quo die ſi bona conuerſio contingat,ſeptima die, criſim expectandam docet.]

Denique eodem libro primo capite quinto, [Septimi(inquit)naturam decimus & quartus imitantur: maximè proximi his ſunt, nonus, vndecimus,vigeſimus; prope hos quintus,& decimus ſeptimus,poſt hos quartus. Hunc ſequitur tertius, & decimus octauus; at ſexti naturam nullus alius exactè imitatur. Si in octauum,vel decimum diem ſubita morbi ſolutio incidat,ſimilis ferè eſt ei,quæ in ſexto accidit.]Et libro ſecundo,capite ſecundo,[Quartus(inquit) ſeptimi, vndecimus decimiquarti, indicatiuus eſt.]

Eia Aſtrologi, res eſt explicatu difficillima, cauſa,quæ humores mouet per criticos dies potiùs, quàm per non criticos;Democriti profundo demerſa puteo deliteſcit penitus, altiſſimiſque naturæ occultatur tenebris. Ad occultas cœli vires,inſcitiæ aſylum confugite nuſquam:licuit maiori licentia aſtrorum abditas vires iactare:præclarum nacti eſtis locum,venditandi admirabiles ſtellarum & arcanas virtutes.Ita planè: id enim facit Carda. libro de iudiciis, cap. 15.libro de reuolutionibus , cap.9.Id facit Bellantius, id facit Donatus;nam in lunam criticorum dierum rationem referunt, quæ cæli ſigna decurrens humani corporis humores per ſtata tempora mouet.dupliciter autem cum lunę curſum metiamur, & per reditum ad Solem: quem menſem ciuilem vocant, & per reditus ad certum punctum Zodiaci, quem lunarem appellant menſem;vtroque menſe aiūt lunam per cœli quartos,& ſeptenarios dies commotionem, impetúmque rebus ſublunaribus afferre;ciuilis ſiquidem menſis, diebus 29.& horis ferè tredecim conſtat: quod tempus ſi in quatuor æquales partes diuidas, continebit earum quælibet dies ſeptem,& horas ferè nouem:quo tempore commoueri maximè res ſublunares teſtantur,& qui circa maritima verſantur,& qui ruſticam artem exercent, lunaris quoque menſis diebus 27. & horis octo conficitur. Quod ſpacium ſi item in quatuor æquas portiones diuidas,

quælibet ſeptem dies, & neſcio quid præterea hinc criſes per dies ſeptemnadios fieri, quod per ſeptem dies luna conficiat quartam Zodiaci partem; ſeptimus enim, decimus quartus, vigeſimus, vel vigeſimus primus, vigeſimus ſeptimus, maximè critici cenſentur. Poſt hos criticos eſſe etiam quartum, undecimum, decimumſeptimum, vigeſimumquartum, qui medij ſunt inter integros ſeptenarios, ſed præſtat hæc omnia à Galeno, qui Aſtrologorum dogmata ſecutus eſt, audire lib. 3. de diebus decretoriis, c. 5.

[Quemadmodum (inquit) annum integrum, Sol diſponit; ita Luna menſem, immutatione per ſeptimanas ei accedente: nam à prima apparitione ad dicatomum, & ab hac ad plenilunium, utrumque quidem per ſe tempus eſt ſeptem dierum; ambo verò ſimul quatuordecim. Simili modo, ſi inde ubi ipſa æquali portione menſem diuidit, uſque ad ſecundam dicatomum connumeraueris, ſeptem & hos inuenies dies: reliquos etiam, qui uſque ad abſolutam Lunæ occultationem ſunt ſeptem; cæterùm aërem nos ambientem magnas ſuſcipere mutationes, dum Luna primum occultatur, & rurſus primùm apparet, nemo mortalium ignorat; maximè ij, quibus hoc ſtudij eſt, agricolæ, & nautæ, qui ſtatum aëris tunc vocant, cùm Luna primùm apparens, ſecundum aliquem ventum ſtet. Quamobrem Aratus quodam loco veriſſimè ſcribit de Luna, ubi primum poſt coitionem apparuerit hoc modo inquiens:

Cynthia ſi cornu, quod ſe ſuſtollit in altum
Incuruum ſpecie, velut annuat adfore cœlo,
Sæua procelloſi prædicet fabro Aquilonis;
Rurſus eò veniet pluuius Notus. Hanc ubi partem
Pone ſupinari conſpexeris, hinc recliuem
Sponte habitum; verum ſi lumen tertius ortus
Proferat, atque Dea conuoluat circulus oras
Suffuſus rutilo, mox tempeſtate ſonora
Spumoſum latè pelagus caneſcere cernes.]

Quin etiam hæc in eodem libro ſcribit:

Non unum deprehenſa diem ſibi ſigna loquuntur:
Sed quæ ſigna nouo dederit nox tertia motu,
Quartave, ſuſtollit medios dum Cynthia vultus,
Durabunt cælo: medio quæ edixerit ore,
Altera prouiſæ ſignantur tempora Lunæ,
Illa dehinc; donec germani luminis ignes
Accedat Phœbe, menſis poſtrema notabunt.

[Non ad omne tempus, quod ab initio eſt, uſque ad finem primæ apparitionis ſigna ſufficere ait, ſed dicatomos, & plenilunij mutationes qualdam afferre. Omnis autem velox mutatio criſis appellatur, & ſtatum quidem in Luna falcata potiſſimum dicunt; deinde ad plenilunium transferunt, ſimiliter vocantes. Hoc enim validas vires etiam obtinet: hoc autem imbecilliores quidem ſunt ſemilunares ſtationes; attamè & hæ quoque de aëre decernunt. Quare menſem à Luna immutari ſecundùm ſeptimanas iam eſt perſpicuum. Quòd autem aliæ res uniuerſæ inde quoque mutantur, omnibus non perinde conſtat; ſed iis qui huiuſmodi accuratè obſeruarunt, in confeſſo eſt. Adhæc poſt ſeminis conceptionem, omnis impregnatio inſuper nihilominus, hoc, & poſt partum adauctio. Item omne actionis initium magnas alterationes in ſeptimanos

circui

circuitus obtinet.quæ namque quotidie omnibus,quę ſubſiſtunt,incidunt;horum cauſam Luna habere obſeruata eſt, maximáque tetragonis, & diametris ſtationibus,ea immutans. Nam ſi Luna in Tauro exiſtente, ſemen concipiatur, vel partus,vel omnino alterius cuiuſdam principium contigerit; magnas eius mutationes faciet, quando ſigniferum percurrens in Leone,Scorpio, & Aquario fuerit.Verùm in Leone tetragonos, id eſt, quadrata ſtatio ſeptimanæ vnius exiſtit; in Scorpio diametra, dicas ſeptimanas habet: ita quoque in Aquario ſecunda, quadrangularis ſtatio in tertiam ſeptimanam procedit; idque neceſſario;quod Luna, ſicut ante diximus, vicenis diebus, ſeptenisque, & particula quadam adiecta maximè tertia diei parte,vniuerſum ſigniferi ambitum peragit.ſi namque in toto tempore totum orbem pertranſire oportet, conſtat quartam ipſius partem in ſeptem propè diebus eam expedituram.]

Propterea huius rei admodum meminiſſe ad futura conuenit;nempe Lunæ tranſpoſitionem tetragonem, non diebus ſeptem integris circumſcribi; hæc quidem generatim de Luna. Sed eodem libro capite ſecundo ita ſcribit.

[Omnium certè ſuperiorum aſtrorum potentia fruimur: verùm qui maximè hunc orbem exornat, & concinnat, & diſponit,eſt Sol:quippe veris,& æſtatis, autumni,& hyemis auctor alius nemo eſt:nec alius tam manifeſtò, vel ex terreſtri limo, animalia generare poteſt: neque fruges maturare, neque ad coitum,& generis propagationem animãtia prouocare.Magna ſanè, & Lunæ opera in hanc rerum ſubſtantiam apparent. Verùm Solis effectibus poſteriora. etenim mentes hæc perpetuò diſponit,idque euidenter adeò,in marinis animalibus; quamquam & hoc ipſum Solis beneficio habet: nouum enim ipſa lumen ſortitur, cum Sole primùm fruitur. Tanta verò eius portio ſemper illuminata eſt, quantum Sol aſpicit: prorſus autem deficit, luciſque expers redditur,vbi terra ſuo interuentu ipſam obtenebrat.Quapropter, vt illa diſtat à Sole, omnes mutationes ſuſcipit: Etenim plena eſt cùm diametra eſt: æqua portione diuiſa,ſeu ſemilunaris, & dicatomos,cùm quadrangula eſt: vtrimque gibba,cùm triangula eſt, & falcatam ſpeciem refert, vbi ſexangula eſt:atque tunc primùm noua eſt,cùm poſt Solis congreſſum apparet: obſcura omnino, cùm Solis lumine circumuallatur.Igitur fructus auget, incraſſatque,animantia implet,adhæc menſtruorum tempus mulieribus conſeruat: item comitialium circuitus cuſtodit,indéque Solis plus,vel minus participat: omnia ſiquidem, quæ facere nata eſt, vbi falcis figuram repræſentat, languida fiunt: valida omnia,cùm plena fuerit.quapropter & fruges interea auget, maturátque celerrimè:mortua corpora putrefacit:ſomno ſopitis ſub eius lumine, vel aliter diutiùs immoratis pallorem,& capitis dolorem conciliat. Vt igitur Luna Solis auxilio in omnibus indiget: ita Sol ad nullam rem maximam, vel alterius cuiuſdam aſtri, vel ipſius Lunæ operam deſiderat.à nullo enim impeditur, quominus æſtatem faciat: cùm in vertice noſtro conſtiterit: aut frigus adducat, ſi humilis feratur; aut æquinoctium vtrumque diſponat,ſi mediocriter obliquus ſit.Sed ipſe veluti Rex quiſpiam maximus eſt:Luna verò, vt Hipparchus, quaſi ſub Principe dicas,non exiguus.Inter illum enim, & nos media conſtituta, terreſtrem regionem meritò gubernat:non potentia cæteros planetas, ſed vicinitate exuperans. huius rei gratia omnino frigus locum noſtrum occupat, cùm Sol ad hyemales plagas declinauerit: tunc calor omnino nos exercet,vbi ſupra verticem noſtram,aut prope ipſam fertur.Luna vel particulares cuiuſque

menſis dies diſponit, paruæ mutationis facultatem habens, eámque non ſimpliciter ex ſe, verùm ex Solis aſpectu conſequitur.]

Hæc verboſè ſatis, Græcorũ more Galenus ſequitur, & capite tertio his verbis: [Vehementiores itaque mutationes eueniunt, vbi ipſa cum Sole coit.]

[Inſuper in apparitionibus plenilunij minores his contingũt dum dichotomos ſeu dimidia apparet imbecillæ; dum vtrimque gibba, & falcata videtur, nam validiſſima eorum, quæ priùs erant, mutatio committitur, dum Luna cum Sole coit, ac eius lumine circumuallatur. quippe quæ priùs apparebat, nũc nulli conſpicitur: deindę diametra Lunæ ſtatio tanquam diſtinguens, in bináſque partes ſecans contrarias maximæ Lunæ diſpoſitiones, aliarum omniũ eſt validiſſima: quæ verò incrementorum diminutioni maximè ſit cótraria diſpoſitio oſtendere non eſt opus. deinde poſt hunc congreſſum, & plenilunium, duo dichotomi, medium vtraque ſecans augmenti tempus, priore diminutiones, altera verò omnium extremæ imbecillæque aëris nos ambientis conuerſiones in falcatis, & vtrimque gibbis apparitionibus fiunt, magis autem in vtrimque gibbis, nulla ſiquidem in eis magna mutatio, ſicut in falcatis apparet. Quare nec ſtratus malè ipſas neglexit, tanquam imbecillas exiſtentes: conuenítque eos laudare, qui de eis ſcripſerint, tanquam ne, vel minimum quidem omittentes. At in pleniluniis conuerſiones, & his adhuc magis in congreſſibus proprium hoc præter cæteras habent: illa ſiquidem celerrimas ſtatim mutationes faciunt, congreſſus vero inæquales & diuturnos. Quid autem ante Lunam apparentem manifeſtò pronuncies, non eſt. longum autem hoc tempus occultationis eſt: integri ferè bigoni ſpatium explens, mutationem verò ex incremento ad diminutionem, punctum exactè definit: liquétque hoc Lunam momentaneo tempore pertranſire. Itaque verè celeres plenilunij mutationes ſunt: diuturnæ coniunctionales: nam occultationis tempus ſibi ipſi ſimile eſt, & primæ apparitionis tempus occultationi vicinum eſt; tum propter paruitatem eius particulæ, quæ de tota Luna apparet; tum ob luminis imbecillitatem; tum ob breuitatem temporis, quo ſupra terram fertur.] Pergit etiá, capite quarto, & ad rem propiùs accedit.

[Tota (inquit) criſis euadet, cùm in toto menſe, ſtatus in ſecundo die accidit, quo primò, & manifeſtò Luna, & longo ſatis tempore ſuper terram iam apparet; & lumen ſenſile de ſe emittit, adhæc vmbram euidenter oſtendit. Primus autem dies tamdiu Lunam ſupra terram vagantem habet, quamdiu is adhuc quoque Solis lumen, quod poſt occaſum eſt, retinet. Quare in hoc Luna ſimul cum Solis lumine occidit; ſæpe verò & prior eſt occidua. Primùm verò manifeſta in ſecundo die, nunc quidem magis, nunc verò minùs. atque hoc ei accidit, tum longitudine à Sole receſſus, qui ob peculiarem Lunæ motum fit (non enim ex æquo ſemper mouetur,) tum propter ſignorum occaſum non æquali tempore euenientem. inſuper ob præteriti congreſſus tempus. Vnde non ſemper vnum tempus eſt, quo clarè Luna conſpicitur. ſæpiſſime autem triduo, in ortu Solis remorata, planè inuiſibilis eſt; quo nondum hæc terrena immutare poteſt; & quodammodo tempus eſt, tum peculiaris eius circuitus, tum in nos actionis, in idem recidit: etenim circuitus vicenis diebus ſepteníſque, & tertia fere diei parte peragitur: in tanto enim tempore ſigniferi circulum percurrit: vt quo nobis luceſcit circuitus, quod is quoque eidem conueniat, numero planè intelliges; ſi occultationis tempus de toto menſtruo eximas; quod autem

menſtruum

menſtruum tempus non omnino triginta diebus conſtet, ſed minus vnius diei ferè dimidio, Hyparchus integro vno libro demonſtrauit, quin & vulgus iam propè vniuerſum nouit menſium, alium, quem κοῖλο Græci nominant, quaſi mutilum & imperfectum dies viginti nouem continere; alium nempe abſolutum, triginta: Nam vniuerſos amborũ dies quinquaginta & nouem eſſe oportet: ſi quidem vterque omnino triginta: minus dimidia diei parte continet.]

Rurſus capite octauo: [Neque (inquit) ſeptimi, vel quarti numerus criſis auctor eſt, ſed quòd Luna innouante, & immutante terrena, motuum quoque circuitus ad hos principes numeros venire contingat: meritò in ipſis tanquam ſtata alterationum tempora inueniuntur; quippe non à numeris, ſed à Luna mutationes terrenis adueniunt: at cum motu mutans conſiſtat, tempus mutationibus neceſſariò coniunctum eſt. Quare etiam numerus neceſſariò, non igitur, quòd omnis par numerus fœminam, impar maſculum referat, auctorum iudicia, imparibus diebus accidunt: neque enim impar abſolutè pari fortior eſt, neque ſi fortior, ideo fœmininus imbecillior, neque ſi fœmininus quidem hic, maſculus aut alter ſit acutos morbos in maſculinis numeris iudicari, diuturnos in fœmininis rationi conſentaneũ eſt. omnia ſi quidem, quæ de numerorum virtute nugantur, tam facilè abſurda eſſe deprehendimus, vt mihi ſubinde mirari ſubeat Pythagoram illum ſapientem virum numeris tantum tribuiſſe: atque nunc aduersùs ipſos etiam nobis nugari non vacat. nam ſatis eſt ad rem inſtitutam terrena Lunam alterare, & in ſeptimanis potiſſimùm magnas parere mutationes: pòſt in quaternionibus exiguas. adhæc criſim acceſſione plurium indigere. Item acceſſiones tertio quoque die in morbis acutis euenire; his etenim ſubiectis acutos morbos in imparibus diebus magis ad iudicium tendere neceſſitas erit; huius rei gratia tertius & quintus meritò decernunt: non ex Lunari circuitu decernendi potentiam ſortiti; ſed vel ob violentiam acceſſionis, tertius criſim quarta die futuram præuertat: vel & per Iouem quod natura, dum quarto die lapſa nec incitata conquieſcit, quinto ad iudicium commoueatur; nam hic vero decretorio tardiùs venire, tertius paulò magis anticipare conſpicitur, atque ambo criſim obtinuiſſe, quod vicini ambo vere decretorio acceſſiones ſuſceperint. Iam verò & nonus inter duos decretorios ſeptimum & vndecimum medius, vel non factum in ſeptimo die iudicium, vel vndecimo futurum, ipſe ſibi vendicat, rariùs quidem ſeptimi diei propria criſis, non ad nonum modo pauci errores commiſſi ſint, vnquam peruenerit. ſed hoc libris de criſibus declarauimus; vndecimi verò è contrario, cùm & exactè omnia geſta ſint, & violenta noni diei acceſſio inundat. Porrò iudicia in huiuſmodi diebus propter acceſſionem vehementiùs incidere clariſſimè demonſtrat, quòd videlicet in diuturnis morbis non ſimiliter eueniunt: ſicut enim acceſſionum vehementia, ita dierum quoque coincidentium numerus in illis exoluitur: ſic quoque acceſſionis vehementia criſim, quam ſtato tempore fieri compellit. Quare in omnibus ferè diebus per acutos morbos iudicari videre licet, quoniam vltimus ipſorum dies decretorius eſt ſeptimus; & ante hũc non quartus modò, ſed & tertius, quintus, ſextus aliquãdo decernũt.]

Iterum capite nono. [Cur autem vigeſimus & vigeſimusprimus multò magis viginti decernat, explicabo. Primùm, quoniam huiuſmodi morbus diuturnus iam eſt: ipſas acceſſiones dies pares accipiunt, deinde quòd ſeptimana, verè integris ſeptem diebus conſtat, nouit hoc quoque Hippocrates, cùm enim

dixiſſet in opere prognoſtico; hi verò ex acutiſſimis morbis per 24. ex additione perueniunt,his ſubiungit. Verùm huiuſmodi ſupputatio per integros dies, nimirum fieri non poteſt,quippe cùm nec annus,nec menſes ipſis integris diebus numerari poſſint; vt igitur annus ad 365. dies particulam diei maiorem quarta adiectam habet: tum menſis ad 30. dies abſoluendos, cuius dimidium deſiderat; ſic & ſeptimana ſexta diei parte,vt ſeptem integros habeat,indiget. quamobrem fit,vt tres ſeptimanæ non vnum, & viginti dies integros,ſed minùs ferè tota dimidia parte vnius conſequantur, ob quod etiam numerus huiuſmodi, non magis 20. quàm 21. diebus vicinum vtrique parti conuenire videas:nam cùm totus lunaris circuitus 27. diebus minùs ſex ſtante, conſtet, tres ſeptimanæ viginti dies, & dimidium habebunt: quoniam igitur viginti exactam periodum propinquam ſibi vendicat, tales iam morbi inueteraſcũnt, & acceſſiones paribus diebus accipiunt, quorum verò acceſſiones in imparibus eueniunt;horum & iudicia ad 21.delabuntur. Non ſolùm autem Lunæ circuitus, ſed & menſtruum tempus apparitionis, virtutem quamdam in nos poſſidet, vti priùs docuimus: ipſe enim ſigniferi circuitus accõmodatiſſimus eſt, vniuſcuiuſque rei propriis principiis:menſtruale verò tempus,quo Luna conſpicitur, ambientem,nos aërem immutãs, omnibus ex æquo hominibus communem effectum oſtendit. demonſtratum eſt autem, & hoc tempus 27. dies propemodum continere,ideóque ſeptimana eius minor adhuc priùs dicta meritò euadet,ſiue enim à 30. tres illos,qui circa coitionem ſunt,dies; in quibus nihil adhuc de aëre decernitur,auferre cogites;ſiue à 29. & dimidio,reliquum tempus,quo Luna manifeſtum de ſe lumen præbet,priori modo 27. dies,altero 26. & dimidium habebit: quomodo ergo mutationes corporibus noſtris accidere diximus, quaſdam proprias, quaſdam communes; proprias, quæ tanquam ad propria principia ſpectent:communes, quæ ad communem ambientis vſum.]

Addit cap.6. eiuſdem libri, facere ad rem, quo quiſque ſub cœli ſtatu, & ſub quibus ſtellis ortus, aut procreatus ſit. [Fingamus enim (inquit) homine quodam naſcente,ſalutares planetas in Ariete,malignos in Tauro eſſe; is cum Luna in Ariete,in Cancro,Libra,Capricorno fuerit,pulchre deget: cùm verò Taurum ipſum,vel tetragonum aliquod,vel diametrum ſignum occupat:malè tunc, & moleſtè vitam tranſiget: atque morborum initia huic, cum Luna, in Tauro,Leone,Scorpio,Aquario fuerit,peſſima: ſine periculo autem,& ſalutaria ſunt,cùm Arietem,Cancrum,Libram,Capricornum,Luna permutat. Ad hæc alterationes magnas,quas in tetragonis, & diametris, per ſeptimanas fieri diximus: in lethalibus quidem morbis lethales & ipſas, in ſalutaribus bonas euenire neceſſe eſt.] Hæc Galenus.

Crediderim Galenum his locis Aſtrologorum placita deſcribere voluiſſe, nihil propria ſententia conſtituiſſe: vix enim adduci poſſum vt credam clariſſimum Medicorum magiſtrum ad prima medicinæ & philoſophiæ principia offendiſſe, adeóque allucinatum fuiſſe,vt neque cum experimento, neque ſecum conſentiat.

Primùm quidem per nouilunia maximas à Luna concitari mutationes, ſcribit,libro 3. cap. 4. [Sæpiſſime autem (inquit) triduo in coitu Solis remorata, planè inuiſibilis eſt, quo tempore nondum hæc terrena immutare poteſt.] Et cap.9. eiuſdem libri. [Quamuis Luna 29. diebus & dimidio conficiat orbem,

viginti

viginti & ſeptem diebus menſem lunarem conſtare,non 29. & dimidio: & 27. diem eſſe, decretorium non 29. propterea quòd detractis tribus diebus, quibus Luna cum Sole coit, quibus nullas fermè vires habet, 27. dies ſuperſint, quibus illa inferiora commouere ſolet.]

At contingit quam frequentiſſimè, vt dies morbi 7.14. 21. 27. qui ſunt maximè critici, incidant in 28. aut 29. Lunæ. Criſes igitur, quæ his diebus contingunt, non fiunt ſemper Luna auctore. Rurſus euenit ſæpiſſimè vt 7.14.21.27. Lunæ, quibus illa maximos his inferioribus ciere ſolet motus, incidant in 6. diem morbi, quo Galenus ſcribit, nunquam contingere bonam criſim: quam ergo habet criſis cum Luna conſenſionem?

Quid? illa mediocritérne pugnant, quæ capite quarto tradit, non æquali ſemper temporis ſpatio in coitu cum Sole, Lunam deliteſcere: ſed interdum diutiùs, interdum minùs diu; cum iis quæ capite nono ait, perpetuò ex menſe Lunari detrahendos eſſe tres dies occultationis; ideóque ſemper vigeſimum-ſeptimum, nunquam vigeſimumoctauum, diem eſſe criticum?

Quàm præclarè nugatur capite octauo. Tertium diem ait eſſe decretorium, quia futuram quarto die criſim præuertitur; quintum quia eiuſdem quarti diei criſim remoratur; vndecimum magnas obtinere vires, ex eo quòd medius ſit inter 7. & 14. non quòd per ſe decretorius ſit. Rurſus nonum criticum eſſe, quòd inter duos decretorios per ſe 7. & 11. medius ſit; & quòd vndecimi, aut ſeptimi diei criſin ſibi vſurpet: cur vndecimus non vſurpat, potiùs iura noni? Cur octauus nō vendicat ſibi criſin ſeptimi? cur duodecimus, quem nunquam eſſe decretorium ſcribit Galenus, non aſſumit vllius alterius vim, & poteſtatem?

Adhæc vis fieri criſes per dies ſeptenarios, ex eo, quòd per ſeptem dies Luna conficit quartam Zodiaci partem, quæ ſolet eſſe ratio earum mutationum, quas tu ipſe capite quinto refers, ex Arati, & agricolarum præſertim obſeruatione? hoc perpetuum eſſe nequit, cùm non omnes ægrotare incipiant in nouiluniis, vt ſeptimus morbi dies in ſeptimum diem Lunæ, & decimusquartus morbi, in decimumquartum Lunæ incidat: ſed contingit, criticos morbi dies, in quemlibet diem Lunæ incidere, vt ſuprà dicebamus.

Præterea ad quartas zodiaci partes non ſemper Luna peruenit, ſtato quodam ac definito die, ſed modò tardiores, modò velociores habet ad zodiaci ſigna reuerſus; quî itaque fit vt ſtatus, & certus ſit ſemper ſeptimus morbi dies, quem tantopere commendas.

Vel vis ſeptenarios dies, & criticos numerari, non à nouilunio, ſed ab initio morbi, quod velle videris, cap. 5. & 11. tunc enim ſolent morbi & humorum materies eſſe ita affecta, vt ad criſim aliquam commodè commoueri poſſit à Luna. At ſeptimus dies à morbi principio cadere poteſt in tempus, quo Luna eſt falcata; & quando feriari ais, nihílque in his inferioribus agere: incidere poteſt in tres dies nouilunij, quando nullas Lunæ eſſe vires doces cap. 3.

Deinde vigeſimus dies ſine dubio criticus eſt, & multorum quidem ſententia, & Galeni in primis, magis criticus, quoniam vigeſimus primus: at vigeſimus nullo modo pertinet ad ſeptimos dies Lunæ. Quid ergo nugamur, vel ſeptenariis Lunæ diebus, vel lunaribus quartis? Quod porrò Galenus ſcribit lib. de diebus criticis, c. 9. Lunam conficere quartam Zodiaci partem, ſeptem diebus, ſed non integris, ideo tres quartas non abſoluere vigeſima prima die,

ſed

ſed vigeſima cum dimidia;euertit totam dierum criticorum ſtructuram, à Galeno excogitatam: nam neque 20.neque 21.eſſent decretorij,deficiente alteri media die, in altero redundante,neque 27.ſed 26.criticus dici deberet, contra omnia Medicorum tabularia, contra quotidiana experimenta.

Poſtremò. Quoniam ais intereſſe quo quis genitus, vel ortus ſit horoſcopo:& illum qui in ortu malignas habuit ſtellas in Tauro, benignas in Ariete, meliùs habiturus Luna exiſtente in Ariete, quàm in Tauro:faciamus duodecimo die morbi Lunam decurrere ſignum ſalutare,erit etiam decretorius dies duodecimus,quem negas vnquam fuiſſe decretorium.

Miſſum facio Galenum,qui Aſtrologorum potius doctrinam, iis libris de diebus decretoriis,quàm ſuam deſcripſit, maluitque aliorum referre ſententias,quàm ſuum iudicium in re grauiſſima interponere; in quo laudanda magis eſt viri modeſtia,quàm ridendi lapſus,& errores.

Venio ad Aſtrologos, Bellantium præſertim & Gauricum, qui ab exordio morbi,non à coitu Lunæ cum Sole dies criticos numerandos docent, quibus humores à Luna commoueri exiſtimant.

[Aut Luna huiuſmodi vim, quæ humores exagitat ex ſe habet, aut ab altero, putà loco, aſpectu ſyderum, lumine. Si primum placet magis; cur decimaſexta? cur octaua die non idem præſtat, quod vndecima?,decimaſeptima? ſeptima? vno verbo: Cur vnus dies potiùs,aut magis criticus,quàm alius? An dicent quouis die Lunam ex ſe mouere poſſe humores;illos verò non eſſe ſemper huiuſmodi commotionum capaces, vel quia crudi adhuc, & peruicaces ſunt:aut quia non ſunt ritè parati? nihil ad rem: hoc ipſum quærimus; cur ſeptima die materia ſit ita affecta,vt moueri poſſit:octaua nó item?hoc eſt quod diſputamus,à quo præparentur humores in ſeptimum diem, in decimumquartum,in vigeſimum; cur ab eo, à quo diſponuntur, commoueri etiam non poſſint? cur exigant præterea Lunæ impulſum?]

[Si alterum ſequuntur libentiùs,aliunde eam vim Lunæ aduenire,non ſemper Lunam propellere humores, ſed aut quando eſt in certo loco; aut quando modo quodam ſe habet ad reliqua aſtra, vel quando tanto lumine à Sole completur. Faciamus hodie corripi febre Platonem,cras Socraté, poſtridie Ariſtotelem;& ſit idem genus febris:manifeſtum eſt octauum diem,qui Platoni non eſt criticus, Socrati eſſe criticum; vt ſeptimum,vndecimum diem, eidem Socrati qui eſt criticus, Platoni eſſe duodecimum, quem Galenus numquam ſe vidiſſe criticum teſtatur,neceſſariò ſequitur eidem Lunæ,in eodem ſigno exiſtenti, eamdémque cum reliquis aſtris poſitionem tenenti ſimul ineſſe vim criticam,vt ita loquar,& non eſſe ineſſe, quia Socrati auctor eſt criſis,& diem præſtat criticum: non ineſſe,quia Platoni diem duodecimum efficit,qui nunquam eſt criticus.] Pudétne adhuc Bellantium,& Gauricum Genethliacæ ſuæ? Dicent fortaſſe: quamuis Plato, & Socrates eodem morbo laborent, non eodem tamen die fieri criſim in ambobus.quod eiuſdem morbi non idem ſit modus,& gradus in vtroque,nec vtriuſque humores eodem tempore,ad eam proficiſcere temperationem, quam Luna commouere ſolet ad criſim: id verò ita paulò antè euertimus, vt conſtare nullo fulcimento poſſit. quando enim de criticorum dierum cauſa inſtituitur diſputatio, non ſuſcipimus ludicram diſquiſitionem;ſed quærimus, quæ ſit cauſa,vt quibuſdam diebus & fœlices eueniant criſes,& de ſtatu morbi ferri poſſit iudiciũ; in aliis criſes ſint inſalubres,

& de

& de morbo nihil certò conſtitui poſſit. hoc verò ſi oritur ex humorum præparatione, concoctione, & diſpoſitione, cauſa ceciderūt Aſtrologi: cauſæ enim præparantes, ſubigentéſque rebelles humores, ſunt ratio dierum criticorum, non Luna. Præterea quæ cauſa præparat humores ad criſim, eadem expellere poteſt, & debet, ſine Lunæ auxilio. Natura ipſa, inquit Galenus libro tertio de diebus decretoriis capite octauo, eſt alienorum expultrix, quemadmodum in opere de naturalibus facultatibus, antea demonſtratum eſt: tempus autē actionis poſt finem alteratoriç facultatis eſt: tunc enim functionem obire, omnibus, ſecundùm naturam abſolutis, oſtendebatur, cùm illa ab actione deſierit: non cœlum, non aſtra, non Luna, ſed natura concoquit, ſubiicit, diſponit humores noxios. natura itaque, non Luna expellere eos debet, & excernere.

At præcipuè dicet aliquis. Hæc ſanè diſputata ſunt; ſed ſi Luna non eſt dierum criticorum auctor, vnde tandem eorum cauſas eruemus? Non id agimus in præſentiarum, vt horum dierum cauſas aperiamus. Aduerſus Aſtrologos diſſerimus, quibus ſi probatum fuerit, non poſſe è Luna, & aſtris criticorum dierum probabilem deduci rationem, abundè, cumulatéque ſatisfactum erit.

Verùm ne quis iure meam deſiderare poſſit ſententiam, mihi vero ſimile ſit, id naſci ex natura, & temperatione humorum: quatuor enim in humano corpore aluntur humores, atra, & flaua bilis, phlegma, & ſanguis; in quorum certa quadam proportione, & temperie ſanitas conſiſtit; vno aliquo plus æquo redundante morbus exiſtit, & ægritudo. Inter hos humores illud intercedit haud paruum diſcrimen, quod alij celeriùs, tardiùs alij, & agunt, & patiuntur. Hinc quotidianæ febres, tertianæ, quartanæ; quæ ſicut rariùs recurrunt: ita maximè ſunt diuturnæ: quòd atra bilis, quæ dat febres quartanas, etiam agendo ſegnis ſit, & reſiſtat contrariis validiſſimè, ac diutiſſimè. hinc criticorum dierum ratio duci haud difficile poteſt: agunt enim inuicem humores in omni morbo, & patiuntur; adeò quod interdum agendi, patiendique vires æquantur; vt nullus ſibi contrarium ſubiicere poſſit, aut loco pellere; ſenſim tandem, & pedetentim vnus debilitat alterum, retundit, ac frangit; quæ pugna in ſeptimum, in decimumquartum, in vigeſimum, in vigeſimumſeptimum diem diſtrahitur, quòd ea ſit proportio inter agens, & patiens: vt nec illud priùs debellare poſſit contrarium; neque hoc, cùm firmum & validum ſit, antea debellari. Cur quæris dierum criticorum rationem? Ratio eſt, proportio agentis, & paſſi, quæ ita affecta ſunt, vt intra certum tempus ſuſtinere pugnam poſſint; vltra non poſſint: vbi verò, qui morbo fomitem præbebat, humor caſtigatus, & ſubactus ab alteratrice facultate fuit, vt Galenus ait à facultate expultrice, qua nimirum viuentia noxia omnia excernunt, quod putridum, ac corruptum eſt ſecernitur, & eiicitur.

Expectas exemplum? do libenter. [Tertiana exacta (inquit Hippocrates ſect. 4. Aphoriſ. 59.) in ſeptem circuitibus ad ſummum iudicatur. cur ita? quia humor ille tertianæ talis eſt naturæ, vt non poſſit diutius perdurare. Quartana, quæ humori magis peruicaci adhæret, non poteſt adeò breui tempore ſolui.] Hinc Hippocrates ſect. 4. Aphoriſ. 53. Ex eo quòd viſcoſa, & craſſa materies, circa dentes, & os ægroti inueniatur, febres fortiores, & morbos magis peruicaces eſſe colligit. Cur quæſo te, aliæ febres tertio, aliæ quarto, aliæ quinto, aliæ ſeptimo, aliæ nono quoque die recurrunt? Nónne ex natura humorum id naſcitur? auctore Hippocrate libro primo de morbis popularibus, qui tar-

diores, aut acriores ſunt, quidni igitur ex eorumdem natura, & conſtitutione oriantur criſes, & ſalutares, aut inſalubres excretiones? Non eſt meum hæc pluribus explanare: nec ad propoſitam diſputationem contra Aſtrologos pertinet, hæc ſubtiliùs limare: habent, quem conſulere poſſunt, Hieronymum Fracaſtorium, libro de duobus criticis, qui hæc explicatiùs cognoſcere cupiũt.

CAPVT VIGESIMVM.

De peſtilentia, & morbis popularibus.

SCRIBIT Fernelius libro 2. de abditis rerum cauſis, cap.12. & 13. peſtilentiam, & morbum omnem actum: æſtu immoderato vel intemperantia accendi: cùmque morbus latè vagatur in omnes, ſeu plures prouincias, eius cauſas non poſſe referri, niſi in peſtilentem vim ſyderum; item quando morbus genus quoddam animantium, putà, boues, capellas, oues, non alia inficit, originem duci non poſſe ab aëris putredine, quando eadem appatet, nam nunquam aëris conſtitutio tempore peſtilente, quæ erat tempore ſalubri. Ideo ab occultis aſtrorum viribus morbum trahere fomitem.

Mihi verò nondum demonſtrauit haſce varietates ex cauſis ſublunaribus oriti non poſſe; quid enim prohibet omnium vnius generis morborum popularium, ſeu epidemiorum vnam aliquam primarum qualitatum eſſe cauſam? quid prohibet abditam aliquam virtutem ex primis qualitatibus ortam auctorem eſſe huiuſmodi morborum? An quia non ſemper animantibus omnibus morbus eſt communis? at multæ ſunt rerum abditæ vires, quæ afficere non ſolent niſi ea corpora, quæ ſibi certo quodam modo, ac temperamento reſpondent; non enim vnius cauſæ vis idem ſemper efficit in quolibet ſubiecto, quod antea cumulatiùs diſputatum eſt. Itaque fieri poteſt, vt huiuſmodi vis deſæuiat non in omnes, ſed in eas animantes, quæ ab ea peſtilenti vi, apta ſunt infici; nam interdum ſub eodem putri cœlo (vt ita dicam) degunt plurimi, quorum aliquos ea tabes afficit, aliis innoxia eſt; non aliam ſanè ob cauſam, niſi ob temperamentorum diuerſitatem. An quia eamdem ſentimus aëris temperiem peſtilentiæ tempore, quàm ſalubri cœlo? At vis hæc eſt occulta, nec ſentitur per ſe, ſed per effectus: ſic enim magnetis non animaduertimus in aëre, ſed ex ferri motu agnoſcitur. Vnde fit, vt ſæuiente morbo non percipias ſpiritus, qui afflantur è putridis corporibus, ſentias tamen morbum inde deriuatum. Inde naſcitur, vt non ſentias putre cœlum, quod peſtilentiæ tempore ſæuit. Sicut itaque piſciculus, vt ſuprà vidimus, ſtupefacit piſcatoris manum occulta neſcio qua, & nuſquam apparente vi, niſi in manu piſcatoris. Ita aër peſtilentiæ tempore occulta quadam vi tabefacit mortales, quæ nuſquam apparet, niſi vbi

——— Tabida membris
Corrupto cœli tractu, miſerandaque venit
Arboribúſque, ſatiſque lues, & lethifer annus.

IN

IN ASTROLOGOS
LIBER SECVNDVS.

De conceptu, & fœtu.

CAPVT PRIMVM.

Aſtra non animum, ſed corpus afficere: ſi afficiunt.

SYDERVM poteſtates, quibus fœtus afflatur, aut imbuitur, ſi quid poſſunt id ſummum eſſe, vt corporis temperamentum variè commutent, ipſi quoque Aſtronomi profitentur; per ſe enim non attingunt animum, ſed corpus; quin & corporis ſubſtantiam conſtat ab iis non immutari per ſe; ea itaque, quæ ſubſtantiæ accidunt, aſtra perſtringunt, ſi quid efficiunt: in quibus principem locum, & qui latiſſimè pateat, obtinent ea, ex quibus, vel totius corporis, vel ſingularium partium temperamentum coagmentatur. Maximum igitur, quò vis aſtrorum pertingere poteſt, corporis eſt temperamentum, ex quo poſtea nonnullæ animorum propenſiones exiſtunt (nam & animum corpus, & corpus animus ſolet permouere) ex quibus anticipare ſe animo Aſtrologi affirmant cuncta, quæ cuique in omni vita euentura ſunt. Quare Ptolemæus lib. 1. de iudiciis aſtronomicis, capite quarto, & octauo, aſtrorum errantium, & inerrantium vires diligenter perſecutus eſt, vniuerſas in calido, ſicco, humido, frigido, cæteriſque, quæ ex his primis fiunt, collocat: at hæc ad corpus, & corporis temperamentum, pertinere planum eſt. Et capite 2. cùm inſtituiſſet, probare aliquam eſſe ſyderum vim, & efficientiam, non aliunde id probat, quàm ex ſeminum, animantium, cæterorúmque corporum quotidianis mutationibus, quas à cœlo fieri contendit, atque, vt planè intelligeremus corpora eſſe, quæ ſyderibus obnoxia primùm ſunt, animos autem, non niſi, quia pendere ſolent à multiplici corporis conſtitutione, ſubdit: [Aſtronomus hominum propriè ſingulorum conſtitutionis, generalem cognitionem habeat collectam, à ſtatu circumſtantis cœli, veluti corpus alicuius tale eſſe.] Talem autem animum,

quæ etiam conſequitur caſuum ſingularium præuiſio, nempe, quòd talis cœli ſtatus tali conſtitutioni aptus ſit,& conducat ad proſperitatem:talis verò contrarius, & in aduerſa impellat.

Audiamus & Theologos, immò Theologorum principem ſanctum Thomam, 1. parte, quæſt. 115. art. 4. quo inquirit vtrùm corpora cœleſtia ſint cauſæ humanorum actuum, & reſpondet his verbis: [Dicendum, quòd corpora cœleſtia,in corpora quidem imprimunt directè,& per ſe, ſicut iam dictum eſt, in vires autem animæ, quæ ſunt actus organorum corporeorum, non directè quidem,ſed per accidens;quia neceſſe eſt huiuſmodi actus harum potentiarum impediri ſecundùm impedimenta organorum, ſicut oculus turbatus non bene videt. Vnde ſi intellectus, & voluntas eſſent vires corporeis organis alligatæ, ſicut poſuerunt aliqui dicentes,quòd intellectus non differt à ſenſu,ex neceſſite ſequeretur, quòd corpora cœleſtia eſſent cauſa electionum, & actuum humanorum,& ex hoc ſequeretur,quòd homo naturali inſtinctu ageretur ad ſuas actiones, ſicut cætera animalia,in quibus non ſunt niſi vires,animæ corporeis organis alligatæ:nam illud,quod fit in ipſis inferioribus,ex impreſſione corporum cœleſtium,naturaliter agitur; & ita ſequeretur, quòd homo non eſſet liberi arbitrij, ſed haberet actiones determinatas, ſicut & cæteræ res naturales, quæ manifeſtò ſunt falſa,& conuerſationi humanæ contraria. Sciendum eſt tamen,quòd indirectè,& per accidens impreſſiones corporum cœleſtium,ad intellectum, & voluntatem pertinere poſſunt, in quantum ſcilicet intellectus,& voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus accipiunt, quæ organis corporeis alligantur. Sed circa hoc diuerſimodè ſe habet intellectus, & voluntas. Nam intellectus ex neceſſitate accipit ab inferioribus viribus apprehenſiuis, vnde turbata cogitatiua,vel imaginatiua, vel memoratiua, ex neceſſitate turbatur actio intellectus, ſed voluntas, non neceſſariò, ſequitur inclinationem appetitus inferioris,licèt enim paſſiones, quæ ſunt in iraſcibili,& concupiſcibili habeant, quandam vim ad inclinandam voluntatem; tamen in poteſtate voluntatis remanet, ſequi paſſiones, vel eas refutare, & ideo impreſſio cœleſtium corporum, ſecundùm quam immutari poſſunt inferiores vires, minùs pertingit ad voluntatem, quæ eſt proxima cauſa humanarum actionum, quàm ad intellectum. Ponere igitur corpora cœleſtia eſſe cauſam humanorũ actuum, eſt proprium illorum, qui dicunt intellectum nõ differre à ſenſu,vnde quidam eorum dicebant, quòd talis eſt voluntas in hominibus, qualem in die inducit pater virorũ, Deorúmque. Quia ergo conſtat intellectum,& voluntatem non eſſe actum organorum corporeorum, impoſſibile eſt, quod corpora cœleſtia ſint cauſa actuum humanorum.] Rurſus articulo quinto,negat dæmones ſubeſſe actioni cœleſtium corporum, nec per ſe, nec per accidens,nec directè, nec indirectè; quia ſunt ſubſtantiæ intellectuales à corporibus ſeiunctæ, ita ſentire debent de ſyderum poteſtate, quicumque rectè ſentiunt & de animi immortalitate, & de libero arbitrio, agere nimirum,illa ſiquidem agũt in corpus per ſe, in animum,non niſi indirectè;& quia animus ſequi ſolet temperamentum corporis. Quin etiam Marcus Tullius libro ſecundo de diuinatione ſcribit hanc fuiſſe veterum ſententiam Chaldæorum,nempe animorum mores,ex corporum temperamento è cœlo hauſto petendos eſſe. [Cùm anni tempora (inquit) tempeſtatúmque, cœli conuerſiones, commutationéſque tantæ fiant, acceſſu ſtellarum,& receſſu, cúmque ea vi Solis efficiantur,quæ videmus,non

verisi

verisimile ſolùm, ſed etiam verum eſſe cenſent, perinde, vtcumque temperatus ſit aër, ita pueros orientes animari, atque formari, ex eóque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, caſus cuiuſque, euentúſque fingi.] & Ariſtoteles Philoſophorum Princeps: quia animus immortalis, & impaſſibilis non poteſt ab agente corporato immutari, lib. 3. de anim. tex. 18. negat, intellectum poſſibilem moueri à ſenſu; vel organo corporeo, aitque ab intellectu agente reuocari ad actum.

At idem lib. phyſiognomiæ, capite 1. quòd animi mores ſequantur temperationem corporis docet his verbis: [Et animæ (inquit) ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundùm ſe ipſas non ſunt impaſſibiles à motibus corporis; id manifeſtũ fit valde in ebrietatibus, & ægritudinibus; multum namque animæ mutatæ videntur à paſſionibus corporis, & è contrario, quod corpus compatitur paſſionibus animæ, manifeſtum eſt circa amores, timores, & dolores, & voluptates, ampliùs autem & in iis, quæ natura fiunt; magis vtique aliquis conſpiciet, quòd corpus, & anima ita ſe habent connaturalia, vt fiant cauſæ plurimarum paſſionum adinuicem; nunquam enim animal factum, vel generatum eſt tale, quod formam haberet alterius animalis, animá verò alterius, ſed ſemper eiuſdem corpus, & animam. Quare neceſſarium eſt conſequi tale corpus, talem formam. Ampliùs autem, & ſcientes circa vnumquodque animalium ex forma poſſunt conſiderare, equites equos, venatores canes.]

Atque hoc eſt totum phyſiognomicæ, & ſyderalis ſcientiæ fundamentum, vt Aſtronomi ipſi profitentur. Quale autem illud ſit, alius erit explicandi locus, in præſentia fundamenta huius diſciplinæ patefacere ſolùm voluimus.

CAPVT SECVNDVM.

Philoſophis potiùs, & Medicis credendum quàm Mathematicis.

PHYSICI (Philoſophos, & Medicos appellamus hoc nomine) digniores ſunt, quam Genethliaci, quibus adhibeamus fidem. Primò quidem, quòd honeſtiorem grauiorémque ſuſtinent perſonam; Genethliaci enim, & quia non bona fide, quod artis ſuæ eſt exercent, id quòd Ptolemæus libro primo capite 2. & 3. obiicit Aſtrologis ſui ſeculi, & quia inanem, & temerariam profitentur ſcientiam, & quia Reipublicæ, ac Principibus maximè pernicioſi ſint, ſemper malè audiuerunt, adeóque eos ſuæ conditionis, ac vitæ pudet, vt non audeant, ſicut Phyſici, publicè ſuam artem profiteri.

Deinde, quod Phyſicorum longè maior eſt numerus, vt in tanta multitudine, nulla cadere poſſit ſuſpicio fraudis, & technarum, quibus Genethliaci ita abundant, vt nullus hactenus repertus ſit hac labe immunis.

Adhæc illi proximam, tractabilem, & omnibus expoſitam materiam tractant, eámque variis experimentis verſant: iſti verò ſemotiſſimam, & vix menti tenuiter prouiſam, quæ rarò admittit experimentum; quo fit, vt illi certis, exploratiſque nitantur principiis, iſti tenuiſſimis, fallacibus coniecturis.

Præterea Aſtrologi innituntur experimentis veterum (ſi tamen facta ſunt vnquam) ad illa nihil adiiciunt recentiores;immò nec adiicere poſſunt,quod longiſſimi temporis indigeant , phyſici verò , quibus paruorum dierum aliquando etiam horarum ſatis eſt interuallum ad experiendum , mirum quantum proficiunt quotidianis experimentis : Et quis ſit,qui, cæteris paribus,ſenem,& exercitum per multos annos medicum non anteferat iuueni, nouóque in ea arte?

Accedit eodem,quòd Aſtrologi generales cauſas , quales ſunt cœli,& ſtellæ,ſpectant; Phyſici proprias, & particulares.At generales aptantur particularibus, Sol,& homo generant hominem,inquit ille,Sol , & triticum procreant triticum,Sol, & ficus efficiunt ficum, non aptantur particulares generalibus; nuſquam ignis præſtat aliud quàm ignem,nec frigus,niſi frigus, illi igitur iſtis iure merito anteferuntur.

Præterea eorum , quæ experiendo Phyſici didicere , rationes etiam exquirunt , & reddunt optimas , id , quod Aſtronomis inſolens , & lubricum eſt. [Tandem Phyſicæ diſciplinæ ab eximiis,& illuſtribus excultæ ſunt ingeniis, quale penè nullum habent,quod oſtentent Mathematici iudiciarij. Quis enim Albumazarez,Aomares,Firmicos,Gauricos, Bonatos,Alchibitios,Leopoldos, Cardanos,Bellantios, Guidones, compararet cum Socrate, Platone , Ariſtotele, Theophraſto,Hippocrate,Galeno, Auicenna,Cornelio Celſo,aliiſque eximiis naturæ interpretibus?

Vnico gloriantur Ptolemæo , at is in alias totus incumbit Mathematicæ partes,Genethliacas vix delibauit;idque ex aliorum obſeruationibus,breuiter, & hæſitanter,nec veretur fateri ſub initium primi libri,huius diſciplinæ imbecillitatem.

Poſtremò impudentes non vſque adeò eſſe arbitror Genethliacos , vt cum medicis audeant contendere. Nam, ſi per multas res commendat Antiquitas medendi artem , primam omnium reperit neceſsitas ; ſi ſcientiam auctores illuſtrant,auctores medicinæ inter Deos coluit Antiquitas ; ſi quid auctoritatis addit honos, non alia diſciplina , tot , & tam celebres honores meruit ; ſi magnifiunt , quæ ſummis viris magnopere probantur,hæc ſummos Reges , hæc Principes viros,non ſolùm delectauit,ſed etiam illuſtrauit plurimùm;ſi dignitate rem æſtimamus , quid excellentius,quàm tuendo hominum genus,proximè ad Dei beneficentiam accedere?ſi facultate , quid potentius aut efficacius, quàm homines à certo exitio vindicare?ſi neceſsitate , quid æquè neceſſarium, atque id , ſine quo viuere non licet ? ſi honeſtate, quid illuſtrius,quàm ſeruare genus humanum? ſi vtilitate, nullius vſus neque maior eſt, neque latiùs patet; ſi compendio; medicinâ nulla ars eſt magis frugifera.

Denique Diogenes Cynicus,cùm intueretur medicos,Philoſophos,gubernatores,hominem ſibi videri omnium animalium ſapientiſsimum dicebat, cùm autem ſomniorum interpretes , coniectores, & huiuſmodi inſpiceret,nihil tunc ſe exiſtimare inanius homine aiebat.

Sed labor longius; Cardanus ipſe huic veritati adſtipulatur ſect. 3. Aphoriſmorum, aphoriſmo 155.[Aſtrologi(inquit)vt diuinatores peſſimi homines ſunt, deceptores,ac malorum morum; Philoſophi naturalis, veritatis ſtudioſi, ac probi : ob hoc Aſtrologus tantùm verax eſt , ac probus,quantùm in ſua diuinatione adhæret principiis Philoſophiæ naturalis.] Hæc Cardanus.

Hinc

Hinc fit, Phyſicorum dogmata, & pronunciata Aſtronomicis præceptionibus longè eſſe certiora; nec Phyſicis poſſe Aſtronomos fidem derogare, ſed cùm de re quapiam Mathematici à Phyſicis diſcrepant, Phyſicis potiùs habẽdam eſſe fidem. Quarequando ab horum doctrina diſſident Genethliaci, lapſos eos eſſe oportet, quando alicuius rei proximam, & idoneam cauſam Phyſici tradunt, fruſtra Mathematici ab aſtris eius cauſas repetunt. Si quæ igitur Aſtronomis reſtant, ea ſolùm reſtant, quorum Phyſicis nulla ſuppetit ratio; nulla autem res eſt, cuius Philoſophi, & Medici idoneas non proferant rationes, nihil igitur eſt hac facultate magis inane. Cur cœlum diuexas Aſtrologe, vt eius rei rationes proferas cuius cauſæ ſuppetunt ſub cœlo? Si effectus habet in ſublunaribus ſuam cauſam perſpicuam, & manifeſtam? quid attinet ſecretam aliam, & cæcam toto cœlo quærere? Si in hoc perſiſtas ſtudio, euertes ſcientiam omnem; nam ſi cuiuſque rei cauſam, quæ in promptu ſit, deſpicies faſtidioſus, & nouam aliam, abditámque quæris è cœlo, aut potiùs cudis domi tuæ, poteris eadem quoque ratione quamcumque cauſam, licet ſenſibus expoſitam, aſpernari, & exigere ignotam aliam ex Aſtris; ex quo fiet, vt dum notas cauſas faſtidis, & ignotas non aſſequeris, omnes tollas demonſtrationes per cauſas.

Fiet præterea quodlibet ex quolibet, in totius contemptum Philoſophiæ. Nam ſi cuiuſpiam effectus cauſam paratam, & aptam è proximo ſumptam repudias, ſi tibi ſimilis eſſe velis, idem in aliis petulanter præſtare debes, quod ſi facias, nullis rebus ſuæ; id eſt, proximæ, & adæquatæ, conſtabunt cauſæ, ſed ſolùm communes, & generales, nutante verò, aut potiùs ſublata propria, certáque cauſa, liberum erit, quodlibet fingere de quolibet.

Concludamus igitur, cùm cœlo non ſit aſſignanda efficientia, niſi eorum, quorum nulla ſub cœlo cauſa poſſit oſtendi; nihil autem ſit, cuius Metaphyſicus, Phyſicus, Medicus, Philoſophus, non poſſit proximam afferre cauſam, futilem, & inanem eſſe eam diſciplinam, quam Genethliaci profitentur.

CAPVT TERTIVM.

Ex aſtrorum, quæ conceptui præſunt, ſolo congreſſu, nihil de fœtu poſſe decerni.

HÆc generatim aduersùs Aſtrologorum nationem principio protuliſſe ſufficiat: nunc accedamus ad eas ſtellas, quæ conceptui præſunt, vel præeſſe dicuntur, oſtendamúſque ex eorum conſpectu nihil poſſe de fœtu certo conſtitui; quòd cœli vires ad id parum valeant ſolæ, niſi aliæ quoque cauſæ proximæ accedant, quas Aſtronomi obſeruare non ſolent; & ſi medicina, aut Philoſophia carent (vt carent omnes) ne poſſunt quidem; nam alias etiam cauſas obſeruandas, præter aſtra, docuit Aſtrologorum Princeps Ptolemæus, qui de hoc toto genere modeſtiſſimè diſputauit. & animaduertens, ſe in præcipitem, & lubricam incidiſſe materiam, vndequaque iubet auxilia conquiri ad prædicendum, & non in ſolo cœli conſpectu hærendum: nam libro primo de iudiciis cap. 2. [Si quando (inquit) in prædicendo erratum fuerit cõ-

miſſum, ex eo vſu veniet, quòd ſubiecta exempla diſſimilia fuerint inter ſe.
Atque hæc vna eſt in aëris exploratione difficultas, ad quam nulla accedit cau-
ſa comperiendorum motuum cœleſtium, quod autem ad Genethliaca, & alia
ſingillatim, & particulariter compoſitarum rerum iudicia attinet, permulta
cernere eſt, quę ſingulares conſtitutiones illarum adiuuent, & conficiant. Quis
enim neſciat, quantum ſeminum diuerſitas; ad proprietatem generis vniuſcu-
iuſque momenti habeat? cùm, & hoc ipſius cœli circumfuſi, & definiti omni-
bus terris hemiſphærij ambitus opus ſit, vt vires omnibus ſeminibus inſtruā-
tur, quibus vnumquodque in ſui generis affectione, & informatione excellat,
vt hominis, equi, & cæterorum, loci etiam, in quibus gignimur, ne ipſi qui-
dem mediocres mutationes afferunt conſtitutionibus: nam & ſingulorum ge-
nerum ſeminibus propoſitis, vt exempli gratia humanis, & eodem in ſtatu
veris, tamen multum diuerſis in locis geniti, & corporibus, & animis inter ſe
differre comperimus. Et, vt hæc omnia paria faciamus, ipſam tamen educatio-
nem, & conſuetudinem non nihil ad vitam degendam ſigillatim conferre con-
ſtat. Quocirca etſi vis maxima eſt circumfuſi cœli, quòd hæc omnia, quæ di-
ximus, & ipſum in talem modum adornarit, cùm illa contrà in hoc nihil cō-
tulerint, tamen, niſi quis, & ipſa coniunxerit cum cæteris cauſis multùm tur-
babuntur, qui omnia arbitrati fuerint ſeſe collecturos, ex ſolo ſuperiorum
motu, etiam, quæ ab illis abſolutè non dependent.] & infrà. [Atque non verti-
mus Medicis vitio, cùm & de morbo, & de ægrotantis natura ſæpe percontan-
tur, ita etiam hac in profeſsione, ne pigeat aſſumere & genus, & regionem, &
alimoniam; atque adeò non nihil etiam eorum, quæ iam acciderunt.]

Rurſus capite tertio. [Non autem exiſtimandum eſt, omnia à ſupernis cau-
ſis in res rectè humanas deriuari, tanquam inuiolabili, & diuino quodam e-
dicto propoſito ſingillatim; vt nulla alia vis obſiſtere, quin illa ita graſſentur,
valeat, nam ipſe quidem cœleſtium corporum motus ſempiternus eſt, & pro-
cedit diuino, & inuariabili ordine ac lege: inferiora autem mutationibus ſub-
iiciuntur, de ſuperioribus quidem, & primis cauſis, ſed accidit hoc illis per cō-
ſequentiam legis, & ordinis naturalis, & variabilis.]

Iterum infrà: [Quod ipſum (inquit) animaduertere eſt, ſimiliter geri in o-
mnibus, quibus naturalia ſunt principia; nam, & ſaxa, & gemmæ, & animantes,
atque inſuper etiam vulnera, & morbi, & ægritudines, partim neceſſarias ha-
bent affectiones, partim ex eo, quod contrariam habent affectionem, depen-
dent. atque ita exiſtimare par eſt naturæ ſtudioſos prędicere hac ſcientia euen-
turas res hominibus, non inanitatem quamdam opinionum ingredientes; quæ
enim habent multas, & ingentes affectionum vires, euitari non poſſunt, cùm
alia, quibus illud non accidit, facilè conuerſiones admittant. Hoc modo, & Me-
dici, ſi qui in notandis morbis exercitati ſunt, planè præuident, qui lethales
ſint, quique curabiles. De his igitur, quæ mutationibus obnoxia ſunt, ita au-
diemus differentem Genethliacum: vt ſi, verbi cauſa, talem orationem habeat,
quoniam talis eſt de qua loquor conſtitutio, fiet ſi proprietates aëris tali mo-
do conuertantur magis quidem, aut minus ad ſubiectas congruentias, vt illinc
talis quiſpiam morbus exiſtat, eodem modo & Medici prædicunt de vulneri-
bus, vel vt ſerpant vel vt putreſcant; ſimiliter & de metallis exemplum dari
poteſt; vt ſi quis doceat lapidem Magnetem, id eſt, Herculeum, ferrum ad ſe
trahere, nam quemadmodum horum vtrumque per ſe tendit ad rectam viam;

à qua

à qua primæ illius naturæ vita petitur, ſi relictum ſibi ſit ignoratione contrariæ affectionis; ſed ſi Medicinam contrariam vulneri appoſuerimus, neque illud iam ſerpet, neque putreſcet, neque lapis Herculeus illito allij ſucco, ferrum trahet; ſicut igitur hæc obſiſtunt, & contrarias effectiones inducunt naturaliter, & fatali lege, ita in his quoque rebus fit de quibus loquimur. ignorata enim aut præuiſa quidem, ſed neglecta tamen ea, quæ hominibus euenire debeant, haud dubiè ſeriem illius primæ naturæ ſequuntur, præuiſa autem & ſortita curam naturaliter & fatali etiam lege aut auertuntur penitus, aut leuiora efficiuntur.

Hæc Aſtrologorum clariſſimus Magiſter, nec vllum cæterorum puto ita deſipere, vt adimat cæteris rebus omnibus infra Lunam poſitis vim omnem, & efficientiam, negétque ignem ſtuppæ applicatum comburere, aut ficum producere ficos, equam procreare equum, homines ſcribere, vel ambulare, contendens à ſolo cœlo hæc omnia præſtari, ceſſantibus nihilque agentibus cauſis ſublunaribus.

His ita ſtabilitis, vt aliquid fiat, non ſatis eſſe cœli vim, & efficientiam, ſed requiri præterea ſublunarium cauſarum operam, manifeſtum eſt, quoties pluribus cauſis opus eſt, vt aliquid fiat, earum vna, ſi deſideretur, vel impotens ſit, non poſſet id, quod agebatur, perfici. Hinc monſtrorum informitas, corrupto principio aliquo, vt ait Ariſtoteles libro 2. Phyſicorum tex. 83. & lib. 4. de generatione animalium, capite quarto. Hinc animalium ſterilitas, ex patris, vel matris vitio, vt idem explicat lib. 7. de hiſtoria animalium, capite 1. 2. & 3. Hinc non ſemper poſitis, ſcientia, & appetitu ſentiente, ſequitur in homine motus ad locum, niſi accedat etiam voluntas, vt docet idem lib. 3. de anima, tex. 46. Hinc non quoties vigil eſt ſenſus, & expedita mens, fit intellectio, niſi adſint, & phantaſmata, ſine quibus intelligimus nihil, vt idem declarat ibidem, tex. 39. Hinc cauſarum, quarum vna ab altera dependeat, in opere quopiam numerus repugnat infinitus; deeſſet enim prima, qua ſublata, nihil efficerent reliquæ, vt idem diſputat lib. 2. Metaphyſices, textu quinto.

Denique ne fiat inductio prolixior, pugnantia ſunt iſta operi neceſſarias eſſe plures cauſas, & ab vna dumtaxat earum confici poſſe. Ad conſtitutionem fœtus plures neceſſarias eſſe cauſas, negabit nemo, requiritur materia, cuius mira eſt varietas, vt videre eſt apud Hippocratem libro de genitura, libro de natura pueri, apud Galenum lib. 14. de vſu partium cap. 6. Apud Ariſtotelem libro quarto de Generatione animalium requiritur vis formatiua de qua Ariſtot. lib. 2. de gener. animal. cap. 3. & 4. requiritur idoneus locus, quo conformetur, nã vteri figura, ſitus, durities, humiditas, lenitas, vlcus auctoribus Hippocrate libro de ſterilibus, Ariſtoteles libro 7. de hiſtoria animalium, capit. 3. multum impediũt: ad conformationẽ fœtus, requiritur alimentũ quo nutriatur, & augeſcat genitura, requiritur naturalis calor, quo foueatur, requiritur bona conſtitutio matris. [Si mulier (inquit Hippocrates libro primo de morbis mulierum) ægrotauerit, aut debilis fuerit, aut ſaltauerit, aut onus leuauerit, aut percuſſa fuerit, aut animi deliquio correpta, ſi timeat, aut exterreatur, ſi vociferetur, aut intemperatè viuat, fœtum corrumpit.] & libro Aphoriſmorum ſectione 5. aphoriſm. 31. [Mulier vtero gerens, ſecta vena abortit, & magis, ſi maior fuerit fœtus.] Galenus li. 7. de vſu part. cap. 8. [Proinde (inquit) cùm vitium aliquod fœtui acciderit huiuſmodi, vt non ampliùs alimentum, quod ſatis

ſit, attrahere queat:ant cum in mulieris corpore delictum huiuſmodi contigerit,vt non ſatis ſanguinis ſuppeditare ampliùs poſſit,eo caſu operum naturæ ordo confundatur neceſſe eſt.]Et concludit:[Non ita autẽ multò pòſt fit abortus, cùm ſcilicet nutrimentum omnino defecit.] Iam verò,ſi mater intemperatè viuat,ſi corripiatur morbo,ſi timeat aut ſaltet,ſi incidat ſibi venam quid agent ſtellæ feraces? ſolæne vindicabunt fœtum ab interitu? at quonam modo repugnantibus proximis cauſis,ſine quibus cœlum facit nihil? cur Hippocrates iubet puellam ſaltare ad ambigendum fœtum, libro de natura pueri, ſi à ſolis ſtellis fœtura,vel abiicitur,vel retinetur? An quando mulier concepit dominantibus prolificis ſtellis,de quibus Ptolemæus lib.1.cap.4.lib.2.cap. 8.non poterit per id tempus,quo in vtero gerit ampliùs ſaltare,timere, percuti,tollere onus,comedere,aut bibere intemperatè? quid vanius? Laborante graui quopiam morbo matre,medentúrne ſtellæ fœtui?an matri etiam?ſi matri: cur ſpectas natales ſtellas,quando de mulieris vita agitur? ſcrutari debueras genitales ſtellas filiorum, vt de matris ſanitate, & morbo,vita,& interitu pronunciares; ſi fœtui ſolùm finge quantam velis,ſtellarum fœcunditatem,laborante matre, fœtus tandem interibit; faciamus deficere alimentum,aut putridum,& corruptum eſſe,nam deficere aliquando ſcribit Galenus lib.7.de vſu partium, cap.8. Vndénam ſtellæ comportabunt alimentum in mulieris vterum? An nunquam fœcundæ ſtellæ fulgent, quando viri accedunt ad effœtas mulieres? vel ſteriles?anile ſomnium. Súntne vlla medicamenta, quæ tollant ſterilitatem? quid facient genitalia ſydera?nullum eſt apud Medicos remedium ad fœcunditatem procurandam, rideantur eorum pharmaca, ſolis aſtris ſupplicetur. ſi magis fœtus pendet à proximis cauſis, quàm à cœlo,quid nugatur Aſtrologus circa geniales ſtellas?quam tandem ex aſtrorum inſpectione de conceptu facere poteſt coniecturam? attellanas ille fabulas obtrudere poteſt,probabilem prænſionem exhibere poteſt nullam.

Duo hoc loco pro ſua cauſa reſpondere poſſunt Mathematici.Primò,ſtellas Genitales eſſe artificem vniuerſalem,& principem, ſublunares cauſas veluti eius inſtrumenta. Artificis autem cùm ſit aptare ſibi inſtrumenta,ſtellas quoque conceptuum Præſides parare ſibi omnes cauſas neceſſarias ad tuendum,& perficiendum fœtum.Secundò reſpondere poſſunt ex ſola quidem ſtellarum configuratione nihil certi pronunciari poſſe de fœtu, ſe verò non aſtra ſolùm,ſed alias etiam cauſas ſpectare, quando aliquid de conceptu ſtatuunt.

Hoc poſtremum capite ſequenti diſcutiendum eſt. Primum ſatis reuellunt, quæ diximus. Quid enim medicamenta faciunt, ſi aſtra totum generationis negotium peragunt,ſi aptant omnes cauſas ad procreationem neceſſarias? Leuis igitur Hippocrates,qui librum de ſterilibus ſcripſit, multáque huic morbo preſcripſit medicamenta,ſyderum nulla habita ratione:finxit Galenus,qui medicamenta prægnantibus fecit:mentiti ſunt innumeri alij,qui de curando fœtu ſumma cum laude ſcripſerunt:ſola enim aſtra præſtant quæcumque incolumitati fœtus opportuna ſunt.

Nónne ſub iiſdem aſtris degunt,& ſteriles,& fœcundæ mulieres? Cur ſtellæ artifices conceptus non aptant æquè omnes ad generationem ſi præſtant omnes cauſas generationi neceſſarias? cur per quotidiana experimenta vidimus ſub quacumque cœli configuratione medicamentis procurari abortum? Pluſque in fœtibus valere proximas cauſas,quàm prolificas ſtellas? Quid,quod

hoc

hoc totum aduerſantur Ptolemæo Aſtronomorum Magiſtro lib.primo de iudiciis, cap.3.vt ſuprà retulimus? qui docet aſtra ſæpe impediri à cauſis inferioribus,& in centiloquio can.5.poſſe multos ſtellarum effectus impediri. Sed veniamus ad ſecundum, de quo dicebamus.

CAPVT QVARTVM.

Aſtrologi non obſeruant, nec obſeruare poſſunt fœturæ omnes cauſas.

HACTENVS diximus ex ſolo ſyderum ſtatu, quæ conceptui præſident, nihil poſſe Aſtronomos certò de fœtu prædicere; ſed quoniam aliqui iactant ſe cum obſeruant de cœlo, ſpectare etiam, quomodo aliæ cauſæ ſe habeant, diſquirendum eſt, an id faciant, immò an facere poſſint, nam non in ſolo cœli aſpectu hærendum, ſed proximas prætereà cauſas diligenter inſpiciendas eſſe, ſcribit Ptolemæus libro 1.de iudiciis, cap.2.vt ſuprà retulimus, idque declarat exemplo medicinæ his verbis:

Vtque non vertimus Medicis vitio, cùm & de morbo, & de ægrotantis natura ſæpe percontantur; ita etiam hac in profeſſione, ne pigeat aſſumere & genus, & regionem, & alimoniam, atque adeò nonnihil etiam eorum, quæ iam acciderunt.

Et capite 3. [Non autem exiſtimandum eſt, omnia à ſupernis cauſis in res rectà humanas deriuari, tamquam inuiolabili, & diuino quodam edicto propoſito, ſigillatim, vt nulla alia vis obſiſtere poſſit, quin ita illa graſſentur. Nam ipſe quidem cæleſtium corporum motus ſempiternus eſt, & procedit diuino & inuariabili ordine, ac lege: inferiora verò mutationibus ſubiiciuntur.]

Et Hieronymus Cardanus ad librum primum Ptolemæi tex.16.& 17. grauiſſimè diſputat hac de re, docétque perneceſſarium eſſe Aſtronomo omnes cauſas perſcrutari, & vndecumque conquirere auxilia ad prædicendum.

Ita præcipiunt Aſtrologorum Principes, ſed in ſuis iudiciis nihil de aliis cauſis omnia deducunt ex ſyderum ſtatu. Itaque ſitulam fecerunt, non hauſerunt aquam è puteo. Legantur eorum libri. Mentiar, ſi quid in eis reperitur de materia, de nutrimento, de natura fœtus, de habitu mulieris, de complexione, de cibo, de potu, de exercitatione, de curis, vnico verbo, ſi non ſunt toti in contemplatione ſtellarum, ſpectántne parentum complexionem naturalem? at è quibus eam ſignis colligunt? An è cœlo, & ex aſtris, quibus illi geniti ſunt? non profectò, ad iudicandum enim de fœtu quocumque non ipſius ſolùm genituram obſeruare oporteret, ſed etiam parentum. Parentum dixi? Immò auorum, atauorum, maiorúmque omnium; vt enim fœtus pendet à conſtitutione parentum, conſtitutio parentum non aliunde cognoſci poteſt, quàm ex eorumdem natalitiis aſtris, ita & parentum temperamenta, non ſolùm ex propriis aſtris, ſed etiam à maiorum conſtitutione, & ſtellis. Vnde eorum conſtitutio hauſta fuit, repetenda erunt. Eundum itaque erit, vt de fœtu iudicare poſſis, per ſingulos maiorum gradus, pérque infinitum ſucceſſionum ordinem;

& quia nemo eſt,qui poſſit Maiorum ſuorum omnes genituras proferre, conſequens eſt, non poſſe Aſtrologum omnes cauſas inſpicere,è quibus fœtus ducit originem. Dices non ex aſtris parentum temperamentum colligi ſed ex externo corporis habitu, ex multis variiſque accidentibus, & operationibus. At hæc egent diuturna obſeruatione, Genethliaci verò vno die conficiunt genituras,quid, quòd parentes ſæpè longè diſtant,& obſeruari non poſſunt,ſæpe diem obiere ſuum, ſæpe detinentur morbo aliquo. Nec poteſt Aſtrologo eorum naturalis conſtitutio eſſe perſpecta.Denique nihil magis lubricum,quàm ex externis ſignis de interna corporis conſtitutione coniecturam facere, id quod libelli de ſignis complexionum accuratius docuimus.

Quòd ſi Cardanus, qui & Philoſophũ Medicum egit, in ſuis illis iudiciis, quæ ad finem commentariorum Ptolemæi adiunxit,in prædicẽdo ſtellarũ ſtatum,conſiderat præterea nihil, quid facient puri Aſtrologi, qui nihil præter ſtellas norunt?Si Magiſtri Mathematicorum,à quibus hanc diſciplinam cæteri tanquam è fonte hauriunt,cœlo toti defixi nullam habent cæterarũ cauſarum rationem, quid aget vulgus Aſtrologorum, qui innituntur Maiorũ diſciplinæ,& tãquam oues pabulabundæ duces ſequũtur ſuos pecoriſq; Magiſtros?

Ego verò etiam ſi velint Genethliaci has cauſas inquirere,non video poſſe, faciũtne id tanquam Aſtrologi?ſaltant extra chorum, tanquam Medici? vbi didicerunt Medicinam?audiendi potiùs ſunt Medici de re medica, quàm Genethliaci.Cur Medici,qui exercitatiſſimi ſunt, non profitentur iudiciariam?& inanes diuinationes,profiteri certè poſſent, ſi Aſtrologus, quà Medicus, eam artem exercet.

Largiamur id planè,vt aliquando compertum habeant parentum habitum, at nõ ſemper ab eodem viro genituram fortem,ſed neque ſemper debilem; ſed alias aliam procedere ſcribit Hippocrates libro de genitura,quam ſeminũ inconſtantiam proficiſci ex variis eiuſdem corporis commutationibus,quas ſingulis diebus,vel potiùs horis experimur,docet idem Hippocrates.Quis autem obſeruare poteſt omnes mutationes,quæ ſingulis momentis humano corpori contingunt? Concedamus id quoque notare Aſtrologos;num obſeruare etiam poſſunt mulierũ cibum,potũ,ſomniũ, vigilias,occultos animi motus,appetitiones, mœrores, lætitiã,timores,curas,ſollicitudines,ſaltationes,negotia, repentinos caſus,à quibus fœtum pendere quamdiu in vtero materno continetur,ſuprà probatum eſt? Niſi enim hæc omnia cognita, & perſpecta habeant Aſtrologi,non minus incertis ducentur iudiciis,quàm qui viſa trabe aſſerat ex ea cymbam fabrefactum iri;quia cymba non fit ſine trabe; qui leui nube conſpecta pluuias ſtatim futuras denunciet; quia ſine nube non pluit; qui incidit in equum in nemore paſcentem, & inde equeſtre bellum vaticinetur;ſpectatis enim aſtris de vita,de morte,de integritate,de ægritudine, de ſexu, de incolumitate fœtus denunciant,quæ ab innumeris aliis cauſis Aſtronomis planè ignotis dependere, nulli dubium eſſe poteſt.Obſeruent itaque mulieres vtero gerentes domi,foriſque in choræis,in conuiuiis, in itinere, in quiete,in Sole, in vmbra,in lecto, in ſterquilinio,in balneo,in ludo,inter amicos,inter inimicos,inter domeſticos,inter alienos; noctu,die,æſtate,hyeme,quæ omnia ſi obſeruari non poſſunt,vt verè non poſſunt,nemo nõ videt,quàm temerè,cæcóve caſu diuinent, quæcumque diuinant.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Quæ de parentum ſtellis Aſtrologi comminiſcuntur.

SOLEM & Saturnum patribus, Lunam & Venerem matribus naturaliter aſſimilari ſcribit Ptolemæus lib. 3. cap. 4. [Quapropter (inquit) quemadmodum harum ſtellarum qualitates ad inuicem, & cum aliis inuenientur; ita fore parentum qualitates, exiſtimandum eſt. Quid hac fabella frigidius? & quid habet Saturnus commune cum patribus? frigidiſſimus cum calidis, & qui niſi ſint fœmina calidiores, patres non fiunt?]

Dicant, ſi poſſunt, cur non potiùs Iouios fecerunt patres? quid enim de Ione Ptolemæus libro primo, capite quarto? [Stella (inquit) Iouis temperatæ naturæ eſt; media enim fertur inter frigidificam Saturni, & æſtuoſam Martis; calefacit autem, & humectat, ſed, quia calefaciendi vis præcellit, ideo fœcundi ab illo venti excitantur.] Cur non aptiùs præficitur patribus Iouis, quàm Saturni ſydus? An quia humidum Iouis alienum eſt à patribus? magis aliena eſt Saturni ſiccitas; humidum enim, & calidum iuuenile temperamentum eſt, & fœcundum. Aſtrologi verò ſenile temperamentum ex frigido, & ſicco attribuunt patri. Quid magis præpoſterè aſciſcere potuerũt? An fabuloſam Saturni canitiẽ dignam auctoritate patris exiſtimarunt? quando ceſſabunt fabellæ? ſed & illud rogo. Saturnus, & Sol præſúntne patribus, quia generant, an quia mares ſunt? ſi quia mares, non præerunt parentibus modò, ſed etiam fratribus, & filiis. At his alias ſtellas præficit Ptolemæus libro 3. cap. 5. lib. 4. cap. 5. [Præerunt etiam omnibus ciuibus, & accolis eiuſdem loci, ſi quia generant, eodem res recedit: nam & fratres, & filij, & conſanguinei, & vicini, & amici, & ciues generant: & non raró ſimul, quorum omnium diſpar, & diſſimilis eſt conditio.]

Explicent, obſecro, cur hæ ſtellæ non agunt, niſi in eos; qui generationi dant operam, & quando generationi dant operam? an non idem corpus habent, eaſdémque qualitates, ante, & poſtea?

Adhæc non video, quid hæ ſtellæ parentibus afferre poſſint, quod iiſdem non afferant, etiamſi non generarent, quid in illis immutant? an fortunas? ſunt nimis externæ. An dignitatem? continuò cadent è Magiſtratu. An valetudinem? & hanc aliunde, quàm à ſtellis repetit Ariſtoteles, lib. 7. de hiſtoria animalium, capite primo, Galenus libro quartodecimo de vſu partium, probent mihi ineptum eſſe Ariſtotelem, deſipere Galenum.

Sed eſto, afficiantur parentes ab aſtris ſæpe aptius ad generationem matres afficerentur à Sole, quàm à Luna, videlicet, ſi frigidæ, & humidæ nimiùm eſſent, ſæpe meliùs patres commouerentur à Luna; nimirum ſi nimiùm eſſent ſicci. Denique cùm aliis vnum, aliis aliud ſydus congruit magis, quo igitur conſilio vnam de omnibus legem ſtatuunt? Non ſecus hi faciũt, quàm ſi phlebotomiam omnibus morbis adhiberent, quia morbi frequenter, ex vitioſis humoribus exiſtunt, quos expedit vnà cum ſanguine imminuere. At quid longo morbo defeſſis, aut viribus pœnè conſumptis? quid morbis nonnullis, quibus phlebotomia lethalis eſt, præcipiéſne emittere ſanguinem? Nec illud præte-

ribo, quod Genethliaci docent, has ſtellas in occaſu ſenectutem, in ortu pueritiam, medio cœlo iuuentutem protendere. hinc enim fit, quamdiu hæc aſtra ad occaſum vergunt, non conuenire ad procreandum niſi ſenes, in medio cœli dum ſunt, non dare operam Veneri, niſi iuuenes, dum oriuntur ſolùm, pueros concumbere, quis audiuit vmquam tam lepidum apologum?

CAPVT SEXTVM.

Cur filij ſimiles parentibus.

SATIS opinor, ſuperque labefactata ſunt Mathematicorum apoteleſmata, verùm, ne qua vel illis ad tergiuerſandum, vel nobis ad præuaricandum, facultas reliqua foret, ſuam natura interpoſuit auctoritatem, & publicam fidem, in ore filiorum, in oculis, in frontibus, in lingua, in moribus, ſuum ſculpſit teſtimonium, ſimilitudinem, & quaſi imaginem, parentum; vt hæc tam illuſtris, tam conſpicua nota filios à ſtellarum dominatu vindicaret, & ad parentum iura reuocaret. [Naturaliſſimum (inquit Ariſtoteles lib. 2. de anima, text. 24. viuentibus eſt, quæcumque perfecta, & non mutilata ſunt, generare ſibi ſimile: cùm igitur filij referant parentes, fruſtra Genethliaci è cœlo accerſunt cauſas fœtuum effectrices. Cur obſecro ſtellæ aſſimilant filios parentibus, potiùs quàm aliis quibuſcumque? an quia parentes indefinitam ſtellarum efficientiam finiunt, ac terminant? nihil ex ſtellis pronunciari poterit de fœtu; generale enim quod eſt nihil indicare valet ſingulare, & determinatum. Commune (inquit Ariſt. libro quarto de generatione animalium cap. 3. ſemper in generando magis quod proprium, & particulare eſt; coriſcus enim & homo & animal eſt: ſed proprius à proprio diſtat homo, quàm animal, generat autem, & quod particulare eſt, & quod genus eſt; ſed magis quod particulare.]

Nec naturæ modo Antiſtites Philoſophi; ſed Poëtæ etiam rem tam perſpicuam viderunt.

Horatius lib. 4. Carminum, Ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Virgilius libro quarto Æneidos:

Saltem, ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret.

Iterum Ecloga prima:

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram. ——

Martialis lib. 6. Epigrammatum ad Nepotem:

Eſt tibi, quæ patrij ſignatur imagine vultus,
Teſtis materna nota pudicitiæ.

Iterum eodem libro ad Cinnam:

Pater

Pater,ex Marulla,Cinna,factus es ſeptem,
Non liberorum (namque nec tuus quiſquam,
Nec eſt amici, filiúſve vicini:)
Sed in grabatis, tegetibúſque concepti
Materna produnt capitibus ſuis furta.
Hic qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur eſſe ſe Cogiſantra.
At ille ſima nare, turgidis labris,
Ipſa eſt imago Pannici palaſtritæ.
Piſtoris eſſe tertium, quis ignorat?
Quicumque lippum nouit, & videt Damam,
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus eſt tibi Lygdo:
Percide,ſi vis, filium, nefas non eſt.
Hunc verò acuto capite, & auribus longis,
Quæ ſic mouentur,vt ſolent aſellorum,
Quis morionis filium, neget Gyrthæ?
Duæ ſorores illa nigra, & hæc rufa:
Croti choraulæ, villicique ſunt Carpi.

Heſiodus libro primo Operum & Dierum:

Et ſimilem ſobolem genitrices patribus edunt.

Euripides in Electra:

Solet enim idem ſanguis paterno
Pleraque ſimilia corpori producere.

Nec ſolùm filios parentibus ſimiles eſſe Poëtæ ſcripſerunt, ſed etiam cauſam attigerunt ſimilitudinis:in vnaquaque enim re materia valet plurimùm.

Virgilius libro primo Georgicorum:

Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem,
Vnde homines nati durum genus. ———

Durum (inquit Seruius) propter lapidem,vnde nati ſumus.

Idem libro 4. Æneidos:

Nec tibi diua parens generis nec Dardanus autor,
Perfide,ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæq; admorunt vbera tigres.

Et libro octauo Æneidos:

Génſque virum truncis & duro robore nata.

Ouidius libro primo Metamorphoſeon:

Inde genus durum ſumus, experienſque laborum,
Et documenta damus, qua ſimus origine nati.

Idem in epiſtola Didonis ad Æneam:

Te lapis, & montes, innataque rupibus altis
Robora, te ſæuæ progenuêre feræ.

Statius libro tertio Thebaidos:

——— *Scopuliſque ſata vel robore gentes.*

Et libro primo Syluarum in epithalamio Stellæ & Violantillæ:

——— *Duro nec enim ex adamante creati:*
Sed tua turba ſumus. ———

Cur

Cur nos diutius Poëtæ morantur? Nónne & Iuriſconſulti ſapientiſſimi viri ad l. Gallus,ff. de liberis & poſthumis. quoties dubitatio incidit ad quem maritum proles pertineat,ad mortuum,an ad viuum,ex ſimilitudine prolis de lite ſtatuendum eſſe docent? Legatur Alciatus l.quæret, de verborum ſignificatione: legatur Alb. l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hominum: legatur Raphaël Fulgoſius conſil.2. 12.col.3.legatur Marcius Salomanius l.gallus, ff. de lib.& poſthumis: legatur Andreas Tiraquellus l. ſeptima, connubialium gloſſæ primæ; parte 7. num.52.

Nos verò illud potiùs doceamus,cur filij aliquando patri, aliquando matri, non raro auo aliiſque maioribus, interdum nulli ſuorum ſimiles procreentur, & Ariſtotelis præſertim, cui à multis iam ſeculis omnes Sapientes ſubmiſerũt faſces, verbis id doceamus; is enim libro primo de Generatione animalium, cap.19. ita diſſerit: [Atque vt filij ſimiles ſint parentibus ratio exigit, ſimile eſt enim quod ad partes acceſſerit ei quod remanet. Itaque ſemen manus, aut faciei, aut totius animalis, eſt manus indefinita, aut facies, aut animal totum indefinitum, & quale illorum quodcumque eſt actu, tale ſemen potentia eſt, aut corpulentia ſua, aut facultate,ſiue virtute, quam in ſe ipſo contineat.] Et libro quarto, cap.3.

[Eædem(inquit) cauſæ ſunt,& vt alij ſimiles parentibus generentur,alij diſſimiles,alij patri,alij matri,tum corpore toto, tum partibus ſingulis, & parentibus magis,quàm maioribus ſuis,& iis potiùs,quàm quibuſlibet,ac mares potiùs, patri, fœminæ matri, alij nulli conſanguineo ſimiles, ſed tamen homini ſimiles, alij ne homini quidem, ſed monſtro; qui enim ſuis parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodammodo eſt, diſceſſit enim in eo, quodam modo natura ex proprio genere,cœpitque degenerare;ſed initium primum degenerandi eſt,fœminam generari, non marem,verùm hoc neceſſarium eſt naturæ, genus enim ſeruari oportet eorum quæ fœmina,& mare diſtinguuntur. Sed cùm fieri poſſit,ne aliquando ſuperet ſemen maris, aut ob ætatem iuuenilem, ſenilémve, aut ob aliam huiuſmodi cauſam, fœminam ob eam rem gigni neceſſe eſt, at monſtrum gigni non neceſſe eſt, ſcilicet ad cauſam cuius gratia, & finem, quamquam per accidens neceſſe eſt; nam principium hinc ſumatur oportet.]

Et infrà in generatione interdum patrem, interdum matrem docet dominari,quando pater dominatur, filios patri naſci ſimiles; quando mater, matri.

[Sed cùm omne (inquit) quod mutatur, non in quodlibet,verùm in ſibi oppoſitum tranſeat,ideo & quod in generatione non ſuperatur tranſeat in oppoſitum neceſſe eſt pro ea facultate,qua non ſuperauit, quod generat,mouétque. Quòd ſi quà eſt mas,non potuit,fœmina gignitur; ſed,ſi quà eſt Coriſcus, aut Socrates,non patri, ſed matri ſimile gignitur,vt enim omnino patri mater opponitur, ſic ſingulis generationibus ſingulæ generantes opponuntur, ſimiliſque modo in ſequentibus facultatibus agitur; ſemper enim in ſequentem, & proximum maiorum potiùs tranſitur,tam in patre, quàm in matre; inſunt autem motus alij actu,alij potentia; actu inſunt motus eius qui generat, & vniuerſalium, vt hominis, & animalis; potentia inſunt motus fœminæ,& maiorum,tam in patre,quàm in matre. Mutatur igitur tranſiens in oppoſita;motus autem eorum,qui creant,ſoluuntur in propinquos. V.g. motus eius,qui generat ſi ſoluatur, primùm differentia minima in motum patris tranſibit, mox in

aui,

aui, atque deinceps adhunc modum in cæteros ſimiles. In fœminis quoque tranſitus fit, motus enim concipientis in motū ſoluitur matris, ſi non in eum, in auiæ, eodémque modo, in ſuperiores, ſed potiſſimùm, ita natura fert vt qua mas, & qua pater eſt ſimul, & ſuperet, & ſuperetur, parum enim diſcriminis eſt. Itaque, vt ſimul vtrumque eueniat nequaquam difficile eſt; Socrates enim vir talis quis eſt: quamobrem mares magna ex parte ſimiles patri exiſtunt, fœminæ matri; ſimul enim in vtrumque diſceditur. Opponitur autem fœmina mari, mater patri, diſceſſúſque in oppoſita fit; ſed ſi motus, qui à mare eſt, ſuperarit, qui verò à Socrate eſt, non ſuperarit, aut hic ſuperarit, non ille, ita eueniet, vt mares ſimiles matri, fœminæ ſimiles patri, generentur. Item, ſi motus ſoluantur, & quà mas eſt, ſeruetur, Socrates autem ſoluatur in patris, mas erit auo ſimilis, aut alicui cæterorum ſuperiorum maiorum, prout ſolutio tetenderit, ſed ſi quà eſt mas ſuperetur, fœmina erit ſimilis potiſſimùm matri. Si autem, & hic ſoluatur motus, matri aſſimilabitur, matris, aut alicui, ſuperiorum pari ratione: Idem modus partium quoque eſt, ſæpe enim aliæ patri ſimiles, aliæ matri, aliæ maiorum alicui ſimiles, conſtituuntur; inſunt enim, & partium motus, alij actu, alij potentia, vt ſæpius diximus. Omnino ſubiicienda ſunt, tria illa: vnum, quod modò dixi, motus ineſſe, alios potentia, alios actu; alterum, degenerare in oppoſitum, quod ſuperatur; tertium, tranſire in motum proximum id, quod ſoluitur, & ſi minùs ſoluitur in propinquum; ſi magis, in remotiorem diſcedere; demúmque ita confundi, vt nemini ſuorum ſimiles prodeat, ſed commune tantùm relinquatur vt homo ſit, cuius rei cauſa eſt, quod commune particularia conſequitur omnia; homo enim vniuerſale eſt, Socrates pater; & quæcumque eſt mater, particulare eſt; cauſa, vt motus ſoluantur, eſt, quòd omne agens patitur etiam à patiente; vt quod ſecat, hebetatur, ab eo quod ſecatur; quod calefacit, refrigeratur à caleſcente, denique quodcumque mouet, excepto primo, mutuò mouetur aliquo motu. V. g. quod pellit pellitur quodammodo, quod premit premitur; interdum autem ita fit, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat, & refrigeretur quod calefacit, & caleſcat quod frigefacit, cùm autem nihil fecerit, aut minus quàm ipſum affectum eſt. Dixi de iis, cùm de ratione agendi, patiendíque docerem: videlicet quibus quod patitur, nec ſuperatur, aut defectu facultatis eius, quod coquit & mouet, aut copia, frigiditatéque eius, quod concoquitur, & diſtinguitur; cùm enim partim ſuperet, partim non ſuperet, facit multiforme, quod conſtituitur, vt athletarum nonnullis per vſum cibi nimium accidit; cùm enim per copiam paſtus natura nequeat ſuperare, vt proportione augeat, formámque ſeruet eamdem, diuerſæ efficiuntur partes, & adeò interdum, vt nihilo ferè ſimiles primis euadant. Proximus huic eſt morbus, quē Satyriam appellamus; etenim in eo præ abundantia fluxionis, aut flatus crudi in partes faciei decumbentis, facies animalis diuerſi, & Satyri apparet. Sed quam ob cauſam mares, & fœminæ generentur, & alij parentibus ſimiles, fœminæ fœminis, mares maribus, alij è diuerſo fœminæ patri, mares, matri, denique alij, maioribus ſuis ſimiles, alij ſuorum nemini ſimiles exiſtant, idque tum corpore toto, tum partibus ſingulis, de iis, inquam, omnibus dictum iam eſt. Sententiæ autem aliorum, etiam naturæ interpretum, ſunt de his rebus, ſcilicet, quamobrem ſimiles parentibus generentur; afferunt illi duplicem modum rationis; nonnulli enim ita cenſent, vt ab vtrouis plus ſeminis venerit, ei ſimiles magis, generentur æquè toti totum, & parti

Digitized by Google

pars, quaſi ex vnaquaque parte ſemen decidat; ſed ſi pars de vtroque venerit, ſimilis neutri procreatur. Quod ſi falſum eſt, nec omni ex parte decedit, conſtat, nec ſimilitudinis, nec diſſimilitudinis id cauſam eſſe, quod referunt, tum etiam quemadmodum ſimul & fœmina fit, & patri ſimilis, aut mas, & ſimilis matri, non facilè explanare poſſunt; qui enim, vt Empedocles, aut Democritus, cauſam de mare, & fœmina reddut, impoſſibilia modo alio dicunt; ſed qui plus, minúſve à mare, aut à fœmina ſeceſſerit, alterum marem, alterum fœminam gigni cauſantur, ij nequeunt explicare, quemadmodum fœmina patri ſimilis, mas ſimilis matri reddatur; ſimul enim plus de vtroque venire impoſſibile eſt. Adhæc, cur ſimiles maioribus ſuis magna ex parte, remotiſque generetur, cùm nihil ſeminis ab illis ſeceſſerit, nihil profectò iſti, quod bene tueantur, habent: ſed, qui reliquum ſimilitudinis modum afferunt, ij tum cætera, tum verò hoc melius dicunt; ſunt enim, qui ſemen genitale dicant, quamuis vnum, tamen veluti omnifariam quamdam eſſe multorum ſeminum mixtionem. Itaque vt ſi quis multa ſaporum genera, in eodem humore miſcuerit, móxque inde ſumat, poſsitque ſumere ſemper non tantumdem ex vnoquoque, ſed modò huius, modò illius plus, aliàs etiam ex hoc ſumat, ex illo nihil ſumat: ſic in ſemine genitali eſſe, cùm ex multis, ac variis mixtum ſit; à quocumque enim gignente acceſſerit plurimum, ei ſimilem formā generari. Sed hæc ratio nec plana eſt, & paſſim fictitia eſt; vult hæc non actu, ſed potentia ineſſe, quam omnifariam ſeminis mixtionem appellat, & quidem ita dici melius eſt; illo enim modo impoſſibile eſt, hoc poſſibile eſt. Verùm, qui ita cauſam reddunt, nullo modo afferre rationem de omnibus facile poterunt, cur fœmina, cur mas gignatur; quamobrē ſæpenumero fœmina patri ſimilis, mas matri proueniat, atque etiam de maiorum ſimilitudine. Adhæc qua de cauſa interdum homo quidem, ſed nulli ſuorum ſimilis generetur. Aliàs vſque adeò procedendo degeneret, vt demum nè homo quidem, ſed animal tantùm aliquod exiſtat, quæ monſtra dicuntur.

Explicationem horum ſi aliquis deſiderat, præſtabo paraphraſim breuiſſimam; quoties plures cauſæ vnum quid efficiunt, illa, quæ actuoſa magis eſt, aſſimilat ſibi magis effectum, & quò fortior fuerit aliis, eò magis ſibi ſimilem effectum efficit: ad procreationem autem fœtus, mater, paterque conueniunt; Quicumque igitur maiori vi præditus fuerit, & ea ratione, qua alteri præſtat, magis fœtum ſibi ſimilem efficiet, & eatenus reddet ſibi ſimilem, qua ſuperat alterum. Contingit interdum, matrem efficacem magis eſſe, interdum patrem, ratione vel alimenti, vel laboris, vel temperamenti naturalis, vel morbi, & accidentarij temperamenti, patri igitur interdum, interdum matri magis ſimiles filij procreantur: rurſus contingit aliquando patrem vna in re, matrem in alia ſuperare; aliquando igitur vna parte patrem, alia matrem filius referat neceſſe eſt; nam ſi pater ſuperat, quà mas eſt, non quà Socrates, mater contrà ſuperat, quà talis eſt, non quà mulier procreabitur mas, ſed ſimilis matri, non patri: ſi mater fortior fuerit quà mulier, & pater quà Socrates, gignetur mulier, ſed ſimilis patri; ſi impediatur pater ne poſſit ſibi perfectè fœtum aſſimilare, aſſimilabit auo, vel aliis maioribus, quibus ipſe genitus eſt: denique interdum cauſæ, quæ fœtum conſtituunt, ita & agunt, & patiuntur, vt earum vires omnino miſceantur, ſicut multi ſapores vnico liquore miſceri ſolent: & tunc nulla cauſarum valet ſibi ſimilem fœtum reddere, ſed procreatur fœtus ab vtroque

parente

parente diſſimillimus. Hæc Ariſtoteles eo loco.

De qua re iterum libro ſeptimo de hiſtoria animalium, capite 6. [Gignuntur quoque læſi ex læſis, v. g. claudi ex claudis, cæci ex cæcis. Denique ſimiles ſæpenumero in re, quæ præter naturam comitetur, & ſigna habentes ſibi cognata hæreditaria, vt verrucas, vt næuos, aut cicatrices, aut aliquid aliud generis eiuſdem. Iam tale quid, vel tertia prole pòſt regeneratum eſt, vt cùm quidam ſuo in brachio puncti notam haberet, filius non id retulit, ſed nepos, ea corporis parte nigritiem quandam habens confuſam, prodiit. Sed rarò hæc eueniunt. Integri autem è mancis ne gignantur, nulla res obſtat, & ſæpiſſime ita agitur. Similes etiam aliqui parentibus, aut auis, ſuiſque maioribus generantur: aliqui ſimilitudinis nihil referunt. Redditur etiam vel poſt plures eiuſdem proſapiæ, vt in Sicilia eius, quæ adulterium cum Æthiope commiſerat, filia non colorem patris Æthiopis retulit, ſed qui natus ex hac eſt; is auum Æthiopem regenerauit. Fœminæ magna ex parte matri, mares patri proueniunt ſimiles; ſed fit etiam è diuerſo, vt fœminæ patri, mares matri ſimiles procreentur; particulatim etiam ſimiles fiunt, vt alia corporis parte ſimiles ſint patri, alia matri; gemini, vel diſſimiles inter ſe nati iam ſunt, ſed plurimi magna ex parte ſimiles prodeunt; nam & quædam cùm ſeptimo die à partu concubuiſſet, concepiſſetque, peperit ſimilem ſuperiori quaſi geminum: naturæ etiam ratione aliæ ſibi, aliæ ſuo marito ſimiles generant, vt equa Pharſalia cognomine Iuſta.]

Hæc Peripateticorum princeps, ſed & eadem Stoicorum præco, & quaſi Pica Lucretius, lib. 4. rerum naturalium:

Et commiſcendo cum ſemine fortè virili
Fœmina, immulſit ſubita vi, corripuitque.
Tum ſimiles matrum, materno ſemine fiunt,
Vt patribus patrio, ſed quos vtriuſque figura,
Eſſe vides iuſtim, miſcentes vulta parentum,
Corpore de patrio, & materno ſanguine creſcunt.

Eadem Empedocles, cæteríque omnes Philoſophi apud Plutarchum, libro quinto de placitis Philoſophorum, cap. 11.

Eadem & Medici, & Medicorum pater Hippocrates lib. περὶ γονῆς, id eſt, de genitura; Galenus libro de fœtu, & Auicenna 21. Tertij.

Nec aliam cauſam præterire debeo fœtus in varias formas affigentem, imaginationem eorum, qui generationi dant operam; [Similitudinum quidem, ait Plinius libro 7. Hiſtoriæ naturalium capite 12. in mente reputatio eſt: & in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, auditus, memoria, honeſtæque imagines ſub ipſo conceptu cogitatio etiam vtriuſlibet animo, ſubitò tranſuolans, effingere ſimilitudinem, aut miſcere exiſtimatur; ideóque plures in homine, quàm in cæteris omnibus animantibus differentiæ; quoniam velocitas cogitationum, animíque celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit, cùm cæteris animantibus immutabiles ſint animi, & ſimiles omnibus, ſinguliſque in ſuo cuique genere, cuius varietatis ſubiicit exempla quàm plurima.

Et Ariſtoteles ſect. 10. problem. 12. quærenti cur proles cæterorum animantium magis quàm hominis ſui parentis ſimilem gerat naturam, reſpondet: [An quòd homo vago, varióque plurimùm animo in coitu eſt? prout

Digitized by Google

autem pater, materve in conceptu affecti fuerunt, ita partus euariant; cætera verò animantia omnia, aut certè plurima rei tantùm ipſi intendunt.] Et Hippocrates, auctore Cœlio Rodigino lib. 11. lectionum antiquarum cap. 15. [Cùm Æthiops, quæ pulcherrimum filium ediderat, ſuſpecta eſſet adulterij; iuſſit ſpectari, quid artis Pictoriæ in eius cubiculo eſſet, repertiſque egregiis ſignis, omni eam ſuſpicione liberauit.] Marcus item Tullius libro primo Tuſculanarum quæſtionum ita ſcribit: [Similitudo magis apparet in beſtiis, quarum animi ſunt rationis expertes: ſed in his quoque phantaſmata ſuam vim habent.] Id quod Iacob etiam intellexit Geneſ. cap. 30. tollens enim virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit, detractiſque corticibus in his, quæ ſpoliatæ fuerant, candor apparuit: illæ verò, quæ integræ fuerant, virides permanſerunt, atque in hunc modum, vbi color effectus eſt varius, poſuit vir magnus virgas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent varij coloris virgas, dum concuberent, factúmque eſt, vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas & parerent maculata, & varia, & diuerſo colore reſperſa. Neque verò, vt hæc argumentatio magis, ac magis in Genethliacam vanitatem exacuat, pigebit me, hic adſcribere Plinij verba, libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ, capite 12. qui varia huius rei exempla recenſet. [In Lepidorum genere (inquit) tres intermiſſo ordine obducto membrana oculo genitos accepimus, ſimiles quidem alios auo, & ex geminis quoque alterum patri, alterum matri, annóque poſt genitum maiori ſimilitudine, vt genitum quoſdam ſibi ſimiles ſemper parere, quoſdam viro, quoſdam nulli, quoſdam fœminam patri, marem ſibi. Indubitatum exemplum eſt Nicei nobilis Pictoris Byzantij, geniti, qui adulterio Æthiopis matre: nata nihil à cæteris colore differente, & ipſe auum regenerauit Æthiopem. Similitudinum quidem in mente reputatio eſt, & in qua creduntur, multa fortuita pollere viſus, aúditus, memoria, honeſtæque imagines ſub ipſo conceptu, cogitatio etiam vtriuſlibet animum ſubitò tranſuolans effingere ſimilitudinem, aut miſcere exiſtimatur; ideóque plures in homine, quàm in cæteris omnibus animantibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animíque celeritas & ingenij varietas multiformes notas imprimit, cùm cæteris animantibus immobiles ſunt animi, & ſimiles omnibus ſinguliſque in ſuo cuique genere Antiocho Regi Syriæ, è plebe nomine Artemon, in tantum ſimilis fuit, vt Laodice coniux Regia, necato iam Antiocho, mimum per eum commendationis, Regníque ſucceſſionis peregerit. Magno Pompeio Vibius quidam è plebe, & Publicius etiam ſeruitute liberatus, indiſcreta propè ſpecie fuère ſimiles, illud os probum reddentes, ipſúmque honorem eximiæ frontis. Qualis cauſa patri quoque eius monogenis coci cognomen impoſuit. Tum Strabonis à ſpecie oculorum habenti vitium imitata, & in ſeruo Scipioni Serapionis, is erat ſuarij negotiatoris vile mancipium eiuſdem familiæ Scipioni, poſt eum cognomẽ Salutio Mimus dedit; ſicut Spinter ſecundarum, tertiarúmque Pamphilus collegio Lentuli, & Metelli coſſ. in quo perquam importunè fortuitum hoc quoque fuit duorum ſimul Conſulum, in ſcena imagines cerni. E diuerſo Lucius Plancus Orator hiſtrioni, Rubrio cognomen impoſuit; rurſus Curioni patri Burbuleius; itémque Meſſalæ Cenſorio Monogenes perinde hiſtriones, Suræ quidem proconſulis, etiam rictum in loquẽdo, contractionémque linguæ, & ſermonis tumultum non imaginem modo

Piſcator

Piſcator quidam in Sicilia reddit. Caſſio Seuero celebri Oratori, armentarij Mirmidonis obiecta ſimilitudo eſt. Toronius M. Antonio iam triumviro eximios formæ pueros, alterum in Aſia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos vendidit, tanta vnitas erat; poſtquam deinde ſermone puerorum detecta fraude à furente Antonio increpitus eſt, inter alia magnitudinem pretij conquerente, (nam ducentis mercatus erat ſeſtertiis) reſpondit verſutus ingenij Magno, ob id ipſum ſe tanti vendidiſſe, quoniam non eſſet mira ſimilitudo in vllis, eodem vtero editis, diuerſarum autem gentium natales tam concordi figura reperiri, ſupra omnem eſſe admirationem, adeóque tempeſtiuam admirationem intulit, vt ille proſcriptor animus, modo & contumelia furens, non aliud in cenſu magis, & fortuna ſua duceret.

Probent nunc Aſtrologi, omnes Philoſophos in re hac allucinatos eſſe, omnes ſcriptores deceptos; ſe ſolum verum vidiſſe. Erraſſent autem, ſi in parentes filiorum ſimilitudinem retuliſſent, quæ à ſtellis, ſtellarúmque configuratione eſt. Doceant, cur grauiſſimi viri nullam ſtellarum mentionem fecerint ſi exiſtimarunt fœtus confirmationem, à conſtitutione cœli pendere. Dicant, cur ſub quacumque conſtellatione formatur fœtus, ſi mas fortior eſt, ſi magis robuſtus, ſi præcipuas in generatione partes egit. Patri ſimilis prodeat puer. ſi verò prædominatur mulier cur hæc, quæcumque effulgeant ſtellæ, cur reddat ſibi partum ſimilem? & quam obſecro vim hac in re exercent ſtellæ conceptui præſides? nullam planè. ſed & illud quæſo, ſi quod ius aſtra in fœtu habent cur patri potiùs, quàm vlli alteri virorum ſimilem effingant filium? Saturnus quidem, & Sol, qui patribus præſunt, Socrati potius, quàm Platoni non fauent: Luna & Venus omnibus matribus adſunt. Vnde igitur ſimilitudo cum hoc patre? cum hac matre, potiùs quàm cum aliis?

Rurſus cum eodem temporis momento, ſub iiſdem ſtellis Gemini ſeminētur, cur vnus aliquando patri, alter matri ſimilis prodeat, explicare oportet Aſtrologos. Præterea reſpondere eoſdē oportet, cur omnes, quæ eodem tempore vtero concipiunt (concipiunt autem plurimæ) ſimiles patri, vel matri, vel alteri maiorum liberos non fundant. Ad hæc, cur quædam ſemper ſibi, quædam marito, quædam nulli maiorum, quædam mares ſibi, fœminas viro ſimiles edant. Item Niceius Nobilis Pictor, ex adulterio Æthiopis matri nihil à cæteris differente natus, auum Æthiopem cur regenerauit? Cur in Lepidorum genere tres intermiſſo ordine obducta mēbrana oculo geniti fuerint? Poſtremò, cur cognitio, quæ ſub ipſo conceptu parentum, animos commouet effingat, aut miſceat ſimilitudinem? Expediant Genethliaci hos nodos, ſi poſſunt; ſi non poſſunt audiant Marcum Tullium, de diuinatione libro 2. [Quis non videt (inquit) & formas, & mores, & pleroſque ſtatus, ac motus effingere à parentibus liberos? quod non contingeret, ſi hoc non vis, & natura gignentium efficeret, ſed temperatio Lunæ, cœlique moderatio.] abiectiſque Aſtrolabiis, redeant aliquando ad ſe: redeant ad veritatis caſtra: redeant in gratiam cum Philoſophis, cum Medicis, cum genere humano, quòd nimiùm diu ſub ſtellarum iniquo dominatu ingemiſcit.]

CAPVT SEPTIMVM.

De ſexus diuerſitate.

[PRIMARII ſexus (inquit Ptolemæus libro primo de iudiciis c. de ſtellis) maſculinis & fœmininis, duo ſunt: maſculinus, & fœmininus conferenda ex ſuprà dictis naturis humiditas ad fœmininum, quòd illa in hoc ſexu abundet, reliquæ verò ad maſculinum apponentur. Proinde conuenienter traditur Venus & Luna fœminini ſexus: Sol verò, Saturnus, & Iupiter, & Mars, maſculini.]

Et infrà: [Cæterùm ipſæ etiam ſtellæ maſculinas, fœmininá ſque vires ſuſcipere dicuntur, pro eo, atque erga tales ſe habuerint, maſculeſcere quidem matutinas, & antecedentes; Veſpertinas, & ſequentes effœminari.] Ita ſexuum diuerſitatem diſtinguit Ptolemæus, tum eo loco, tum libro tertio, cap. ſexto, quæ reliqui Aſtrologi tanquam oracula è cœlo delapſa impensè venerantur. At Philoſophi & Medici haud paulò meliùs diuerſitatem ſexus deducunt ex parentum habitu, & conſtitutione, quorum, vt magna poteſtas, ita mira varietas.

[Si ab vtriſque parentibus (inquit Hippocrates libro περὶ γονῆς, id eſt, de genitura) ſemen fortius prodierit, partus erit maſculus; ſi verò debile, fœmina naſcetur.

Vtrum autem multitudine, ac copia præualuerit, iuxta illud ipſius partus naſcetur; ſi enim multò plus fuerit debilis ſeminis, quàm fortioris, ſuperatur forte, & debile, permiſtum in fœminam tranſit, ſi verò plus fuerit fortis ſeminis quàm debilis, ſuperatur debile, & in marem tranſit, quemadmodum ſi quis ceram, & adipem miſceat, & de adipe tamen plus coniiciat, eáque ad ignem liquefaciat, quamdiu quidem liquida fuerint, non apparet, vtrum tandem horum ſuperet, vbi verò congelata fuerint, tunc iam conſpicuum eſt, quòd adeps ceram copia ſuperet. Sic habet etiam maſculi & fœminæ genitura: quòd verò in fœmina, & in viro genitura fœminina ſit, & maſculina, ex factis manifeſtis coniectare licet; multæ enim mulieres iam fœminas pepererunt ex propriis viris, verùm ad alios viros tranſgreſſæ, maſculos genuerunt; & viri illi ipſi, ad quos mulieres fœminas pepererunt, ad aliarum mulierum mixturam progreſſi maſculos genuerunt. Atque hæc ſanè ratio declarat, tum virum, tum fœminam, & fœmineam, & maſculam genituram habere, nam apud quos viros fœminas pariebant, ſuperabatur fortius, tamen à copia debilioris, & gignebantur mares.

Idem libro de natura pueri, quòd fœmina poſteriùs conformatur, & coarticulatur, cauſa hæc eſt, quòd genitura fœminea debilior eſt ac humidior, quàm maſcula; & iuxta hanc rationem neceſſe eſt, poſteriùs conformari fœminam, quàm maſculum, atque ea gratia etiam purgatio diuturnior eſt in fœmina, quàm in maſculo.

At non ſemper iidem parentes eodem modo affecti ſunt, ideóque non ſemper ex iiſdem ſimile ſemen procedit, nec iidem ſemper mares aut fœminas generant, ſed nunc marem, aliàs fœminam fundunt.

[Non

[Non ſemper (inquit Hippocrates libro de genitura, ab eodem viro genitura fortis, ſed neque ſemper debilis, ſed aliàs alia, atque ſic etiam in muliere res habet, vt minimè mirandum ſit, eaſdem fœminas, eoſdémque viros ſobolem maſculam, & fœmininam producere.] Hippocratis doctrinam cumulatè explicauit Galenus libro decimoquarto de vſu partium, capite ſexto, copioſéque oſtendit, tam in viro, quàm in fœmina fortiorem partem eſſe dexteram, calidioremque non ſolùm, quòd ſecus à ſiniſtra nutriatur, ſed quòd plus ab hepate in illam caloris redundet; hepar enim cùm ad dexteram partem ſitum ſit, partes quæ ad hepar propiùs accedunt neceſſariò calore maiori perfunduntur. Et quoniam maſculus fœmina calidior eſt, fœtum, qui in dextera parte matris formatur, vel ex dextera patris latere deciſus eſt marem eſſe oportet, contingere quidem poteſt, vt ſemen adeò forte ſit, vt etiam in ſiniſtra parte mas generetur, vel adeò debile, vt in dextera fœmina gignatur, ſed cæteris paribus dextram partem contendit Galenus maribus, ſiniſtram fœminis aptiorem eſſe formandis. Quare ſubdit: [Poteſt tamen accidere, vt interdum à caloris, qui ſemini ineſt, vi ſubacta, maſculum pro fœmina fœtum fieri permittat, hoc certè eſt rarum magnóque eget exceſſu; vt plurimum autem maſculus in dextera, fœmina in ſiniſtra parte inuenitur.]

Nec Ariſtoteles generationis diligens, & accuratus perueſtigator, rem hanc ſilentio præteriuit, nam libro quarto de generatione animalium, capite primo, [His (inquit) ita ſubiectis apertius fortaſſe iam fuerit, qua de causa alterum mas, alterum fœmina fiat: cùm enim principium non ſuperat, neque concoquere poteſt, propter caloris inopiam, neque ducit in ſuam formam, ſed tantiſper ſuperatur, mutari in contrarium neceſſe eſt, contrarium autem maris fœmina eſt, & cùm facultatis ſuæ virtutis differentiam habeat, inſtrumentum quoque habet auerſum, itaque in tale mutatur. Parte autem aliqua opportunè mutata, conſtitutio tota animalis multò diſcrepat forma. Licet hoc perſpicere in ſpadonibus, qui vna parte truncati, tam à priſtina forma diſcedunt, parúmque à fœmina ſpecie diſtant, cuius rei cauſa eſt, quòd partes nonnullæ principia ſunt, principio autem mutato, multa ex iis, quæ ſequuntur, mutari, & dimoueri neceſſe eſt.]

Adhuc capite ſecundo eiuſdem libri: [Nouella & ſeneſcens ætas magis quàm florida fœminas generat, in altera enim calor nondum perfectus eſt, in altera deficit. humidiora etiam, & effœminatiora corpora fœminam potiùs gignunt, & fœmina humida magis, quàm ſpiſſa hoc idem faciunt; hæc enim omnia eueniunt caloris naturalis inopia, flatibus item Aquiloniis, magis quàm Auſtrinis mares gignuntur.]

Infrà: [Paſtores aiunt intereſſe ad maris, ac fœminæ pecoris fœturam, non ſolùm, ſi ita accidit, vt initus Aquiloniis, Auſtriniſque flatibus fiat, ſed etiam, ſi cùm pecus coit, ſpectat ad Aquilonem, aut Auſtrum. Ita minimo interdum momento, cauſa datur caliditatis, aut frigiditatis; hæc verò cauſam complent generationis.] [Ita ſexuum diſcrimina ex imbecillitate, vel robore parentum, ex multiplici variáque viri, ac fœminæ temperatione, ex alimento quo fit genitura, deducunt viri doctiſſimi: ſed, quid adhæc Genethliaci, negabunt debiles, qui ſunt maritos fulgentibus maſculinis ſtellis, poſſe ad vxores accedere ſuaſi fumos vendunt. An dominantibus virilibus aſtris, fatebuntur gigni fœminam? ruit tota Genethliaca diſciplina. An fœminas tunc concipere poſſe inficia

Digitized by Google

inficiabuntur? quo id modo, ſi omnia ad conceptum neceſſaria parata, & expedita ſint? quid? quando nocte eadem, eadémque noctis hora, addo etiam momento, matres plures concipiunt:pariunt autem mares aliæ,aliæ fœminas: obdormiúntne ſtellæ,& ſtertunt? Iterum perit omnis Aſtrologia, quæ è ſyderum dominatu ſexuum diuerſitatem deducit, agunt,vimque ſuam etiam tunc exerunt, eadem ergo ſtella fœminam,& marem generat, Ciziceni ſtateres,ex Cybele,& Leone, quid adhuc cœlo hæremus? An reſpondebunt non eodem loco dare procreationi operam plures parentes, pro locorum autem,vel minima diuerſitate, etiam intra eamdem ciuitatem diuerſos, immò & contrarios eſſe ſyderum aſpectus. Sit ita:at ſi,vel minima commutatio loci contrarios facit aſtrorum aſpectus, quæ ars, quæ diſciplina, obſeruauit, quid vnaquæque ſtellarum intra eadem mœnia in hac domo efficere ſoleat, quid in illa, immò quid in hac ædium parte, quid in illa, hæc vel illa ſtella valeat: Turdus ſibi ſuum creauit malum.

Conſulant Aſtrologi ſuas ſtellas,rogéntque qua ſe ratione valeant è tot anguſtiis expedire;ſed fruſtra conſulent: nulla enim tanta eſt ſyderum vis, quæ eos ex his laqueis educere poſſit. Nos verò tanquam mutos piſces naſſas, & retia,vndique pertentantes relinquamus: & ad alia tranſeamus.

CAPVT OCTAVVM.

Fœtus ab alimento potius quàm à ſtellis pendet.

ADDERE poteram non pauca de ſterilitate,quæ mihi ſuppeditãt Hippocrates libro de ſterilibus,& ſect.5. Aphoriſ.63. Ariſtoteles libro 7. de hiſtoria animalium,capite primo,& libro ſecundo de generatione animalium, cap. 5. & 6. In quos quando incidunt prolificæ ſtellæ vim omnem amittunt; ſed gratia breuitatis ad alimentum tranſgredior.

Matris ſanguine ali fœtum in vtero quamdiu eſt, docet Hippocrates libro primo,de natura pueri,Ariſtot.libro ſeptimo de hiſtoria animalium,capite ſecundo, Galenus libro ſeptimo,de vſu partium,capite octauo. Multum autem intereſt quanto, qualive ſanguine paſcatur. [Cùm vitium (inquit Galenus loco citato) aliquod fœtui ipſi acciderit eiuſmodi, vt non amplius alimentum, quod ſatis ſit,trahere queat; aut cùm in mulieris corpore delictum huiuſmodi contigerit, vt non ſatis ſanguinis ſuppeditare amplius poſsit, eo caſu operum naturæ ordo confunditur;ac perturbatur, contrariis autem affectibus maximè comprehendantur neceſſe eſt: impleantur quidem lacte ante tempus cùm fœtus eſt imbecillis, gracileſcant autem poſtea, cùm matres alimenti penuria laborent. Vnde Hippocrates dicebat:Mulieri in vtero habenti,ſi lac ex mammis fluxerit copioſum, fœtus redditur imbecillis, nempe quod ſuperfluum eſt. Omne ſurſum ad mammas aſcẽdat, quod fœtus in venis reliquit,cùm ipſe præ imbecillitate, quantum ſibi ad moderatam nutritionem ſatis eſſet, trahere nequit. Quando verò rurſus,inquit mulieri in vtero habenti,ſi mammæ graciles repentè fiant oborti, & tunc fœtum quidem fortem eſſe putandum eſt, ſed copioſum ei alimentum deeſſe, nam primum quidem ex venis matrici communibus,

munibus,ſanguinem trahit, atque interim mammæ gracileſcunt: Non ita au-
tem multò poſt fit abortus, cùm ſcilicet nutrimentum omnino defecit.] Hæc
Galenus.

Nos vt à penuria alimenti ordiamur,cùm fœtus ex ſanguine, qui matri re-
dundat,nutriatur:oportet fœtui deeſſe pabulum,quoties matri nihil redundat
alimenti,ſed abſumit totum,eo, quòd ſiccioris ſit temperamenti; vt de auibus
idem Galenus tradit ibidem, cap. 14. quam ob cauſam etiam pingues rarò fœ-
cundas eſſe ſentit Ariſtoteles libro ſecundo,de generatione animalium, capite
quinto.

Incidat itaquẽ ſtellarum ferax concurſus in huiuſmodi mulierem: curabit-
ne illas annon? ſi non feraces ſtellæ fœtui ſatis non ſunt, ſed inhiberi iuuari-
que poſſunt aliis cauſis,immò, & caſibus,qui euenturi ne ſint, & quãdo euen-
turi, & quibus de cauſis,& quamdiù duraturi: cùm ignorari ſoleat: fruſtra
Aſtrologi ſollicitant cœlum, vt de futuro fœtu reſponſa reddant. Si curabit,
mutabitne repentè aridiorem mulierem in humidiorem? aut pinguem in gra-
cilem? Quis vidit vnquam momentaneas haſce commutationes? An ſenſim
potiùs & paulatim? At momentaneus eſt ſtellarum aſpectus: & quod vna
conſtellatio inchoauit, alia ſuperueniente deſtruetur: ſuperuenire ſingulis
momentis nouas, & contrarias ſtellarum formas Genethliacum axioma eſt.

Nec illud quærere omittam,an hæc matrum curatio,quam ſtellæ conceptui
præſides ferunt,pertineat vllo pacto ad natales ſtellas, ſub quibus matres na-
tæ ſunt: ſi nihil pertinet, plus obtinuimus quàm peteremus: habemus enim
fruſtra à Genethliacis obſeruari natales ſtellas matrum: ſi pertinet quidquam.
Primò pugnare ſtellas maternas cum ſtellis fœtus neceſſe eſt; & ad Genethlia-
cæ artis deſtructionem decertare.

Deinde ſi qualis quæque futura ſit,aut quales procreatura liberos; ex ſuis,
& parentum pendet ſyderibus: non ſatis erit ſtellas, quæ conceptui præſunt,
inſpicere: matrum etiam natales ſtellas rimari te oportet, idque per auos, &
atauos eundo ad primum vſque hominem, atq; adeò ad mundi exordium per-
ueniendum.

Rurſus ſi mater abundè ſuppeditet alimentum fœtui, ſed ſanguis, quo in-
fans in vtero alitur, ſit impurus, malignus, & incoctus: eligant quodcumque
voluerint Aſtrologi; vel huiuſmodi ſanguinis improbitas manat à ſyderibus
natalitiis matris,vel infantis etiam,vel ab aliis cauſis. Si aliunde quàm è cœlo,
cur de fœtuum euentis canunt reſponſa de cœlo? Si non ſyderum vi, ſed aliis
de cauſis, ſanguis quo puer nutritur, impurus eſt, omniſque fœtus ratio è nu-
trimento pendet, quod ex aſtris præſagire de fœtura poſſit, Aſtrologus ha-
bet nihil.

At ſi matris natalitia ſydera elaborant, nutrimentum fœtui matris, po-
tiùs quàm fœtus illi ſpectandæ ſunt ſtellæ: qui de fœtu vult vaticinari. Quid
matris dixi? Auiæ,proauiæ,atauiæ,tritauiæ,& omnium,quæ matrem anteceſ-
ſerunt.

Denique ſi fœtus Genitalia ſydera apparant alimentum, inuadunt alienam
dictionem,ſanguinem enim matris elaborant,quæ ſub alio ſtellarum congreſ-
ſu genita,ſub aliis ſtellis,quàm fœtus degit, quantum erit diſſidij inter matris,
& filij horoſcopos? quanta diſſenſio & pugna inter vtriuſque cœlum: quanta
in prægnantis vtero perturbatio? aliis huc, aliis illuc ſanguinem auertentibus

Digitized by Google

aſtris, & tandem ſubeundum eſt illud incommodum, vt de fœtu fiat iudicium: conferenda eſſe matris & fœtuum ſydera: & expendendum quæ quibus præſtent.

CAPVT NONVM.

Quæ matri vtero gerenti accidunt, afficiunt & fœtum.

ACCIDVNT geſtantibus vtero plerique caſus, à quibus nec fœtus poteſt eſſe immunis. Scribunt Ariſtoteles libro 7. Hiſtoriæ animalium, cap. 4. Paulus Ægineta libro primo rei Medicæ capite primo, Plinius libro primo hiſtoriæ natural. capite 6. aliique grauiſſimi viri, grauidis inceſſere dolores capitis, vertigines, faſtidium, in cibis, appetitus abſurdos, languores plurimos, oculorum moleſtias, & tenebras: ad bonum autem habitum & valetudinem: vitamque fœtus refert, primum hæc curare remediis, quæ præſertim perſcribit Paulus Ægineta loco citato, & prudenter cauere ab iis quæ officiunt embryoni: [Adeòque (inquit Plinius loco poſito ſuperiùs) inceſſus, & quidquid dici poteſt in grauida refert, vt ſalſioribus cibis viſæ, carentem vngulis partum edant, & ſi reſpirauere, difficiliùs enitantur. Oſcitatio quidem in enixu lethalis eſt; ſicut ſternuiſſe à coitu abortiuum.

Et capite ſeptimo. [Plerumque (inquit) abortus cauſa fit odor à lucernarum extinctu.] Hippocrates ſect.5. Aphoriſmorum, Aphoriſ.24. [Mulieri vterum geſtanti, ſi aluus multùm fluxerit, periculum eſt, vt abortiat.]

Et Cornelius Celſus, libro ſecundo, capite ſeptimo, [Mulieri grauidæ, ſine modo, fuſa aluus, elidere partum poteſt.]

Narrat Hippocrates, libro de natura pueri, abortum ſaltatricis cuiuſdam ex ſeptem ſaltibus: ideo libro de aëre, aquis, & locis, [Si (inquit) hyems auſtralis fiat pluuioſa, & clemens: ver autem boreale, & ſiccum, & tempeſtuoſum: primum quidem mulieres quæ vterum geſtant, & partus ipſi, qui ad ver inſtant abortum facturas eſſe veriſimile eſt: quæ verò etiam pepererint, impotentes, ac morboſos, pueros parere: ita vt, aut ſtatim pereant, aut tenues, debiles, ac morboſi viuant.]

Rurſus ſectione quinta, Aphoriſ.31. [Mulier vterum gerens, ſecta vena, abortit, & magis ſi maior fuerit fœtus.] Aphoriſ.44. [Quæcumque præter naturam tenues exiſtentes vterum geſtant, abortiunt, priuſquam craſſeſcant.] Aphoriſmo 15. [Quæcumque vtero habentes à febribus corripiuntur, & fortiter attenuantur ſine manifeſta occaſione, difficulter pariunt, & periculoſæ, aut abortum facientes, periclitantur.]

Denique Ariſtoteles lib.7. Politicorum, cap.16. [Sicut quæ gignuntur è terra (inquit) ſic fœtus ex prægnante matre, bonam, malámque valetudinem contrahunt.] Et Hippocrates libro de genitura fœtus: præter ſuos (inquit) matris labores participat, qui locus optimum interpretem nactus eſt Federicum.] Bonauentura libro octauo de octomeſtri partu, cap.17.

Atque hæc quidem incommoda fœtibus eueniunt à matribus: matres verò propter fœtum non minora ſubeunt vitæ diſcrimina. [Mulierem vterum gerentem

gerentem (inquit Hippocrates ſect. 5. Aphoriſmorum 30. ab aliquo acuto morbo corripi lethale eſt.] & Aphoriſ. 43. [Si mulieri prægnanti ignis ſacer in vtero fiat, lethale eſt.] [Præterea euenit (inquit Ariſtoteles libro ſeptimo, de hiſtoria animalium, cap. 4.) vt mulieres à conceptu corpus totum grauentur,& oculorum caligines, & dolores capitis inducantur; quæ aliis maturiùs, & ferè die decimo accidunt; aliis ſeriùs, prout magis, minúſve ex materia ſuperuacua tentantur; nauſeæ item, & vomitus plurimas capiunt, & præcipuè, quibus purgationes conſtiterint, necdum ad vbera tranſeant.]

Ita matres afficiunt ſuos fœtus,hiſque morbis, & moleſtiis à fœtu afficiuntur matres, quæ omnia ex matrum tolerantia, ex Medicorum ſolertia, ex obſtetricum ſedulitate, ex adiacentis aëris temperatione, ex aliorum conſilio,& imperio pendere nemo non videt. Quid igitur agunt concepti fœtus præſides ſtellæ? Artem fortaſſe, & diligentiam Medico, aut obſtetrici inſpergent, qua ab his morbis prægnantem eximant? trahent Medicum, aut obſtetricem ad prægnantem? curabúntne, vt vocati adſint maturè, & cùm remediis opus eſt, dirigéntne earum manus, ne quid palpando vacillent? Facient, vt mater patienter ferat Medicorum opem, præſtabunt,ne dominus præcipiat ancillam ſaltare,auertent prægnantium inſanas cupiditates, lenibunt graues curas anicularum næniæ.

Agedum,vidéntne Aſtrologi ea,quę in matribus,ex matrum affectionibus, fœtibus contingunt in pueri, an in matris ſtellis? Si in pueri, indignè ferent natales ſtellæ matris, ſuum partum alienis vexari ſyderibus; ſi in matris, filij horoſcopus vacat: arbitraberis matris, & filij ſyderalem configurationem ſimilem eſſe,at filij,& matris diſſimillimum eſt vitæ, mortíſque genus. An exiſtimabis matrem diuexari à filij ſtellis quoties ſunt validiores; rurſus filium ſequi matris aſtra, quando firmiora ſunt ſuis? At qua igitur imprudentia è ſtellis natalitiis matris,de eius vita,morte,matrimonio,& liberis diuinas? ſpectandi tibi erāt fœtus,priuſquam aliquid pronunciares de matre. Addo,ante quam de fœtu vaticineris,expendendum tibi, & qui ex eo filij prodituri: corū enim ſtellis aliquando eſt exagitanda;ſi verò in matris horoſcopo qui fortior eſt, & vincet infantis ſtellas, Cernis quid fœtui euenturum, quid non euenturum ſit, vnde noſti vtrius horoſcopus matris an fœtus ceſſurus ſit alteri. Si matris filiíque ais te ſtellas conferre, & earum vires expendere, fatendum tibi erit è ſtellis quæ conceptui præſident nihil poſſe de fœtu certo ſtatui,niſi conſulantur,filiorum, nepotum, & omnium futurorum ſeculorum ſtellæ, quod nullus Aſtrologorum ſolet, aut poteſt facere.

CAPVT DECIMVM.

Monſtra non poſſe ad aſtra reuocari.

MONSTRORVM rationes, vt aliarum rerum omnium, è cœlo deducunt Mathematici. Ptolemæus lib. 3. de prædict. Aſtrolog. [In his (inquit) luminaria frequentiùs inueniuntur remota, vel ab aſcendente depuncta,& quod ab infortuniis anguli continentur,cùm hoc igitur ſic inuentum fuerit,conuenit, ſi hoc, illud forte contigerit, quod in miſeris,& infortu-

natis natiuitatibus multoties euenire dicitur. Et ſi natiuitates illæ monſtruoſarum figurarum non fuerint, vt præteritam coniunctionem, vel præuentionem obſeruemus; quantus coniunctionis, vel præuentionis, necnon loci luminarium natiuitatis hora, diſpoſitores planetas deprehendamus: quoniam ſi loca eorum in natiuitatibus, & locus Lunæ, vel aſcendentis. Iterum omnia, ſcilicet, vel plura loca conuentionis, vel præuẽtionis non alligentur, erit natus formæ monſtruoſæ. Hæc autem, ſi ſic fuerint, & cum hoc in quadrupedibus, vel feralibus ſignis, luminaria reperiamus, fuerintque infortunæ in angulis exiſtentes, non erit natus ex hominibus, ſi qua verò fortunarum, cum luminaribus teſtimonium non habuerit, ſed eis infortunæ teſtificatæ fuerint; natus non erit domeſticus, eritque natura ipſius ex ferarum impedientium naturis. Quòd ſi Iuppiter, aut Venus luminaribus teſtificetur: erit natus ex animalibus domeſticis, vt ſunt canes, furones, & his ſimilia; ſi Mercurius autem teſtificetur: natus erit ex animalibus, quibus opus habent homines, & vtuntur, vt ex Gallinis, Porcis, Bobus, Capris, & his ſimilibus: At ſi luminaria mouentur in ſignis, quorum imagines ſunt hominis, omniáque ſimiliter fuerint: natum ex hominibus, vel ex iis, quæ cum hominibus conuerſantur fore non dubitamus, niſi quod eum monſtruoſam formam habere dicemus.]

Item Cardanus, [Perſpicuum eſt (inquit) quòd Sol, & cæteri planetæ, cùm ſunt in Piſcibus, decernant ſurditates, & mutitates: Piſces enim parum audiunt, & voce carent.]

Iulius etiam Firmicus lib. 7. cap. 6. [Luna (inquit) ſi in contortis, vel ferinis ſignis fuerit inuenta, hoc eſt, in Tauro, Cancro, Scorpione, Capricorno, vel Piſcibus, nec dominus eius ſigni cum Luna ſit partili ſocietate coniunctus: & alia etiam maleuola ſtella ipſam, aut diametra, aut quadrata radiatione reſpiciat, aut cum ea ſit pariter conſtituta; ſecunda verò maleuola ſtella in anaphora ſit horoſcopi, & dominum fortunæ reſpiciat, quadrupes de quadrupede naſcetur: præſertim ſi dominus horoſcopi, & dominus fortunæ in iis ſignis, in quibus diximus, fuerit inuentus. Si verò dominus fortunæ, aut dominus horoſcopi in humano ſigno fuerit conſtitutus, & in ſexto ab horoſcopo loco, cæteris omnibus, ſicut diximus, conſtitutis: naſcetur ex homine portentum. Si maleuolę ſtellæ in cardinibus partiliter fuerint collocatę in cardinũ anaphoris: Sol verò, & Luna in cardinibus poſiti, diametra ſe radiatione percutiant: beneuolæ autem ſtellæ, neque in cardinibus ſint poſitæ, neque in anaphoris cardinum: ſed ſub radiis ſint Solis abſconſæ: aut quadrupes naſcetur, aut monſtrum. Si verò Mars, aut Sol, aut Luna, aut horoſcopus, quadrata aut diametra radiatione reſpiciat, & fuerit natus quadrupes, ſacrificiis publicis deſtinabitur. Si verò cæteris ſic, vt diximus, ordinatis, Iupiter, & Venus extra ordinem poſiti, aut Solem, aut Lunam, aut horoſcopum viderint; quadrupes quod natum fuerit aut coletur ab hominibus, aut templorum, & ſimulacrorum conſecrationi deſtinabitur.]

Item capite octauo, [Sol (inquit) ſi in horoſcopo fuerit inuentus, & Luna in medio cœli, maleuolæ verò ambæ ita ſint diuiſæ, vt vna Solem, altera Lunam, anaphoram teneat, & ab iis aliæ ſint beneuolæ ſtellæ, cæcos efficiunt, aut luminibus vitiatos. Sed ſi Luna cum Sole, ſynodica radiatione coniuncta fuerit: & ſit in anaphoris, aut epicataphoris cardinum conſtituti, & Saturnus, & Mars in cardinibus ſint partiliter collocati: oculis vitium cæcitatis infertur. Semper

autem

autem generaliter, ſi in maleuolarum anaphora Sol ſint, & Luna conſtituti, vitium oculis faciunt inferri.] Hæc Genethliaci de monſtrorum cauſis.

Mihi verò hæ cauſæ promendæ ſunt ex officinis Phyſicorum, & obiiciendæ iis, qui ſpectant & admirantur aſtra: præterea nihil. Et Ariſtoteles quidem lib. 2. Phyſ. text. 82. Monſtra dicit eſſe peccatū illius, quod propter aliquid agit, quo fruſtratur, aliquo corrupto. Empedocles apud Galenum libro de hiſtoria philoſophica docuit, oriri monſtra, ſi plus iuſto fuerit ſemen, ſin minus, ſi diuulſum, ſi euanidum, ſi inordinato motu emiſſum.

Tria verò monſtrorum genera ſunt. Quædam enim à progenitoribus differunt ſpecie. Mulier (auctore Plinio lib. 7. naturalium hiſtoriarum, capite 3.) Elephantem enixa eſt; & inter initia Marſici belli ſerpentem peperit ancilla quædam; & Hippocentaurus in Theſſalia natus dicitur. Quædam verò eamdem cum parentibus retinent ſpeciem, ſed non eadem membra, vel non eodem ordine.

Franciſcus Valeriola libro quarto Obſeruationum Medic. obſeru. 2. narrat, Auenione à ſe viſum puerum duplici corpore ab imo ventre ad pectus, vno capite, prægrandi, quatuor cruribus, totidem brachiis, ſeptem in ſingulis pedibus digitis non ſatis diſtinctis, ſex in manibus ſingulis. Et ſanctus Auguſtinus lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 8. [Ante annos (inquit) aliquot, noſtra certè memoria, in Oriente natus eſt homo duplex ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex, duo erant capita, manus quatuor, venter vnus, pedes duo, & tandiu vixit, vt multos ad eum videndum fama traxerit.]

Quædam denique ſunt ex duabus, vel pluribus ſpeciebus compoſita, quæ refert Ariſtot. 2. Phyſ. tex. 83. bouigena, viriprora, vitigena, oleoprora. Marcus Varro, hæc monſtra bigeneres vocauit. Apud Ariſtotelem Agnus capite bouis, vitulus capite pueri, puer capite ranæ inuenitur, lib. 6. de hiſtoria, cap. 23. Apud alios Cynocephali leguntur canis capitibus latratus edere, beſtiis ſimilis, magis quàm hominibus, de quibus Solinus, Diodorus Siculus, & alij.

Hæc ſunt monſtrorum genera: nunc cauſas inquiramus, quas quatuor numero faciunt Peripatetici lib. 2. Phyſic. tex. 82. vel 64. Themiſtius, Auerroës, Simplicius, S. Thomas, Auguſtinus, Nyphus, Ferrarienſis, Dominicus Soto, Franciſcus Cardinalis, Toletus, Benedictus Pererius lib. 9. de principiis, cap. 10. materiam qua formatur viuens, hæc enim ſi deficiat, ſi redundet, ſi commixta & confuſa ſit, monſtri cauſa exiſtit. Agens aut principale, aut inſtrumentale, aut vtrumque huiuſmodi eſt vis formatiua fœtus: & accidentia illa quæ in Philoſophorum ſcholis toties audiuimus in virtute ſubſtantiæ producere ſubſtantiam. Verum & locum in quo formatur viuens, nam auctore Hippocrate libro de genitura ſicut cucumer adhuc cucumerario cohærens recipit figuram vaſis in quo alitur, & creſcit, ita fœtus habet formam vteri in quo formatus fuit; tunicam denique qua fœtura obuoluitur: nam ſicut ouum continetur cortice, ita genituram complectitur tunica quædam, quæ ſecundina vocatur, teſte Hippocrate libro de genitura. Itaque auctore Ariſtotele libro quarto de generatione animaliū, capite quarto, ex ouis, habentibus duo vitella, ſi deſit membrana quæ ea diſterminet, naſcitur pullus vel biceps vel quatuor pedibus; ita rupta ſecundina qua fœtura continetur monſtrum aliquod fieri neceſſe eſt. Ita ſine ſtellarum ope monſtra procreari exiſtimant Peripatetici, ſed quid eorum Princeps & Magiſter Ariſtoteles? Proximum (inquit lib. 4. de generatione

animalium capite quarto) ab iis quæ iam explicauimus,eſt vt cauſam de monſtris reddamus: ad extremum enim cùm motus ſoluatur & materia non ſuperetur, remanet quod maximè eſt vniuerſale,id eſt, animal. Iam puerum ortum capite arietis aut bouis referunt, idémque in cæteris membrorum nominant animalis diuerſi: vitulum capite pueri, ouem capite bouis natam aſſeuerant. quæ omnia accidunt quidem cauſis prædictis, ſed nihil iis quæ nominant eſt quamuis ſimilitudo quædã generetur. quod euenit etiam non in Monſtrorum peruerſis. Quamobrem ſæpenumero per conuitium nonnulli deformes aſſimilantur, aut capræ ignem afflanti aut arieti peculeo. Phyſiognomon quidam omnes ad duorum aut trium animalium formas redigebat: & dicẽdo plerumque perſuadebat. Sed enim impoſſibile eſſe, vt tale monſtrum gignatur, id eſt alterum in altero animal, tempora ipſa grauiditatis declarant quæ plurimum diſcrepant in homine & cane, in oue, & boue, naſci autem nullum, niſi ſuo tempore poteſt. Partim igitur hoc modo, dicuntur monſtra,partim quòd forma prodeant multimembri,ſcilicet multis pedibus, aut multis capitibus, ſed profectò rationes monſtrorum,& oblæſorum animalium propinquæ, & ſimiles inter ſe quodammodo ſunt. Monſtrum enim oblæſio quædam eſt. Democritus verò monſtra fieri ea de cauſa ſcribit,quòd duo ſubeunt ſemina:alterum ante,alterum poſtea; quæ cùm in vtero confundatur, euenit vt membra coaleſcant, atque diſſideant. auibus verò quoniam coitus agitur crebrò, idcirco ſemper & oua, & colorem euariare autumat; ſed ſi ita ſit vt ex vno ſemine, eodémque coitu,plura generentur:quod patet: præſtat non circuire, via omiſſa breui, & facili, iis enim tunc maximè id accidere neceſſe eſt, cùm ſemina non diſtinguuntur, ſed ſimul ſubeunt, quòd ſi ſemini maris cauſa tribuenda eſt, hoc modo dicendum ſit, ſed enim ex toto potius, cauſam in materia, conſtituendiſque conceptibus eſſe cenſendum eſt. Quamobrem, monſtra huiuſmodi rarò admodum fiunt in iis, quæ ſingulos pariunt, ſed crebriùs, in iis quorum partus eſt numeroſus:non modò quòd ſæpe pariant, vt columbæ, verùm etiam quòd multos ſimul conceptus intra ſe continent, & temporibus omnibus coëunt. Hinc gemina pariunt etiã plura:cohærent enim conceptus, quoniam in propinquo alteri alter eſt, quomodo interdum fructus arborum complures:quòd ſi vitella diſtinguuntur, membrana, gemini pulli diſcreti, ſine vlla ſuperuacua parte generantur; ſed ſi vitella continuātur, nec vlla interiecta membrana diſterminantur, pulli ex iis monſtriferi prodeunt; corpore,& capite vno, cruribus quaternis, alij totidem, quoniam ſuperiora ex albumine generantur, & priùs, vitellum enim cibo iis eſt, pars autem inferior poſtea inſtituitur, quámque cibus idem indiſcretúſque ſuppeditatur. Iam ſerpens etiam biceps viſus eſt. videlicet eadem de cauſa, nam id quoque genus oua parit, & multa numero, ſed rariùs in eo monſtri inſtitutio euenit propter vteri formam, porrecta enim inuerſum copia ouorum continetur pro vteri longitudine. Nec verò in genere apum, aut veſparum tale quid accidit, cellulis enim diſcretis partus earũ continentur;at in gallinis è contrario fit.Vnde apertum eſt,cauſam euentorum huiuſmodi in materia eſſe putare oportere:vt enim in iis,quæ plura pariunt,magis:ſic in iis quæ pauciora,minus id accidit.quocirca homini minus:ſingulare enim perfectúmque parit, nã & homini locis, quibus mulieres præfœcundæ ſunt,magis id euenit,vt in terra Ægypto.Capris verò & ouib. magis:vt fœcundioribus accidit,atque etiam magis multifidis,mul-

tifera enim id genus animalia ſunt. nec partu perficiunt,vt canis; cœcos enim magna eorũ pars ſolet parere,quod quam ob cauſam accidat, & quam ob rem pariãt multos:poſtea explicabimus. Sed enim hæc propenſiora ſunt ſuapte natura ad monſtrificã portionem,quando non ſimiles ſibi generant, ſed imperfectos,nam & monſtrum quid diſſimile eſt,quamobrem iis quibus talis natura eſt,faciliùs caſus hic obuenit,in iis enim potiſſimùm,& quę metachæra appellantur, conſiſtunt. quæ aliquatenus labe monſtrifica ſunt affecta:nã deeſſe,aut ſupereſſe quidquam monſtruoſum eſt: monſtruoſum enim eſt res præter naturam,ſed præter eam, quæ magna ex parte ſit. nam præter eam, quæ ſemper, & neceſſariò eſt, nihil fit: verùm in rebus iis, quæ magna quidem ex parte ita fiunt, ſed aliter etiam poſſunt fieri: euenit, quod præter naturam conſtat. nam & inter eas ipſas, quibus accidit quidem, præter hunc ordinem, ſed nunquam quolibet modo, minus monſtrum eſſe videtur: quoniam quod præter naturam ſit, idem etiam ſecundùm naturam quodammodo eſt, cùm naturam materiæ natura formæ non ſuperat, quamobrem, nec ea monſtri nomine appellantur, neque vbi fieri aliquid ſolet, vt in fructibus. Vitis enim quædam eſt, quam aliqui capneum vocant, quæ cùm vuam album ſoleat ferre, ſi nigram tulit, monſtrum id eſſe non putant: quoniam ſæpiſſime id facere ea ſolet, cauſa eſt, quòd ſua natura inter albam, & nigram eſt:itaque non longè diſceditur, nec præter naturam fere: non enim, in aliam naturam tranſitur.

Has tradunt monſtrorum cauſas Peripatetici & Peripateticorum Princeps Ariſtoteles.

Strato verò Lampſacenus apud Plutarchum libr. 5. de Placitis Philoſophorum cap. 8. in ſemine omnes monſtrorum cauſas vidit, quas vidit & Empedocles inter Poëtas; ſummus Philoſophus, inter philoſophos princeps Poëta, apud Galenum, libro de hiſtoria philoſophica, [Monſtra (inquit) naſcuntur ſi multum fuerit ſemen:ſi parum,ſi diuulſum,ſi euanidum,ſi inordinatum.]

Nec Philoſophi modò, ſed & Medici omnes has faciunt monſtrorum cauſas: quorum ſententias paucis ſed lectiſſimis verbis complexus eſt. Franciſcus Valeriola ille quem Gallia ſuſpicit vniuerſa libr. 4. Medicarum obſeruationum obſeruatione ſecunda, [Ludibria (inquit) hæc ſunt ludentis naturæ, quæ vel ad materiæ copiam, aut defectum, aut ad ſitus in vtero, peruerſionem, aut ad formatricis naturæ vitium, & impotentiam, aut ad locorum vitium, figuram, poſitionemque, aut ad impedimentum, quod in illis ſit,referenda ſunt.]

Atque hæc de monſtrorum cauſis, ſapientiſſimi viri Philoſophi & Medici, quæ & naturæ ipſius certiſſimis confirmata iudiciis, & quotidianis comprobata experimentis, & eximia quadam veritatis luce conſpicua cùm ſint, nulli in dubiam, aut ambiguam fidem vocare licet. Fingant itaque ſibi Aſtrologi quantam velint ſyderum benignitatem,ſi vterus diſtortus, ſi aliqua parte mancus, ſi durior, ſi mollior, ſi laxus ; quid agent ſtellæ, vt fœtus aptè formetur ? An materiam aliquam aliunde comportabunt, eique qualitatem, & figuram vteri induent; aliiſque partibus longè recedere iuſſis, priori vtero nouam materiam affluent ? Si minus ſit ſeminis, quàm formando fœtum ſatis ſit, vnde illud aſtra comportabunt ? ſi redundet, quonam modo monſtrum impedient?ſi diſrupta ſecundina, qua ratione continebunt

Digitized by Google

tinebunt fœtum,ne diffluat? perturbato aliquo quopiam caſu ſemine,quo pa-
cto formabunt membra ſuo loco cohærentia?

Rurſus fingant monſtrifica aſtra, quæcumque volunt,ſi parum in vtero ſit materiæ, vnde illa effingent, plura capita, plures pedes,plura membra,quàm natura fœtus poſtulet?vtero,membranis,ſemine,ex naturæ præſcripto ritè diſpoſitis,quomodo aſtra fingent monſtrum?

Hæc expediant Genethliaci ſi poſſunt, quæ ſi ex aſtris deduci nõ poſſunt,vt verè nõ poſſunt,cedãt ſydera proximis cauſis,fateamur,quod res eſt,nihil illis iuris eſſe in formandis monſtris, nihil in procreatione fœtus, ſed omnia ſibi vendicare materiam,vterum membranas, vim formatiuam, & cætera huius generis.

Illud prætereà libenter quæſierim, ex Genethliacis,An redeant aliquando eædem ſtellarum configurationes, an non? Si redeunt; cur eadem non procreantur Monſtra?cur certis ſtatiſque temporibus eadem monſtra non redeunt quemadmodum redit æſtas,& hyems,poma,& fruges,auium nidificatio, procreatio pecudum? quæ omnia è ſyderum congreſſu Aſtrologorum ſententia pendent: ſi non redeunt,vnde norunt monſtrificam, vt ita loquar,vim ſtellarum?Prætereà monſtra eſſe per accidens, & libro 2. Phyſicorum tex. 80.Idem Ariſtoteles,& ſapientum ſenatus decreuit, omnium mortalium ſuffragiis. At id,quod à conſtitutione cœli, & ordinatiſſimis cœlorum motibus proficiſcitur,non eſt per accidens,ſed per ſe intentum; pugnantia itaque hæc ſunt: eſſe monſtrum,& eſſe à cœlo effectore.

Deinde cùm multi ſimul procreantur, doceant cur nunquam plura: immò ne duo quidem monſtra ſimul gignantur;& ſi gignuntur: cur nunquam ſimilia planè gignantur?

Addo quo die monſtrum naſcitur,aut gignitur, naſci & procreari plures integros,& omnibus partibus abſolutos. cur ita? cur ſtellæ per id tempus præſides non omnes ad inuſitatam formam traducunt? Quid in hunc plus iuris habent,quàm in illos? Integri qui formantur à quo quæſo formantur:à ſtellis? At illæ eo tempore,eóque die in ſignis contortis ſunt,in quibus Aſtrologorum ſententia,vt vidimus,non poſſunt integros conformare: An à vi formatiua ſeminis,& proximis cauſis? fatendum erit, ſtellas nullam vim in conformatione fœtus exercere;quod ſi Aſtrologi admitrant:& illud tandem admittendum erit, è ſtellarum configuratione nihil de fœtu decerni poſſe, aut cognoſci.

Quid illud, mediocris ne ſtuporis, ac tarditatis eſt,quod ait Cardanus,quãdo Planetæ ſunt in piſcibus,naſci filios mutos, quia piſces voce carent; aliæ credo ſtellæ fari poſſunt:quod ait Ptolemæus:ſi luminaria mouentur in ſignis, quorum imagines ſunt hominis:natum futurum menſtruoſum quidem,ſed ex hominibus,ſi in figuris brutorum:futurum ex brutis;itáne ſtellæ generant ſibi ſimile?

Ad extremum ſapientiſſimi viri, Ariſtoteles in primis, qui de monſtrorum cauſis diſertè & accuratè diſputarunt, cur nullam aſtrorum mẽtionem fecerũt? An ignorarunt ea,quę Pictoribus,Fabris,Architectis,Sutoribus perſpecta ſunt? nõ ita,ſed quod ad omnia naturæ arcana auditum ſibi fecit ſingulare Ariſtotelis ingenium Aſtrologica non attigit,non quod aſſequi non potuerit,ſed quod fictitia,nullàque ratione conſtare intellexit.

Denique, qui monſtra aiunt,è ſtellis proficiſci:omniáne, an aliqua aiunt eſ-
ſe à

ſe à ſtellis? non omnia: quia ſub quocumque ſtellarum ſchemate coëant animantes, diuerſorum generum,monſtra prodire; per quotidiana experimenta didicimus.qua de cauſa,Deus Leuitici cap.19.n.19. præcipit,[Iumentum tuum non facies coïre cum alterius generis animantibus.] Si aliqua, quæ eſt cauſa, cur hæc potiùs cœlum auctorem habeant quàm alia?

CAPVT VNDECIMVM.

Ratio quâ ſecundùm Aſtrologos fœtus ſtellis reſpondet.

NON præteribo quæ Aſtrologi de fœtu docent, apud Conciliatorem differentia 49.fermè extrema.[Talem (inquit) Planetarum ordinem & modum in embryonis ducatu adinuenit: in vnoquoque menſe dominantium.Poſuit namque menſe primo, ſuper conceptionem Saturnum dominari:frigidum, & ſiccum,tunc enim ſemen aquoſum eſt & fluxibile,& indiguit aliquo,quod ipſum ſiſteret,conſtringeret, & fixaret.Secundo quoque mẽſe ſuper ipſum Iupiter dominatur,fortunans, calidus,& humidus, augmentatiuus eſt,namque virtutis creſcentis origo.Tunc enim conceptus eget calido dilatante,ipſius materiam, & humiditate,ad extenſionem dilatante. Reliquo menſe, Mars accurrit, qui ſua caliditate iam finientem embryonem calefacit, & deſiccat.Menſe autem quarto ſuperuenit Sol, vt cœli, mundique princeps, qui ſua caliditate viuifica in tantum perficit embryonem, vt ſpiritus in ipſum gradiatur rationalis:Quinto verò menſe,Venus ordine ſuperoccurrit, frigiditate,& humiditate contemperãs,quod calidum Martis & ſiccum,ac Solis,carnémque augmentat.Reliquo nimirum menſe aduenit Mercurius humida exiccans,ſuperfluo contemperantiam inducendo. Luna quoque ſeptimo adiicitur menſe,carnem & pinguidiorem ſua humiditate infantem nutriens. (cùm ipſa virtutis naturalis ſit origo) denique menſe octauo reuertitur Saturnus.]

Quam vellem hæc conficta eſſe à Conciliatore in odium Mathematicorum,quàm vellem non legi apud Cardanum,apud Albumalar,apud Maternum, alióſque Aſtrologiæ Magiſtros; Ergo vbicumque ſit Saturnus,ſiue in Oriente, ſiue in Occidente , ſiue in medio, ſiue in imo cœlo,in quacumque domo,in quocumque ſigno,& in quocumque gradu ſigni, quomodocumque ſit,cum aliis aſtris conſtitutus.Primo menſe fœtui præſidet: & quocumque tandem tẽpore ille concipiatur, & vbi ſunt Aſtrorum congreſſus:configurationes,angulì,aſpectus , aſcenſus, deſcenſus,domus, antiſcia , ortus , occaſus? In nihil reciderunt hæc omnia.O pudenda mendacia, & inter ſe pugnantia principia!

CAPVT DVODECIMVM.

Egregium Aſtrologorum figmentum.

LIBEAT librum hunc de fœtu egregia fabella concludere. Explicare (inquit Iulius Firmicus libro ſecundo Meteororũ c. 27.) debemus duodecim ſigna, quos partes humani corporis teneant, hoc enim, & ad apo-

M teleſma

teleſmata, vehementiſſimè proficit, præſertim cùm locum valetudinis, vel vitij voluerimus inuenire, caput hominis in ſigno Arietis eſt, ceruix in Tauro, humeri in Geminis, cor in Cancro, pectus & ſtomachus in Leone, venter in Virgine, renes, & vertebræ in Libra, natura in Scorpione, fœmora in Sagittario, genua in Capricorno, tibiæ in Aquario, pedes in Piſcibus, & ſic per hæc ſigna, tota membra hominis diuiduntur.] Hæc ille.

Quis audiuit tantam fingendi licentiam? quid eſt fabula, ſi hæc eſt diſciplina? cur non ponunt cor in Leone? cur ceruicem potiùs in Tauro, quàm in Piſcibus collocant? cur cor in Cancro, pectus in Leone eſt? nonne pectore continetur etiam cor? obliti ſunt hepatis præcipui membri in homine, cerebri, cui principatum tribuunt Medici. O licentiam iocularem? Hæc ludibria habent fidem apud homines?

Prouoco ad Ptolemæum Mathematicorum Principem: qui libro 1. cap. 8. ex Arietis ſtellis alias facit Iouias, alias Martias, alias Saturninas, alias alterius naturæ. [Stellæ in capite Arietis (inquit) effectus habent commiſtos ex viribus Martis, & Saturni, quæ in ore ſunt: idem poſſunt quod Mercurius, & non nihil quod Saturnus, quæ in poſteriore pede Martiæ, quæ in cauda, Venereæ ſunt.] Nego igitur harum ſtellarum vires eſſe miſcendas, nego ad vnum membrum omnes poſſe trahi: pudeat egregios vates, tam fœdi veſanique erroris, non in Philoſophiam, & in Medicinam ſolùm, ſed multò turpiùs in Genethliacam, quam profitentur, peccant, & exigunt à nobis fidem: tenerent ſaltem Aſtrologica dogmata, & non offenderent ad prima Aſtrologiæ principia, loquerentur falſa, ſed cohærenter, haberemus fortè illis fidem: nunc verò qui poſſumus pugnantia quæ ſunt, vera exiſtimare? Miſeram Genethliacam! Nullus hoſtis plura aut magis lethalia tibi vulnera impoſuit quàm amaſij tui, hi te omnibus ludibrium fecerunt.

IN

IN ASTROLOGOS LIBER TERTIVS.

De natali, & partu.

PROOEMIVM.

EA, quæ ad conceptum & fœtum ſpectabant, iam auſpice Deo, exegimus: ſatíſque videmur oſtẽdiſſe, quàm multis cauſis, ac modis lubricum, ac fallax fieri ſoleat, Aſtrologorum iudicium de fœtu: ſequitur iam alterum quod ferre ſolent de Partu, & nato puero, ex Nataliciis Aſtris, in quæ cuiuſque ortus incidit, & quidem facilius fuerit, ex materni vteri ergaſtulo eductum, & libero apertóque cœlo fruentem hûc illúcque pro voluntate, pro cupiditate, pro ambitione, pro ſtudio, pro timore, pro amore, pro iracundia, pro honeſtate, pro commodo, pro incommodo, liberè vagantem hominem à ſyderum dominatu eximere: quàm aluo incluſum & extrinſecis cauſarum factionibus impeditum: nihil, ex ſe, & per ſe agentem.

Sed priuſquam natalitias ſtellas exagitare ingrediar, non abs re fuerit paucis humanam libertatem aſſerere, quam etſi hac tempeſtate, metu nimirum publicæ poteſtatis, non audent Genethliaci aperto Marte oppugnare, occultis tamen cuniculis eam petere non dubitant.

CAPVT PRIMVM.

Liberum arbitrium ex omnium gentium conſenſu.

OMNIA quidem, quæ Aſtrologi è ſtellis denunciant, perſtringunt, nec leuiter humanæ voluntatis libertatem, ſed ea, quæ à natalitiis ſtellis euentura homini iam nato, in omni vita pronunciant: apertiùs ſyderali neceſſitati noſtras mentes ſubiiciunt. Quamobrem huius ſecundi libri principio humanis voluntatibus eam ineſſe libertatem oſtendendum eſt, vt quò, aut vnde voluerint, poſſint ſe, & conuertere, & auertere ita planè, vt nulla fati, aut neceſſitatis lege teneantur, ex quo efficietur nihil mortalibus à natalitiis aſtris, ab Aſtrologorum prædictionibus, magnopere timendum, ſperandúmve eſſe.

Ne verò argutiis potiùs, ſe à nobis circumueniri, quàm veritate premi Aſtrologi exiſtiment, omnium gentium, omnium ſeculorum, omnium diſciplinarum conſenſu, contra eos agemus, humanis enim mentibus inſitam libertatem, in vtramque partem agendi facultatem, omnes ætates, omnes nationes, omnes doctrinæ agnouerunt.

Agnouerunt primùm Theologi, quibus quotidie Spiritus ſancti numen, Vatum oracula, Apoſtolorum literæ, Conciliorum decreta illam inculcant.

Agnouerunt Patres Græci, S. Irenæus libro 4. c. 71. 72. Clemens Alexandrinus, lib. Strom. pag. 65. Origenes lib. 2. cont. Celſum. pag. 780. lib. 3. de principiis, cap. 1. Euſebius Cæſarienſis lib. 6. de præparatione Euangelij, cap. 5. S. Athanaſius ſerm. de paſſione, & cruce Domini, S. Baſilius ſerm. de libero arbitrio, & in oratione quòd Deus non ſit auctor malorum, S. Gregorius Naziãzenus primo Apolog. fermè in initio, Greg. Nazianz. lib. 9. Philoſophiæ, c. 3. S. Ioannes Chryſoſtomus homilia 60. in Matthæum, & ſerm. ſecundo de fato. S. Epiphanius hæreſi 16. S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem c. 54. lib. 9. c. 10. S. Ioannes Damaſcenus lib. 2. de fide, c. 26.

Agnouerunt Patres Latini. Tertullianus libro 2. aduersùs Marcionem, circa medium, S. Cyprianus libro primo epiſtolarum, & ad Cornelium Optatus Mileuitanus libro ſeptimo in Parmenianum, S. Hilarius Pſ. 2. S. Auileo Pſal. 40. S. Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem extrema, & in cap. 26. Hierem. S. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 10. lib. 12. cap. 6. lib. de prædeſtinat. Sanctorum, c. 8. lib. quæſt. q. 29. li. de Gratia & libero arbitrio, toto, S. Leo ſerm. 16. de Paſſione, Proſper Aquitanus in reſponſione ad ſextum reſponſionum Gallorum, S. Bernardus libro de Gratia & libero arbitrio.

Agnouerunt Philoſophi, qui de moribus ſcripſerunt, Ariſtoteles in primis libro 3. & 6. qui de conſilio, de electione, de gnome, de ſyneſi, copioſè diſputans, totam vim, ac rationem virtutis & vitij in eligendi libera facultate collocauit.

Agnouerunt Phyſici, Philoſophorum Princeps libro primo vel 3. de anima, tex. 57. [De anima ſenſitiua (inquit) imaginatio, ſicut dictum eſt, & in aliis

anima

animalibus ineſt,deliberatiua autem in rationalibus: vtrùm enim aget hoc,an hoc, iam rationis eſt opus, & neceſſe eſt vno menſurare, maius enim perſequitur, quare patet vnum ex pluribus phantaſmatibus facere, & cauſa hæc eſt, quòd opinionem non videtur habere, quoniam ea, quæ eſt ſyllogiſmo non habet: hæc autem illam. Quapropter deliberantium non habet appetitus, vincit autem aliquando, & mouet voluntatem,aliquãdo autem illa hunc:ſicut ſphæra appetitus, appetitum, cum incontinentia facta eſt, natura autem ſemper ſuperior,principalior eſt,& mouet,adeò vt tribus lationibus iã moueatur.]

Agnouerunt Metaphyſici. Quare Ariſtoteles lib.9.Metaphyſ.tex.10.[Quoniam(inquit)quod poteſt aliquid poteſt,& aliquando,& aliquo modo,& quæcumque alia neceſſe eſt adeſſe, in definitione, & quædam quidem ratione, poſſunt mouere: & potentiæ eorum cum ratione, quædam verò irrationabilia, & potentiæ irrationabiles, & illas quidem neceſſe eſt in animato eſſe,has verò in ambobus,huiuſmodi quidem potencias neceſſe eſt,vt cùm quoad poſſent,actiuum,& paſſiuum approximent,hoc quidem faciat,illud verò patiatur:illas verò non eſt neceſſe. Hæ enim omnes,vna vnius factiua,illæ verò contrariorum. Quare ſimul ne faciat cõtraria,hoc verò impoſſibile eſt. Neceſſe eſt igitur,aliquid quiddã eſſe,quod dominetur.Duo autẽ ſiue appetitũ,ſiue electionẽ:quodcũque n. appetat,principaliter hoc faciet,cũ quoad poſſit approximet paſſiuũ.]

Agnouerunt Medici. Cur enim vel præſcribit Hippocrates,tribus libris victus rationem,ſi non poſſumus nobis ipſis temperare? vel Galenus ſuadet paruæ pilæ exercitationem, ſi liberum non eſt, qua re ſe quiſque velit exercere? vel Celſus ſanxit canones de ſanitate tuenda, ſi eius præcepta ſequi penes nos nequaquam eſt? vel alij omnes morbo cuique medicinam parant, ſi neceſſitas nullum prudentiæ locum reliquit? Agnouerunt Iuriſconſulti, qui, ſi malè rectève viuendi facultas in nobis nõ eſſet, per ſummam iniuriam tantam legum pœnarũmque varietates conſtituiſſent,ad hominum libidinem reprimendam, & quidem longè aliter,quàm bruta ſoleant,aut homines mente capti coërceri.

Agnouerunt Principes, qui non animaduerterent in ciues, niſi integrum illis eſſet, perturbationibus, quibus incitantur quoties perperam agunt, imperare.

Agnouerunt Rhetores, quorum inanis omnis ad perſuadendum apparatus eſſet,ſi inflexibilis neceſſitas aures animóſque audientium occupaſſet.

Agnouerunt ipſi etiam Mathematici. Ptolemæus libro primò de iudiciis, cap.3. [Neque(inquit)in iis rebus quæ neceſſariò accidunt, ignoramus ſubitis & inopinatis aduerſitatibus,animos percelli, & ſucceſſibus extolli, ſed præuiſio futurorum animum componit,& moderatur:meditatione abſentium,túmque præſentium, & præparat ad percipienda ventura, cum tranquillitate, & conſtantia.]

Poſt pauca quæcumque à prima cauſa, vel in vniuerſum,vel ſigillatim mouentur,hæc inuariabili modo procedere,cur illa inſuperabilis ſit,& omni contra nitente vi præſtantior,quæ autem ſe aliter habeant, eorum quibus contrariæ affectiones contigerint, facile eſſe conuerſionem, quibus verò defuerint, illas primas cauſas ſequi: hoc verò fit in ſcientia hominum, non illarum neceſſitate, & potentia.

Idem in centiloquio canone 8 poteſt qui ſciens eſt,multos ſtellarum effectus auertere,quando naturam eorum nouerit,& ſe ipſum præparare.

Digitized by Google

Iulius item Firmicus libro primo Matheſeos, capite 3. [Inuocemus(inquit) ſuppliciter Deos, & religioſè promiſſa numinibus vota reddamus, vt confirmati animi noſtri diuinitatem, ex aliqua parte ſtellarum violentis decretorum poteſtatibus reſiſtamus; hoc debere nos facere vir diuinæ ſapientiæ Socrates docuit. Nam cum quidam ei de moribus ſuis cupiditatibúſque dixiſſet, quos ille ſimili ratione collegerat. Tum, inquit, vt dicis, agnoſco, confiteor, & cur prudentiſſimus latentia corporis vitia facili confeſſione detexit? Sed hæc inquit omnia à me prudentia, ac virtutum auctoritate ſuperata ſunt, & quidquid vitij corpus ex praua concretione habuerat animi ſibi bene conſcia, diuinitas temperauit.]

Rurſus Albumazar iis qui Aſtrologiam inutilem eſſe obiiciunt, reſpondet, percommodam eſſe: [Nam qui conſcius (inquit) eſt futurorum euentuum, poterit ſibi præcauere mutando bonum, in quo futura eſt paſſio, poterit etiam aliquando totum à ſe malum repellere, & futuram infirmitatem, aut hoſtium inuerſionem deuitare.]

Agnouerunt denique Gentes vniuerſæ, populi, nationes, omnéſque ætates, quæ quotidiano vſu & experimento vident, nos odiſſe, quod aliquādo amauimus; amare, quod maximè auerſabamur, quod fugiebamus ſequi, fugere quod ſequebamur.

Huic conſtantiſſimæ veritati omnium populorum, omnium diſciplinarum conſenſu firmatæ, quos Genethliaci inuexerunt, ſyderum ductus, & dominatus aduerſari nemo non videt. Iactant illi quidem, ſalua libertate ſe diuinare futura: ſed ſuas prædictiones, tam firmas ac ratas eſſe volunt, quàm, quæ ineuitabili neceſſitate eueniunt. Si quid in Aſtrologicis denunciationibus deprehendatur falſum, id in Aſtrologum, non in Aſtrologiam referendum eſſe contendunt. Hinc Ptolemæus libro primo de iudiciis, capite primo: [Primum quidem intelligendum(inquit) multa errata eorum, qui parum accuratè in re magnæ, & multiplicis conſiderationis verſentur, derogare fidem ſcientiæ, & facere, vt fortuita videantur etiam, quæ veritatem complectuntur. quod non rectè fit: nam hæc imbecillitas non eſt ſcientiæ, ſed profeſſorum.]

Nullam poſſunt Genethliaci ſuæ diſciplinæ conciliare fidem, niſi irretita, ac vincta humana voluntate, & illi quidem noſtrarum mentium libertatem in ſpeciem acriter tuentur: re, & factis funditus euertunt, quantum enim ſuæ arti firmamenti ac certitudinis aſtruunt, tantum ex liberis voluntatibus detrahant neceſſe eſt: quæ ſi liberæ ſunt, vt verè ſunt, nō ex cœli præſcripto, ſed ſuo arbitratu viuere debent, nihil enim liberæ voluntati aduerſatur, magis quàm alieno imperio, & ducatu huc, & illùc circumferri, aut certis prædictionibus magis repugnat, quàm humanæ mentis inconſtantia, & lubricus euentus.

Et quid agent prædictiones, poſt liberam voluntatem? voluet illa, ac reuoluet pedes, quò nunquam putatum eſt, recta procurret, deflectet in ſiniſtrum latus, apparebit, in dextro latebit, in mæandris deſiliet repentè in lucem, eludet omnes prætentiones, Aſtrologorúmque obſeruationes.

Atque ne vllus reliquus fiat dubitandi locus, Aſtrologorum verbis ſolum retinere liberum arbitrium, re & factis negare, plerique omnes Aſtrologi veteres ex quibus initia vel incrementa ſumpſit hæc ars, impudenter docuerunt nullam eſſe humanæ voluntatis libertatem, ſed homines veluti muta pecora agi ſtellarum vi. Id Arabes, quorum adhuc libri leguntur, tradidêre: id Chal-

dæi,

dæi,quos Marcus Tullius lib.2.de diuinatione refellit: Id omnes Genethliaci, qui per Auguſtini, Baſilij,Chryſoſtomi,Cyrilli,Theodoreti,Gregorij, tempora floruerunt, qui eo nomine potiſſimùm ab his Patribus confutantur, quòd humanæ mentis libertatem euerterent, negabant illi quidem infringere voluntatis libertatem, ſed ſapientiſſimi viri rectè intelligebant, non poſſe cum prædictionibus,& aſtrorum vi,quas aſtruebant,liberum arbitrium conſiſtere.

CAPVT SECVNDVM.

Humanas mentes ſyderum poteſtati non rectè ſubiici.

HVMANÆ mentis liberam in vtramque partem agendi poteſtatem ſatis iam videmur commonſtraſſe omnium Gentium teſtificatione, nunc liberas voluntates à ſyderum dominatu vendicare aggredimur.

Ac primùm naturam omnibus, quibus ineſt, rationis, & ordinis cauſam eſſe,vt confeſſam iam rem,& manifeſtam pronunciat Ariſt.lib.8.Phyſ. t.15.li3. cœli,tex.23.& 24.quin lib.2.de cœlo,tex.69.non aliâ reperit ratione,cur ſupremo orbiaſtra multa,ſingula inferioribus infixa ſint,niſi quia cùm natura æqualitatis, & ordinis auctor ſit, vni conuerſioni ſtellas multiplices,vni verò ſtellæ multiplices cōuerſiones attribuit,vt ordine quodam paria faceret omnia. Iam verò quid à recto ordine cogitari poteſt abhorrentius, quàm incorporeas animarū naturas ſyderalibus, & corporatis neceſſitatibus ſubiicere? [Natura (inquit Ariſtoteles lib.3.de anima, text.57.) ſuperior, ſemper principalior eſt, & mouet.] Et Ptolemæus libro primo de iudiciis, cap.3. [Semper (inquit) minor cauſa maiori ſuccumbit.] In omni ſanè cauſarum genere cernimus, regi, gubernarique à perfectioribus imperfecta, ab imperfectis perfectiora, nuſquam præſtat elementis cœlum: propterea ex neceſſitate ait Ariſtot.lib.1. Meteororum,cap.2. continuus quodammodo hic mundus inferior eſt, ſupernis lationibus,vt omnis ipſius virtus inde gubernetur:vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putandum primam.

Dignitate nos ſuperamus animantes cæteras,idcirco & iis imperamus, iiſque vtimur, omniúmque finis ſumus: id quod docet Ariſtoteles lib.2. Phyſic. text. 24.

Quid in artibus? audiamus eumdem libro primo Ethicorum,capite primo. [Quæcumque artes huiuſmodi ſunt, ſub vnam aliquam facultatem, & potentiam reducuntur: quemadmodum ſub equeſtrem frænorum effectrix,aliæque omnes,quæ equeſtria inſtrumenta efficiūt,atque hæc, omniſque demum actio bellica,ſub militarem, atque eodem modo ſub aliis aliæ, atque in iis omnibus fines earum,quæ Architectonicæ habentur: magis quàm reliqui omnes, aliarum,quæ ſubiacent expetendi ſunt:nam illos quoque horum cauſa ſectamur.] Quò pertinet & illud ex proœmio Metaphyſices: [Quare,& eos, qui in vnaquaque re architecti ſunt honorabiliores, & doctiores, ac eis, qui manibus operantur ſapientiores putamus. quoniam cauſas earum,quæ fiunt ſciunt: illi verò ſicut & quædam inanimata faciunt quidem, ſed neſcientia faciunt ea, quæ faciunt: vt ignis comburit,ſed inanimata natura quadam horum ſingula faciunt,

faciunt, manibus laborantes, propter conſuetudinem, tanquam ſapientiores ſint, non prout actio ſunt: ſed prout rationem habent cauſaſque cognoſcunt.]

Quid in virtutibus? nónne idem lib.3. Ethicorum, cap.1. iuſtitiam, quam inter cęteras virtutes Heſperum & Luciferum facit, ita cum lege coniungit vt legitima omnia ex iuſtitia etiam affirmet eſſe, ideóque iuſtitiam virtutibus cæteris imperare vnà cum lege?

[Lex (inquit) præcipit, & id quod fortis viri opus eſt, vt non deſerere ordines, non fugere, non abiicere arma. Et id quod eſt temperâtis, vt non committere adulterium, non contumelioſè ſe gerere, & id quod eſt manſueti, vt non verberare, non maledicere, ſimili modo quoque ſecundùm alias virtutes, & vitia, alia iubet, alia prohibet.] Rurſus lib.6. capite octauo: cum prudentiam diuiſiſſet in familiarem legum latricem, & ciuilem, cuius altera pars conſulat, altera iudicat eam, quæ cæteris antecedit, nempe legum latricem, facit etiam aliis præſidere, inſtar Architectonicæ. Quid in ſcientiis & habitibus? in rerum contemplatione petitis, ſapientia vt præſtat, ita & præeſt reliquis, quam Ariſtoteles ſcribit libro primo Metaphyſices, cap.2. principaliorem, quam ei ſubminiſtrantem, potiùs ſapientiam eſſe: non enim vt ſapienti præcipiatur, ſed vt ille præcipiat: nec vtile ab altero, ſed vt ab eo minùs ſapienti ſuadeatur docet.

Eodem pertinet illud li.6. Ethicorum, cap.7. vbi cùm prudentiam virtutum Principem, & Aurigam feciſſet, ſubdit ad finem capitis vltimi. [At verò prudentia, neque præſidet ſapientiæ, neque melioris, quàm ipſa partis eſt, quemadmodum neque ſanitati medicina, neque enim ipſa vtitur, ſed vt fiat prouidet, quocirca illius cauſa præcipit, non autem illi. Simile præterea illud eſt, ſi quis ciuilem propterea, quòd de omnibus præcipit, quæ in ciuitate ſunt, Diis præeſſe, ac dominari etiam diceret.] Exercitui mundum comparat lib.12. Metaphyſices, text.52. [Quemadmodum (inquit) exercitus, etenim bene eſſe eius in ordine, & dux ipſe eſt, ac magis ipſe: non enim ipſe propter ordinem, verùm ordo propter ipſum eſt: cuncta autem coordinata quodammodo ſunt; verùm non ſimiliter, & natantia, & volatilia, & plantæ, nec ita ſe habent, vt ſit vllum alteri ad alterum, ſed ſunt ad quippiam; ad vnum namque coordinata ſunt omnia: verùm quemadmodum in domo, liberis quidem minimè licet quodcumque facere, ſed ea omnia, aut plurima, quæ ordinata ſunt, mancipiis verò & beſtiis parum, quoad commune conferat, ſed vt plurimum, quodcumque contingit, tale namque principium cuiuſque eorum natura eſt.]

His planum ſit, cum rerum naturis ordinem inditum eſſe, vt præſtantiora dominentur, ignobiliora deſeruiant: propterea nihil peruerſum, nihil præpoſterum, nihil à naturæ conſilio magis alienum, fingi aut cogitari poteſt, quàm humanas mentes cœleſtibus orbibus ſubiicere; hoc eſt, incorporales ſubſtantias corporatis, impartibiles, & ſimplices partibilibus, & concretis, rationis, & ſapientiæ participes, ratione & ſapientia carentibus; ſentientes, mutis, ac ſurdis; motrices ſui, & aliorum, iis quæ motoris indigent: virtutum, & beatæ vitæ capaces, expertibus virtutis, & beatitudinis famulari.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Altera ratio ex fine.

ILLVD etiam libenter quæſiuerim, cui nam bono ſit, ſi noſtris voluntatibus ſydera moderentur: nam ſi nulli, fruſtra id eſſe oportet: Deus autem, & natura, quod fruſtra ſit, faciunt nihil, auctore Ariſtotele libro primo cœli, tex. 32. lib. 2. text. 59. cui inquam id bono eſt? An ſyderibus? Egregiam verò laudem ſyderibus affigunt, ſi in ea reiiciunt cauſam tot vitiorum, quæ inter homines graſſantur. Neque ſanè aliunde morum innumeras prauitates, & corruptelas, quàm à rectiſſimis ordinatiſſimíſque cœli conuerſionibus proficiſci decuit: ſcilicet à ſempiternis, & à Deo conſtitutis orbibus manare debuerunt peruerſæ, & immanes multorum naturæ, Neronis, Claudij, Heliogabali, & cæterorum eiuſdem ordinis. An bono eſt humanis mentibus? At per huiuſmodi aſtrorum dominatum omni ſolertiæ, ſapientiæ, virtutis laude ſpoliantur; nullus erit in pretio labor, ceſſabit in edomandis animi perturbationibus ſtudium, langueſcet omnis ad virtutem conatus; quin etiam, ſi qui modò rectam rationem colunt, abijcient eam curam, nec aduerſùs ſyderum vim, niti audebunt, fracti multis difficultatibus, quas obiicit virtus; abiecerint mortales omne recti, honeſtíque ſtudiũ; & orbis terrarum, qui ex fabuloſo illo chaos emerſerat, in verum iam chaos, id eſt, in ſummam rerum omnium perturbationem prouoluetur.

An denique id rerum vniuerſitati conducibile eſt, vt quid in ea præclarum & illuſtre fuerit, ſi tot mundi partium apparatus omnis, ac ſplendor eò solùm ſpectet, vt omnia aſtris obtemperent? Certè cùm duo quædam bona in deliberationem, atque optionẽ veniunt, amplectitur, & perficit natura id quod melius eſt; quod vidit & Ariſtoteles libro primo de Generatione animalium, capite quarto. Si mundum igitur omnem in vnum aliquid referri oportuit, optimum id ac præſtantiſſimum fuiſſe neceſſe eſt. Vtrùm autem præſtantius quid ſit, humana mens, intelligendi ſapiendíque potens, an cœlum nullo ſenſu, ſolertiáque præditum, qui non videt, videre quid poſſit, haud video. Ariſtoteles qualis auctor lib. 12. Metaphyſices, tex. 51. de primo entium loquens. [Si non intelligit (inquit) non erit optima ſubſtantia; ſi quidem eò quòd intelligit, ei honorabilitas ineſt.] & lib. 1. de Anima, text. 82. [Dubitabit autem vtique aliquis, & quid eſt, vnum faciens ipſa: materiæ enim ſimilia ſunt elementa, principaliſſimum enim eſt illud, quod continet quodcumque eſt: anima autem aliquid eſſe melius, & præſtantius impoſſibile eſt: impoſſibilius autem adhuc intellectu: rationabiliſſimum enim eſſe hunc, antiquiſſimum, & dominum ſecundùm naturam.] Non erit igitur noſtra mens, propter cœlum, ſed cœlum in noſtrum vſum, & commodum: ſemper enim habet rationem optimi, id cuius gratia aliud eſt, ait Ariſt. lib. 2. Phyſic. tex. 25. lib. 5. Metaph. tex. 3. Intellectu autem nihil melius, aut præſtãtius; vt idẽ teſtatur lib. 1. de Anima, t. 82. & lib. 12. Metaph. t. 39.

Nónne ad Sapientiam nos, pietatémque nati ſumus? At Sapienti auctore Ariſtotele, libro 10. Ethicorum, capite 7. & 8. famulantur omnia, tanquam alteri Deo. Propter quod idem Ariſtoteles libro primo Metaphyſ. cap. 2. iure indignatur Simonidi, quòd ſapientiam nõ humanã, ſed diuinam poſſeſſionem

ita feceræ,vt ab ea deterreret homines. [Si quid (inquit) Poëtæ dicunt ſecundùm Prouerbium,multa mentiuntur,nec aliam quam huiuſmodi decet honorabiliorem putare:quæ enim diuiniſſima,eadem etiam honorabiliſſima eſt:] & lib.12. text.39. [Illud magis(inquit) quàm illud eſt diuinum,quod intellectum videtur habere,& ſpeculatio optimum,& maximè delectabile eſt. Si igitur ita bene ſe habet Deus ſemper, vt nos aliquando, admirabile eſt, quod ſi magis adhuc,admirabilius eſt.]

Item lib.10.Ethicorum,cap.7. de ſapientis fœlicitate diſputans, [Talis (inquit) vita præſtantior eſſet,quàm homini conueniat, non enim quatenus homo eſt, ita viuet, ſed quatenus diuinum quid, in ipſo ineſt: quantò autem id præſtat compoſito, tantò quoque eius operatio ab operatione diſtat, quæ ex virtute alia exiſtit. Si igitur intellectus diuinum quid eſt,ſi ad hominem reſpiciamus, ſic quæ ex intellectu traducitur, ſi humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipſa eſt: neque verò oportet quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque cùm ſit homo, humana, & cùm ſit mortalis, cogitare mortalia; ſed quatenus licet immortalem ſe reddere, omniáque efficere, vt ex præſtantiſſimo omnium,quæ in ipſo eſt,vitam traducat; Nam licet id mole ſit parum: vi tamen & pretio omnia longo interuallo antecellit.] cap.8. [Dei (inquit)operatio cum beatitudine excellat, contemplatiua erit, & ex humanis ea erit fœliciſſima,quæ huic maximè eſt cognata: argumento illud eſt, quòd cætera animalia, quæ tali operatione penitus carent, expertia fœlicitatis quoque ſunt. Diis enim beata ſola vita eſt, hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis, in ipſis ineſt.] Et infra: [Atqui ex intellectu operatur, húncque extollit, atque optimè afficit, is eſſe Deo chariſſimus videtur: nam ſi aliquam humanarum rerum curam Dij habent, ſicut videtur, conſentaneum eſt ipſos re illa,quæ optima eſt; atque ipſis maximè cognata, delectari, qui eſt intellectus, eóſque qui eam maximè amant, & honorant, remunerari: vtpote,qui eorum, quæ ipſis ſunt amica, curam habeant,rectéque & honeſtè agant; hæc autem omnia ſapienti maximè ineſſe obſcurum non eſt; igitur eſt Deo chariſſimus.] I nunc, & homines ſapientiæ compotes cœlo ſenſu carenti ſubde tota reclamante natura.

CAPVT QVARTVM.

Tertia ratio ex dominatu mentis in corpus.

ACCEDIT his, quæ ſuperiori capite diſputata ſunt, quòd etiam ſi deceret maximè fieri: tamen non poſſet,vt humana mens ſyderum ductu, ac vi agatur, in ea, quæ appetit,aut molitur, non enim ſydera mentem afficiunt,per ſe, ſed per corporis immutationes,vt tradit Ptolemæus libro primo de iudiciis, capite primo, & ſecundo: Metienda igitur, atque exiſtimanda eſt ſyderum poteſtas, ex ſtatu corporis noſtri: tantùm itaque illa valere poſſunt ad incitandam mentem, quantùm impreſſione corporali, cuius noſtrum corpus ſit capax,humana mens præcelli poteſt,aut perfici.

Experimur autem, ita ſe corpus ad animum habere, vt primò quædam animus, aut facere non poſſit, aut non niſi mutilè & præpoſterè flacceſſente corpore:

pore: deinde, vt animus impulſus quoſdam imprudens, ac nolens patiatur ex inſolentia corporis & ſenſus, ſubditur enim illi politico, non poſitiuo vel deſpotico iure; Ariſtot.lib.1.Politicorum,cap.3.

Nunquam porrò ea eſt horum impulſuum vis, vt ei noſtra mens, ſit modò ſui compos, nequeat obſiſtere. Huic rei fidem faciunt tum vſus propè quotidianus, tum naturalis, ac ſubitus angor conſcientiæ in animo ſe ipſum incuſante, quod ceſſerit cupiditati, quod libidini non reſtiterit, clariſſimum ſanè naturæ teſtimonium, quod potuiſſet non cedere, tum voluntatis natura, quæ id ſolùm appetit, quod ei bonum videatur, & quia minus bonum, ſi cum maiori conferatur. Ratione mali ſuſcipi poteſt quoduis bonum: poteſt habere ſtudio melioris ſi velit: & quoniam quodcumque bonum ſit, ad quod corporalis appetitus impellat, corporale eſſe neceſſe eſt: quo longè præſtantius eſt incorporale, conſequens ſit quodcumque bonum motus corporalis menti obtendat reſpui ab ea poſſe, boni præſtantioris amore, quod obiicit, rectáque ratio neque vlla ſyderum vi, inhiberi poteſt, ne abiiciat, ſi quidem ſtellæ nullam exercent, non niſi in corpus, bonum autem rationis, & honeſtum in ſola ratione reſidet, & aſtra ſanè, vel organum phantaſiæ ita deprauarunt, vt ad liberum vſum rationis ineptum planè ſit: & tunc non vitio, ſed morbo tribuendum eſt quidquid homo efficiat: vel non tanta eſt organi perturbatio, quin menſtruo munere fungatur: & tunc niſi animus aliò ſponte cogitationem intendat: fieri non poteſt, quin animaduertat, quale ſit id ad quod incitatur à ſenſu: quantò ſint illo meliora, quæ recta ratio obiicit, cùm enim apto vtatur organo, nec ſit impedita: réſque ex iis ſit quæ cadunt in humanam mentem; cur cæcutiat media luce, nihil omnino eſt cauſæ, offundere ſæpe tenebras ſolet ſenſus, per quas animus nequit rationes omnes diſpicere, ſed per ſuam ignauiam paſſus eſt ſibi eas offundi: quas diſcutere poterat, & ſponte, ac libens in eas ſe coniecit anguſtias: vt quid agat clarè non videat, ideóque eius impotentiæ crimen in ipſum iure recidit; quod eam caliginem, cùm adhuc ſui iuris eſſet, & diſcutere poſſet, noluit. Id quod Ariſtoteles lib.3.Ethicorum, cap.5. declarat his verbis. Quod ſi quis dixerit, omnes id appetunt quod bonum eſſe ipſis videtur, viſionis autem dominium habet nemo: ſed talis vnicuique finis apparet, qualis quiſque eſt: verum ſi vnuſquiſque habituum ſibi quodammodo in cauſa eſt, viſionis quoque quodammodo erit: ſic iudicij caligantis errores in noſtra poſuit poteſtate Ariſtoteles.

Quod ſit ex prauo habitu, contingere etiam poteſt ex affectus vehementia: ratio tamen initio perturbationis, ſaltem & agnoſcere, & reprimere potuiſſet graſſantem libidinem: declarat id Ariſtoteles exemplo incontinentis libro ſeptimo Ethicorum, cap.3. Noſtráque culpa fieri quidquid ex huiuſmodi errore fit, docet idem libro tertio de anima, text.46. Amplius & præcipiente intellectu, & dicente ratiocinatione, fugere aliquid, aut proſequi: non mouetur, ſed ſecundùm concupiſcentiam agit, vt incontinens: & omnino videmus quòd qui medendi artem habet, non medetur tanquam aliud quidpiam principatum obtineat agendi per ſcientiam, ſed non ſcientia. At verò, neque appetitus huiuſmodi dominus eſt: continentes enim, appetentes, & concupiſcentes, non operantur ea, quorum appetitum habent, ſed ſequuntur intellectum. Conſtat itaque priuſquam libidine mens abſorbeatur, penes eam eſſe iudicium quodammodo illecebrarum, & altioris boni cuiuſdam appetitum, quod ſenſui op-

ponere poteſt,ac debet: quod niſi faciat ipſam ſibi cauſam eſſe ruinarum.

Si ergo in eo poſita eſt omnis ſtellarum facultas,vt corpus titillent,ac moueant, nullam autem commotionem poſſunt inferre menti, quæ præſtare ſe poteſt ſuperiorem omnibus corporis commotionibus, in quibus incitandis, valent ſtellæ,ſi tamẽ valent quidquam: vnde Aſtrologus noſter vaticinari poſſit, ſuſpenſa adhuc mente, ac paribus in vtramque partem momentis librata, nihil habet ex aſtris. Sapientes certè viri, S.Thom.1.p. quæſt.14. art.13. Scotus in quodlibeto 39.quæſt.1. Durandus,& alij, ne Deum quidem ex cauſa libera, & ad vtrumque æquè parata agnoſcere poſſe contendunt:quid futurũ, vel non futurum ſit, & probabilis omnis prædictio, quæ non temere, non fortuitò feratur, vt plurimum ſaltem ſortiatur effectum oportet, at agentibus ſtellis integrum eſt voluntati ſequi, vel reſpicere earum ductum: euentúſque eſt ad vtrumlibet,ac liber,ac denunciamus adhuc amicitias,connubia, peregrinationes, magiſterium, mercaturam, opificium, militiam, religionem, aliáque innumera,quæ ſcribit Ptolemæus libro quarto de iudiciis,capite 3.

Non pigebit me iterum inuictam mentis noſtræ poteſtatem confirmare, aduersùs corporis impulſum in quod cœlum agit,quod agit. In confeſſo namque eſt iure animum corpori,appetitui rationem præeſſe, cui rei non ſolùm fidem facit Ariſtoteles,& in Ethicis paſſim, & libro primo Politicorum, cap.3. lib.1. de Anima, textu 82. lib. 3. textu 46. ſed & naturalis ratio: nam [quod mente poteſt proſpicere, natura imperat] ait Ariſtoteles libro 1. Politicorum, capite primo,quod autem non poteſt hoc facere,paret natura,& ſeruit: & cap. tertio. [Imperare(inquit) & parere non ſolùm neceſſariorum ſunt, ſed etiam vtilium; ac ſtatim ex generatione quædam diſtincta ſunt, alia quidem ad imperandum,alia verò ad parendum,& ſpecies multæ,& imperantium, & parentium ſunt, & ſemper melius imperium meliorum parentium eſt, ceu hominis, quàm beſtiæ; nam, quod à melioribus proficiſcitur, melius eſt opus.] Et poſt pauca: [Animus quidem in corpus dominicum habet imperium, mens verò in appetitum ciuile,ac regium.] In quibus clarum eſt, ſecundùm naturam, & vtilitatem imperari ab animo corpori, & ab ea parte, quæ habet rationem ei parti,quæ ſubiacet perturbationi; æqualitatem verò ac viciſſitudinẽ omnibus nocere. Quin etiam ex eadem cauſa deducit ibidem Ariſtoteles,quoſdam natura ſeruos eſſe,quòd imbecillæ mentis ſunt;quoſdam dominos,quòd ratione præcellant, & illorum interſit ſubeſſe prudentioribus. Neque vllus obiiciat, ſæpe appetitũ imperare rationi, quia vt idem docet Ariſtoteles, oportet conſiderare naturam,non in corruptis,ſed in integris;Quocirca eum hominem,qui & animo, & corpore optimè diſpoſitus ſit,inſpiciendum, in quo certè id manifeſtum eſt: nam prauorum quidem, aut prauè diſpoſitorum ſæpe inuenietur corpus imperare animo,ſed ex eo,quòd peruersè,& præter naturam ſe habeat.

Ex quibus perſpicuum eſt,mentiũ eſſe corporibus imperare, animorúmque in corpora naturale ius eſſe,neque hoc quale quale ius eſſe,ſed tale,quod illa,& exerceat paſſim, & pro arbitratu vtatur. qualis enim ordo naturæ eſſet, dominari mentem debere,ſed non poſſe ſenſum ſibi ſubiicere, etiam ſi maximè conetur? Nónne illud in naturam caderet, quod eſt apud Ariſtotelem libro primo cœli, textu 72. [Fruſtra calceamentum dicimus, cuius non eſt calceatio.] Quadraret, & illud,quod idem Philoſophus libro 2. cœli, textu 50. probat, ſi vis motrix ineſſet aſtris, & organa motus defutura non fuiſſe. [Irrationabile

eſt

eſt(inquit) nullum organum ipſis præbuiſſe naturam ad motum,nihil enim,vt contingit,facit naturam,neque curam quidem animalium habuiſſe,quæ autem tam pretioſa ſunt,deſpexiſſe:ſed videtur tanquam ex induſtria abſtuliſſe omnia,per quæ cótingebat progredi per ſe ipſa,& quam plurimum ſe mouiſſe ab iis,quæ organa ad motum habent.] Quadraret,& illud, quo plantis ſenſum, & motum deeſſe,idem libro 3.de anima,tex.44.& 45.oſtendit, quia carent inſtrumentis ſenſus, & motus:natura autem,ſicut nihil facit fruſtra,ita nec deficit in neceſſariis.

Atque hinc liquet,ſi naturale eſt imperium mentis in corpus,& ſenſum,quę rationem ſemper ſpectat, coërcetque corporales commotiones : nihil Mathematicos habere certi ac conſtituti,immò nec veriſimilis,aut probabilis ex ſtellis & aſtrolabiis , quæ ſi quam nactæ ſunt vim , eam omnes in ſolum corpus exercent,cui mens præſidet, ac moderatur pro conſilio, & arbitratu ſuo.

CAPVT QVINTVM.

Poſtrema ratio ex Dei prouidentia.

ACCEDAT poſtremò diuinæ mentis prouidentia, quam quia mundi totiúſque ordinis cauſam dixerat Anaxagoras,ſobrium illum appellat Ariſtoteles , primo Met.ſumm.1.c.2. comparatum ad antiquiores vana dicentes.

Prædicat mirificè Dei admirabilem ſapientiam in diſpoſitione vniuerſi, idē Auctor lib. 12. tex. 52.[Quemadmodum exercitus bene eſſe in ordine , & dum ipſe eſt,ac magis ipſe:non enim ipſe propter ordinem, verùm ordo propter ipſum eſt:cuncta autem ab eo ordinata quodammodo ſunt. Verum non ſimilia, & natantia,& volatilia, & plantæ,nec ita ſe habent,vt ſit vnum alteri ad alterum,ſed ſunt ad quidpiam, ad vnum namque ordinata ſunt omnia. Verùm, quemadmodum in domo liberis quidem minimè licet quodcumque facere, ſed ea omnia,aut plurima,quæ ordinata ſunt : mancipiis verò & beſtiis parum quoad commune conferat,ſed,vt plurimum quodcumque contingit:tale namque principium cuiuſquam earum natura eſt.]& tex.51.cùm accuratè, ac ſubtiliter perueſtigaſſet rationem,ac principium totius ordinis quo mundus omnis continetur,ſubiicit ad finem libri : [Entia nolunt malè gubernari ; non eſt bonum pluralitas principatuum,vnus ergo Princeps,atque huius quidem ſapientiſſimi Principis gubernationem,ei enim quod optimum eſt conuenit ſapientis nomen,vt idem auctor eſt libro primo Metaphyſices capite 2.& l.6.Ethicorum cap. 7. Si quam optimam, & numeris omnibus abſolutam eſſe oportet, quis putet ab illo vitam hominum in ſyderum poteſtate collocatam ? vnus eſt omnium finis vltimus ; cuius vnuſquiſque capax, & appetens eſt,vt probat Ariſtoteles libro primo Ethicorum capite 1.& 2.& illum quidem actionibus noſtris omnibus præpoſitum eſſe oportuit, vt idem docet , eodem libro , capitę nono;in has porro actiones,quibus ad fœlicitatem perueniturr,ſi vſlu ius aſtra haberent,multa incommoda pateremur.Primò rem optimam Deus & diuiniſſimam ſtellis ſenſu carentibus commiſiſſet. An non melius eſt hominem ſpó-

te ſua fœlicem, infœlicémque fieri quàm cæco ſtellarum impulſu?

Præterea, multi quibus naſcentibus parum benignæ ſtellæ affulſerunt, quanto bono innocentes, & inuiti fraudarentur? Denique quid ab ordinis ratione magis aberrat, aut à Dei prouidentia magis eſt alienum, quàm ſtellas facere auctores bonarum malarúmque actionum, quæ nec malæ malos, nec bonæ bonos internoſcunt?

Mitto iam, quod ad Aſtronomicæ vanitatis cumulum nō parum facit, morbos, peſtilentias, bonorum iacturam, monſtruoſos partus filiorum, interitus parentum, mortem, exilia, carceres, inopinatos obitus, non raro Dei optimi maximi ira ſolitos immitti: id quod non modò diuinis literis traditum eſt, ſed & Gentilium hiſtoriis. Nā propterea Capitolinus in Maximo & Balbino, Liuius libro 4. & 7. ab Vrbe condita, Valerius Maximus libro 2. titulo de inſtitutis antiquorum, perhibent inſtitutas fuiſſe expiationes, & ſacrificia, quibus placato Numine auertantur morbi, quod Poetæ quoque ſcribunt, Homerus Iliadum lib. primo, Heſiodus de opere & diebus, denique Virgilius noſter Æneidos libro duodecimo, ſi quando lethum horrificum, morbóſque Regum Rex molitur. Num ergo expectare debet Deus Aſtrologorum horoſcopos, quando hæc molitur? An præter ordinem agitare cœlum ian nullam oportuit eſſe ſtellarum vim, cui ſingulis diebus Deus vel cogeretur, ſi quæ eſſet ſuam gubernationē attemperare, nec pro ſuo arbitratu, ſed pro ſyderum influxu, & exigentia: rebus humanis conſulere, aut cum ſingulis ludificare, in Aſtrorum contemptum, & ludibrium Aſtrologorum?

CAPVT SEXTVM.

Aſtrologos ignorare ſtellas quæ conceptui præſunt.

SATIS ex libero arbitrio, ex Dei prouidentia & gubernatione videmur labefactaſſe Aſtrologorum prædictiones; nunc ex ipſius Aſtrologiæ principiis, quæ omnes Genethliaci recipiunt, huius artis vanitatem efficere placet. Nam Ptolemæus libro 3. capite ſecundo duo ſancit pronunciata, quibus vti qui velit, tabellis agit ſignatis in Aſtrologos. vnum quidem, omne corporis temperamentum, ac conſtitutionem, omnémque qualitatem, quæ puero accedit ex cœli configuratione pendere, ex hora conceptus, neque mutare à natalitiis, vel aliis quibuſcumque ſtellis, ſed potius quidquid ab his ad infantem deſcendit, trahi in rationem, iam conſtitutam, per priores opifices ſtellas, quæ corpus efformarunt. Alterum pronunciatum Ptolemæi eſt tempus, quo concipitur fœtus, ignorari ferè in coniugibus, præſertim, quorum freques coniunctio nullum relinquit argumentum, in quam potiſſimùm horam conceptus inciderit. Quare Hippocrates libro de natura pueri, & Ariſtoteles 4. de generatione animalium, capite ſeptimo, libro 7. de hiſtoria animalium, cap. 4. monent non raro falli mulieres, opinantes ſe concepiſſe, cùm non conceperint, falli verò menſe vno interdum, eóque amplius: itaque libro 3. Apoteleſmatum, Ptolemæus principium ſeminale inquit, maxima ex parte ignorari, & non poſ-

ſe,niſi aut caſu,aut obſeruatione deprehendi;caſu, inquit Græcus interpres, quãdo contingit mulierem ſentire conceptionem;obſeruatione,quando conſultò vir abſtinet à coïtu, vt notare poſſit conceptus tempus. Itaque Ptolemæus loco citato,cùm inquit,hora conceptus ignorabitur, ſicut multoties euenire compertum eſt,initium,quod eſt in infantis exitu neceſſariò conuenit obſeruare.

Ex his pronunciatis colligi poteſt,huiuſmodi ſyllogiſmus.Tota corporis & animi conſtitutio, quæ pendere poteſt ex ſyderum vi, ingeneratur puero, ſub eius conceptu: nec variatur poſtea à puerperij ſtellis,ſed harum facultas,ac vis ab eo quod per ſe valeret:transfertur ad proſequendam conſtitutionem,quam genitalia aſtra inchoarunt: Sed tempus conceptus, & cœli configuratio, ſub qua fœtus formatus fuit, ignoratur:Ergo Aſtrologos ignorare neceſſe eſt,quali ſyderum afflatu imbutus ſit puer,& quidquid in eius corpus,aut animum defluxit,ex ſtellis.

Hic ſyllogiſmus ita anguſtè contortus,mirum quãtum diuexat Aſtrologos, qui propterea labentem Genethliacam ſuam pluribus adminiculis fulcire nituntur.Aiunt enim,ortus & conceptus ſtellas ſibi conuenire, & ita correſpondere,vt ex illis hæ,& ex his illæ colligi poſſint, natales autem ſtellas obſeruare poſſe,haud magno negotio,genitales quoque propterea haud difficile eſſe, inueſtigare.Cæterùm vim huius ſyllogiſmi,niſi me mens egregiè fallit; nondũ elapſi ſunt;ſiquidem Ptolemæus ait, natales ſtellas transferri à ſua naturali vi, & impulſu,trahique aliò longè à genitalibus, ad proſequendum id, quod genialibus aſtris inchoatum fuit: At quænam fuerint genitales ſtellæ, ſcire nullus poteſt:Nullus igitur intelliget,quò natales ſtellæ tranſlatæ, quídve facturæ ſint:præter naturam enim ſuam agent quidquid agent; ſed quid illud tandem, ſit,ignorari neceſſe eſt.

Quod denique aiunt locum Lunæ in natiuitate eumdem eſſe,qui in conceptione fuit, diſertiſſimè refellit Picus Mirandulanus, libro nono, cap. 3. 4. 5. multa enim eſſe,quæ partuum tarditatem,aut feſtinationem faciunt, nemo ignorat:morbi,diarrhϾ,ac renum,calculi dolores, febres,corporis gracilitas, infantis habitus, ſitus,robur,moles,errata denique omnia,quæ in ſex rebus nõ naturalibus admitti poſſunt,& ſolent.Quare ridiculi ſunt, quicumque, aut ex nouilunio, aut plenilunio,quod natalem horam proximè anteceſſit, & ex planeta, qui eo tempore plus virium obtinet,inquirunt natalis horam,non ſolùm quia hanc ſycophantiam Mathematicis rationibus reiecerunt, Abraham Iudæus,Alchibitius,Henricus Butenſis,aliique Aſtrologiæ Magiſtri: ſed etiam quia,cùm multa præter aſtra,accelerare,aut remorari poſſint partum, vt diximus: fruſtra ab aſtris petitur natalis hora,quæ à proximis, & coniunctis cauſis continetur, & nihil ſtellis debet; procedat horum ratio, aut commentum, quando partus obſtetricantibus ſtellis, prodit in lucem, & quando aliis agentibus cauſis funditur, inſania eſt à cœlo repetere natiuitatis tempus.

* * *

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Aſtrologos ignorare veram natalis horam.

INTER conceptus, & natiuitatis horam, perbellè ludunt cœli curatores, & nunc ex natali hora, tempus conceptus, nunc ex hora conceptus, natale tempus, pudenda circulatione, colligunt: ponunt enim, tanquam exploratiſſimum, Ptolemæi præſertim teſtificatione, in centiloquio, numero 51. locum, quem Luna tenet, quando infans prodit in lucem, eſſe horoſcopum conceptus; contrà verò locum in quo Luna fuit tempore conceptus, eſſe horoſcopum natalis. Quare ſi interroges, qua ratione natalem horam cognoſcant? reſpondent parentum & obſtetricum relatione: incertam totam hanc rem aio, quæ eſt totius genituræ fundamentum, & magnis erroribus expoſitam, propterea quod horologia ſemper fallant aliquid, nec ea, quæ inter horarum terminos innumera cadunt, momenta, indicent, & noſtra vulgata horologia, quibus Italia vtitur, ab occaſu Solis ducant initium, incertum admodum, & anceps; vbi præſertim horizon non eſt liber, & quando nubilo cœlo obſeruare accuratè non licet, occaſum Solis, & quoties poſt Solis abſceſſum, horologium non ex æquo diuidit temporis interualla, & quando his omnibus, accuratè notatis obſtetrices obſeruare non poſſunt illud tranſuolantis temporis leuiſſimum momentum, quo primum infans trahit ſpiritum, & quando primum ab aſtris afflatur. Sed non eſt neceſſe cauſam vrgere rationibus, vbi reus fatetur, Aſtrologi ipſi fatentur, incertã hanc horam, ideoque eam vocant horam exiſtimatam, ſiue ſuſpectam, eique nihil fidendum palàm docent: ſed methodum ſe adinueniſſe iactant, qua ſine errore ortus hora reperiatur. Mentiuntur in caput ſuum. Nulla iniri poteſt ratio, qua oſtendatur quo momento temporis ortus ſit ille, qui quolibet oriri potuit, quolibet autem tempore naſci poſſe homines, & verè naſci deſipiat, qui vocet in dubiũ, rem per ſe perſpicuam ſapientibus, vulgi docebimus exemplo. Dicatur à parẽtibus Cardanus natus prima hora noctis, hæc hora exiſtimata vocatur ab Aſtrologis, non vera, quare, aut ſeriùs aut citiùs, ille in lucem venit, ſi dicas, citiùs, ſciſcitabor, an poſſit quiſque ſeriùs naſci, ſi poteſt: quare negas Cardanum ſeriùs ortum, ſi non potuit aliquis naſci poſt primam horam noctis? fatendum erit, non quolibet tempore naſci poſſe mortales: ſi ſeriùs, quæram cur non reſpondeas citiùs? & reponam eamdem quæſtionem quæ priùs fuit. Iterum ſi qua methodo inueſtigare potes horam, quam parentes Cardani natali adſignarunt, non eſſe veram, vel ea hora potuit Cardanus, aut alius quiſpiam naſci, aut non; ſi potuit: qua methodo deprehendes illam exiſtimatam eſſe horam, non veram, ſi non potuit, nec quolibet tempore liceret coire coniugibus, nec quacumque hora poſſent homines naſci, nec Genethliaci docerent, ex qualibet cœli conſtitutione dicere mortalium fata: ſi confugiant ad horam conceptus, & ex ea deduci poſſe contendant, veram partus horam, meminerint eiſdem incommodis ſubeſſe horam

etiam

etiam conceptus:ſi quidem conceptus etiam hora alia eſt exiſtimata,alia vera, qua methodo internoſces, inter veram & exiſtimatam, redibis ad natale tempus, ex ſartagine in prunas, ex prunis ad ſartaginem.

CAPVT OCTAVVM.

Ea, quæ à pluribus tranſiguntur,non poſſe ex vnius horoſcopo coniici.

NON poſſunt Aſtrologi perſpectas habere conceptus ſtellas, quæ ſubitæ, quæ momentaneæ ſunt: ſed faciamus eas notas eſſe, & probè notas: adhuc aio nullam eos poſſe ex huiuſmodi Aſtris coniecturam facere:idque ex earum principiis ineuitabili ratiocinio concludo.

Ex iis enim,quæ nobis in lucem editis accidunt,nihil ferè eſt,quod ab vno, & in vno tantùm homine confici poſſit:quódque ad plures non pertineat proſpera, & aduerſa valetudo, coniugium, filij, amicitia,negotia, mercimonium, magiſterium, dignitas, omnia,quæ Aſtrologi præſagiunt; vel præſagire profitentur; plures ſine dubio attingunt.

Ea, quæ à pluribus hominibus peraguntur, à genitalibus ſingulorum aſtris pendere, in confeſſo eſt Aſtrologis, quo igitur modo ex vnius horoſcopo deducere queunt, quæ quiſque in omni vita facturus, vel non facturus ſit?

Syderum, oro, quorum quædam vnius,quædam alterius geneſim fecerunt, quales ſunt vires? An tales, quæ non oppugnent ſe, nec iuuent? at quomodo ad vnum,& eumdem effectum conuenient, conſtituendum? peribunt, quæ de contrariis ſtellis, angulis, quadratis,hexagonis, tetragonis,docent Genethliaci. Ptolemæus libro primo, docet quidem aliqua eſſe aſtra, inconiuncta, ſed pauca: reliqua omnia coniuncta,& pertinentia eſſe tradit. An contrariæ mutuóque pugnantes vincent ſine dubio fortiores? ſed, quæ ſint fortiores, Aſtrologus ignorat: niſi omnium, qui ad vnum aliquod negotium conueniunt genitales, & natales ſtellas inſpexerit. An cognatæ & amicæ? Primum acriùs in vnum aliquod conſpirabunt inſcio Aſtrologo: deinde id non placet Aſtrologis, & Ptolemæo præſertim, libro primo, capite de diurnis,& nocturnis ſtellis. [Si ſtellis (inquit) bonæ conſtitutionis ſimilia applicata fuerint, augentur vires bonitatis illarum: ſed exitialibus admiſta diſſimilia coërcent vehementiam malitiæ illarum; qua de re frigidam Saturni ſtellam attribuere calori diurno, ac Martis ſiccam humiditati nocturnæ: hoc enim modo vtroque ad temperatam conditionem accedit, poſtquam à contraria conſtitutione correpta, moderationem adepta fuerit.]

Rurſus capite ſequenti: [Neque ignorandum vires,tum Lunæ, tum trium ſtellarum, Saturni,Iouis,& Martis, intendi, aut remitti, deſigurationibus erga Solem:Luna enim ab Oriente vſque ad primum incrementum, cùm quaſi dimidiata apparet, efficiens eſt, humiditatis maximæ. Inde verò vſque ad plenilunium caloris:hinc aliam,atque iterum, ad dimidiationem ſiccitatis, atque etiam hinc, ad interlunium vſque frigiditatis,& ſtellæ: quas diximus, mutua-

toriæ vſque ad proximam ſtationem,humoris plurimum habent;à prima verò ſtatione,vſque dum oriantur de nocte,magis calefaciunt. Hinc etiam vſque ad ſecundam ſtationem magis deſiccant:à qua quidem, donec occultentur,magis frigefaciunt. Atque has ſingulas vires in vniuerſum quidem in confuſo,cælum nobis exercet , quibus præualentibus varietates , conſtitutionum plurimæ exiſtunt , ex commiſtione diuerſarum ſtellarum , coërcente ſemper contraria natura, vniuſcuiuſque effectuum vehementium.]

Item capite de genere euentuum: [Sed multis (inquit) ſibi dominationem vindicantibus, propter æqualitatem reſpectus , ad vtrumque locum, præponatur reliquis,vel cardinalior,vel potentior,vel qui magis conditionis,ſectæq; fuerit.]

Denique nihil eſt apud Genethliacos magis certum , & exploratum , quàm ſtellas inter ſe pugnare:ſe præpedire, ac inhibere , hinc rerum omnium varietatem , hinc huius artis difficultatem , hinc pugnantes, & contrarios effectus illi deducunt.

Ex quibus neceſſariò fit,quidquid inter plures homines tranſigitur, prædici non poſſe,ab Aſtrologis futurum, ne ſit omnino, aut non futurum; quantum, aut quale , aut vbi , aut quando futurum ſit , niſi perſpectis , & inter ſe diligenter collatis,earum omnium ſtellis,quæ ad huiuſmodi negotium conuenire debent. At non poteſt Aſtrologus ire per omnium ciuium horoſcopos ; quid ciuium, dixi? Omnium potiùs mortalium, qui tempore eodem viuunt : quibuſcum vnicuique negotium aliquod eſſe poteſt:nullus enim hominum tanta eſt locorum intercapedine ſeiunctus,qui non poſſit ad alium accedere,cum eo agere,contrahere,loqui,pati, efficere. Quid hinc ſequitur aliud , niſi ineptire omnes Aſtrologos , qui aliis amplos pollicentur honores ; à multorum ſtellis pendentes, aliis fortunatos amicos, aliis fratres, aut ſorores , aliis denunciant interfectiones,& neces.Perinde ac ſi ex vnius ſtellis res penderet,quam denunciant,deſipere omnes, qui huiuſmodi Zingaris habent fidem.

Atque hinc patet Aſtrologorum error, vel potiùs fraus maxima:qui ſi conſulantur de re quapiam , inter Socratem videlicet & Platonem tranſigenda, dum Platoni potiùs interroganti reſpondent , ex Platonis Genethliaco rem totam metiuntur ; perinde ac ſi Socratis aſtra nihil agerent. Poſteà verò ſi contingat eadem de re interrogari à Socrate, in Socratis dumtaxat horoſcopum,mentem,& cogitationem omnem defigunt, perinde ac ſi Platonis ſydera nihil in Platonem virium haberent , & , quod magis mirari ſoleo , quoquo modo conſulant horoſcopos , ſiue ex Socratis , ſiue ex Platonis Genethliaco dent reſponſa,prædictionem ſortiri volunt eamdem veritatem.

Reſpondere nonnulli ſolent, Platonis horoſcopo affici etiam Socratem, & in communionem , & ſocietatem trahi ſuæ efficientiæ , rem omnino abſurdiſſimam, & Aſtrologicis principiis repugnantem : nam aliæ ſtellæ , vt Aſtrologi tradunt,aliis officiunt, aliæ proſunt aliis, aliæ officiunt partim, & partim proſunt. Id Ptolemæus locis paulò ſuperiùs poſitis docet , id ſcribit Cardanus libro de Iudiciis, cap. 6. id tradunt, quotquot Aſtrologiam via, & ratione tradiderunt. Sed, ſi Platonis genitale ſydus ad Socratem etiam pertinet,& rurſus Socratis Genethliacum pertinet ad Platonem : vincit autem fortius quod fuerit:ſi pugnant,ſi conueniunt,efficaciùs agunt. Vnde tandem Aſtrologus intelliget, vtrius ſydus fortius ſit,niſi vtriuſque horoſcopum inſpexerit:Non poteſt

autem

autem inſpicere, vt planum fiet, capite ſequenti, cùm ſæpe accidat, vt vnius horoſcopus dum ſpectatur, nondum natum, aut conceptum eſſe illum, cum quo negotium tranſigendum eſt. An cenſent illius, de quo conſuluntur, ſydus adeò efficax eſſe, ſemper vt nihil referat perſpicere, quale ſit alterius ſydus. Quid vanius cogitari poteſt, in tam varia præſertim, & multiplici ſyderum, & configurationum conuerſione? Quid magis Aſtrologiæ præceptis repugnans? quæ nunc hæc, paulò pòſt illa aſtra dominari tradit, & imperij iura exercere?

CAPVT NONVM.

Nec plures horoſcopos ſatis eſſe ad prædicendum.

QVORVM, quos ad opus aliquod oportet conuenire, aliqui ſunt naturaliter definiti, ac certi, vt ij, quorum vnum patrem, alium filium fecit generatio naturalis; aliqui verò indefiniti, & quodammodò arbitrarij, quos voluntas potiùs, quàm natura copulat: vt ſi duo ſocij ſint in negotio, in pugna, in ſtudio literario, in itinere, & huiuſmodi aliis. Et quidem indefiniti cùm ſunt, antequam ad opus conueniant, genitales eorum ſtellæ nequeunt obſeruari: ignoto enim eo, cum quo Platoni res futura ſit, qui poſſunt ſciri eius natalitia aſtra? An naturalem ſpectabunt ſympathiam? ex hac enim propenſio magna eſt vnius ad alterum: at quorum ſympathiam obſeruabunt? omniúmne hominum? opus eſt ſupra vires humanas. An ciuium ſolùm? Oportet igitur perſpectas habere omnium, non modò qui ſunt, ſed etiam qui futuri aliquando ſunt, naturas; & noſſe, cui magis, cui minùs, cui ferè nihil natura Platonis conſentiat. Id verò vnde cognoſcent? ex ſtellis? quis omnium ciuium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt, horoſcopos perueſtigare poteſt? ex aliis cauſis? nihilo faciliùs, immò longè difficiliùs quis poteſt obſeruare omnium ciuium mores, conſuetudines, appetitiones, procliuitates, propenſiones, ſtudia, cibos, ſomnia, potus, labores, vires, excrementa, & alia ſexcenta, quæ loquacem percenſendo defatigarent Homerum.

Atque hinc pateſcunt ineptiæ Mathematicorum, prædicentium aliis amplas hæreditates ex alieno teſtamento: aliis honores, & dignitates ex aliorum electione: aliis victorias ex militum concertatione, & virtute: aliis amicitias principum virorum: aliis felicem nauium appulſum: aliis inſtitutores, educatoréſque egregios: aliis denunciant odia, inimicitias, æmulationes, inſidias, contentiones, lites, probra, vulnera, neces filiorum, fratrum, conſanguineorum, & alia huiuſmodi, quæ non magis ab ipſis, de quibus agitur, quàm ex aliis, quibuſcum res eſt futura, pendent: & ab aliorum magis interdum. Hinc tam multos tam crebrò in ſpes erigunt vaniſſimas, & quidem pretio emptas non exiguo, eorum nimirum deducunt hiantem, murem pro leone, vt ait Syneſius, oſtendunt. Sed theſaurus, vt eſt in prouerbio, carbones erant. Quid enim poterant ex ſtellis coniectare, quas ignorabant? Vel ſingulis ſuas præſidere volunt ſtellas: & fatendum eſt, quando non poſſunt omnium, quibuſcum agendum eſt, horoſcopi in calculum vocari, nullam è cælo Aſtrologos futurorum habere cognitionem. Vel aliqui ſunt à ſyderum poteſtate exempti, & fruſtrà ſollicitantur Aſtrologorum cortinæ.

Digitized by Google

Obſeruent itaque, ſi poſſunt, omnium horoſcopos hominum explorent, quis à quo vincendus ſit, quis à quo diſſideat, quis quibuſcum conſentiat, qui cui ſit occurſurus, priuſquam de viro aliquo aliquid pronuncient: omnium hominum dixi? nimis multum. Ciuium ſaltem? cum iis enim frequentiùs, quàm cum exteris verſamur. Quid ciuium? nimium etiam eſt. Vicinorum ſaltem? aut conſanguineorum, cum quibus quotidiana ferè eſt vitæ conſuetudo, & rerum communio, genituras inſpiciant: quorum ſi genitales ſtellas explorare ſe poſſe deſperant. Illud ratum, ac firmum ſit, cùm incidit quæſtio de euentu quopiam, qui plures neceſſariò requirat: nihil de eo certi poſſe pronunciari: quid certi? nec probabile quidem. Nam huiuſmodi res, vel non minùs pendet à Socrate, quàm à Platone; & conſtat rem illam ex Socratis tantùm aſtris non poſſe probabiliter cognoſci, ſed fortuitò prædici, quidquid prædicitur, vel magis pendet à Socrate, quàm à Platone, & tunc quidem id exigitur, quod de ſuo Plato deberet opponere, incertum eſt, an appetiturus ſit, réſque manet anceps, ac dubia. Incertum autem oportet eſſe, ſi Plato quæcumque agit, agit ex ſyderum impulſu: & Platonis ignorantur aſtra genitalia. Iam verò, cùm nullum fermè negotium ſit, quod multorum, & diuerſiſſimorum hominum operam non requirat, requirit mercimonium, requirit magiſtratus, requirit matrimonium, requirit procreatio, requirit literarum ſtudium, requirit ſeruitus, requirit dominatus; ſequitur neceſſariò, omnia fermè, quæ in humanam vitam cadunt, à Genethliacorum notitia eſſe extranea.

Sin ij, quos ad rem aliquam faciendam conuenire oportet, certi ſunt, & natura definiti, vt pater, & filius; fratres, & ſorores; ſi quis ab hoc homine genitus fuit, ab alio procreari non potuit: vel ex horoſcopis filiorum vaticinantur, de parentibus & deſcendendum illis erit per omnem poſteritatem, vſque ad vltimum mortalium: cur enim de Platonis vita decernunt è ſtellis Calliæ filij, & de Callia non pronunciabunt ex filij horoſcopo? Item quando plures quis ſuſcepit filios, ac liberos, fortunatos, vel infortunatos, mercatores, aulicos, Religioſos, milites, cuius ſtellas ſpectabimus? vel è ſtellis patris de filio iudicant; id verò nihilominùs lubricum, & inconſtans eſt. Primò, vnde coniicient illum, qui pater eſt futurus, matrimonio copulandum? id enim multorum requirit conſenſum, quorum ſtellas ignorari neceſſe eſt, vt vidimus paulò antè: ſi id norunt, vnde norunt, quam ſit ducturus vxorem, quam ad rem duas oportet concurrere familias, loco ſæpe remotiſſimas, cognitione alienas, conditione diſpares; non duas tantùm, quæ conuenient, noſſe oportet, ſed omnes, quæ conuenire poſſunt: vt ſtatuatur quæ potior ſit in horoſcopo. Magnum opus, nec Aſtrologorum diligentia par, vel ſi id quoque ſciatur. Vnde intelligent, an hæc fœcunda ſit? ſi fœcunditas conſtat, an cum hoc viro gignere queat? ſi hoc compertum ſit, an alere poſſit fœtum? ſi & id teneatur, an ab aliis, quos inter agit, ac viuit, moleſtias paſſura ſit, quibus ſuprà diximus fœtus intra materna viſcera frequenter elidi. Nihil igitur de filio ſtatui poteſt ex paterna geneſi, neque ex materna, iiſdem de cauſis: oporteret enim ſcrutari omnium genituras, inter quos mater victura eſt: longæ ambages, quæque Ægyptium, Cretenſes, Lemnium, Eluſinum, labyrinthos ſuperent.

CAPVT DECIMVM.

Quæ de coniugiis effingunt Aſtrologi pugnantia.

HIc locus monet me, ne ſilentio prætercam quæ de coniugiis docent Genethliaci, & Genethliacorum princeps Ptolemæus libro 4. de Iudiciis, capite 4. [In maſculorum itaque coniugiis (inquit) lunares qualitates, horæ, natiuitates, viri, nos ſubtiliter inſpicere non eſt inconueniens: primitùs enim obſeruandum eſt, ſi in altera duarum quartarum Orientalium Luna permaneat, tunc in iuuentute matrimonium faciet, vel poſt ſuorum annorum plenitudines, iuuenculam in vxorem accipiet: ſi autem in altera duarum Occidentalium extiterit, tardè vxorabitur, vel vetulam ducet. Quòd ſi ſub radiis fuerit, & in figura cum Saturno ſocietatem habuerit, nunquam vxorabitur. Poſt hæc autem obſeruabimus, ſi in vnius figuræ ſigno Luna fuerit, vel ſi ad vnum ſolum Planetam Ietaſal habuerit, vni tantùm vxorabitur: ſed ſi in ſigno duorum corporum, vel multarum figurarum permanſerit, & in eodem ſigno pluſquam ad vnum Planetam Ietaſal habuerit, ſibi quamplures deſponſabit. At ſi Planetæ, cum quibus ex coniunctione, vel aſpectu Ietaſal habuerit, fortunæ fuerint ſua ſponte conuenientes erunt, & aptæ: ſi autem infortunæ fuerint, erit contrarium. Nam ſi ad Saturnum Ietaſal habuerit, erit eius vxor laborioſa, & ipſius qualitates erunt ferales: ſi verò ad Iouem Ietaſal habuerit, conueniens erit, & idonea: ſi ad Martem, animoſa erit, & indomita: ſi ad Venerem, erit formoſa, valdéque iocoſa: ſi ad Mercurium, erit boni intellectus.]

Hæc de virorum coniugiis. Quid de mulierum? [In fœminarum (inquit) matrimoniis ſolares qualitates, hora natiuitatis fœminæ ſunt obſeruandæ: nam cùm Sol in altera quartarum Orientalium fuerit, ſcilicet in figura, in iuuentute viro deſponſabitur, vel in ſenectute virum iuuenem accipiet: at ſi in altera duarum Occidentalium extiterit, tardè marito ligabitur, vel iugabitur, vel in prima iuuentute ſeni marito deſponſabitur: quòd ſi in ſigno vnius fuerit figuræ, & in eo Planetam matutinalem inuenerimus, vni tantùm viro tradetur: & ſi in ſigno duorum corporum, vel plurium figurarum extiterit, aut in figura pluſquam vni matutinali Planetæ fuerit aſſociatus, multos maritos habebit. Item ſi in figura Solis Saturnus aſſocietur, erit ſuus vir probus, & iuſtus, & laborioſus: ſi verò cum Ioue Sol ſocietatem habuerit, humilis erit, & magnanimus: ſi autē cū Marte, erit crudelis, & nullius dilectionis, nec humiliabit ſe: & ſi cum Venere, erit probus, & formoſus.] Hæc Ptolemæus. Eadē Cardanus, & alij.

Sic Lunam marito, ſic Solem vxori præficiunt illi, qui libro 3. capite 4. Solem, & Saturnum Patribus; Lunam, & Venerem matribus præſidere docuerant. Oportuiſſet mendaces eſſe memores; ſed liceat iſtis ex quolibet facere quodlibet, figere, refigere, ſigna dare, & adimere ſtellis dominatum, pro arbitratu, pro libidine, pro ludibrio. Faciamus, quæſo, vxorem ſub iis ſtellis genitam, quæ plures poſtulat maritos; virum item genitum fulgentibus aſtris, quæ plures illi vxores deſtinant, quid fiet? Vterque primas nuptias celebrauit, vtrique ſtellæ ſecundum coniugium pollicentur, an diſſoluet matrimonium? Inter Chriſtianos non licet. Decedet vxor, euaneſcet vis ſtellarum, quæ illi portendebant ſecundas, & tertias nuptias. Monetur maritus, redit idem incom-

modum:ſuperabunt eius ſtellæ,quæ fuerint firmiores.Quis metiri poteſt aſtrorum vires?quis omnium horoſcopos ad calculum vocare? Quid ſi maritus Saturni beneficio ortus ſit?cur non poteſt ducere vxorem iracundam?formoſam? inſtabilem? quis experitur huiuſmodi difficultates in contrahendo matrimonium? Quid in tanta ſyderum pugna nugaris, Aſtrologe, vnam de quamplurimis cauſis vidiſti, ſi vidiſti, eámque nec præcipuam, nec ſtabilem, ſed in varias partes cõmutabilem;& vaticinaris adhuc in perniciem, & exitium multorum,quos nunc vana ſpe accendere,nunc falſo timore exanimare ludus tibi eſt.

CAPVT VNDECIMVM.

Alter Aſtrologorum error.

NEQVE verò illud minùs improbauerim, quod cùm Aſtrologi de fortuna cuiuſque,qui ad Principis alicuius aulam, obſequiúmque proficiſcitur,interrogantur,ſolent vtriuſque horoſcopos comparare, & ex ſympathia vtriuſque,& conſenſione ſtellarum fœlicem euentum, & obſequium denunciare. Conſulant ſanè aſtra Principis,quid inde?cur non perpendunt aulicorum inſidias, criminationes, odia: quoties his deiicitur ille, quem in excelſo, atque illuſtri loco Princeps collocarat? At non cadat è Principis tutela; ſed quid ſi Princeps priùs moriatur,quàm illo familiariter vti queat? vel antequam adſit opportunitas aliqua euehendi ad magnam dignitatem, quem familiarem habet? Sit diu Princeps ſuperſtes, quid ſi ab aliis pluribus iam ſit occupatus, eorúmque arte diuinitùs obſequiis, quos dum munificè proſequitur, non multum redundat in nouos homines? Verùm non ſint illi plurimi, quid ſi vnus geneſim habeat magis Principi amicã? Adhæc,quid ſi adſcito iam aulico in Principis familiaritatẽ, calamitas aliqua ſic Principis opes atterat,vt in multos annos ab aliis ſubſidia ipſe potiùs imploret,quàm exhibere queat?

Quid ſi bene educatus Princeps horoſcopum emendauit, vel bonum deprædauit, malè inſtitutus? vel iratus repentè diſſoluat amicitiam, vel deficcet? vel amicum occidat? quod Alexandro Magno vitio datum fuit.

Accidit tandem aulicis in Principum palatiis, quod in vrbe Roma veterum candidatos pati ſolitos ſcribit Tullius:[Ciuitas ex nationum conuentu conſtituta, in qua multæ inſidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia verſantur, multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum maleuolentia, multorum ſuperbia,multorum odia,ac moleſtiæ perferenda ſunt:ad quæ nulla ſtellarum virtus pertingere poteſt.]

CAPVT DVODECIMVM.

Nec vtplurimùm eueniunt quæ ſunt ex aſtris.

OSTENSVM iam eſt ex rebus humanis, ſi quæ in aſtrorum poteſtate poſitæ ſint, ea, quæ nonniſi à pluribus tranſigi, & confici queunt, cuiuſmodi ſunt omnia, de quibus Aſtrologi reſpondere ſolent,

lent, nonniſi ex multorum genituris cognoſci poſſe, probatum præterea eſt, non poſſe vnius, nedum multorum genitalia aſtra obſeruari propter incertam generationis horam; denique docuimus Aſtrologorum ſententia, natales ſtellas vim omnem, & efficientiam mutuari à genitalibus, quas Genethliaci ignorant: ex quibus efficitur, eos non poſſe ex aſtris mortalium conſtitutionem, aut temperamentum cognoſcere. Nunc etiamſi, notatis aſtris, hominum temperamenta perſpecta haberent, lubricum adhuc, ac temerarium eorum eſſe iudicium, ex naturali temperamento deſumptum probare aggredimur: idque propterea quòd multis, magnis, frequentibus, neceſſariis, diuturnis, efficaciſſimis, variis, ineuitabilibus cauſis, hominum temperationes ſubinde commutari ſoleant.

Fingamus enim Socratem ſtellarum vi naſci, vel iracundum, vel ad Venerem pronum, vel pecuniæ cupidum, vel honoris appetentem, vel aliter affectum, aio non poſſe adhuc Aſtrologos Socratis euentus præſagire: ad hæc enim ferè prodire non ſolet quiſquam, niſi præſtent alij vel occaſionum momenta, vel exequendi opportunitatem, vel adiumentum aliquod, vel conſilium, vel conſenſum, vel opem, vel laudem, vel tolerantiam, vel inſcientiam: nihil ergo è ſtellis Aſtrologi perſpicere poſſunt, niſi iracundia incitandum Socratem, ſi habuerit occaſionem, adepturum honores, ſi alij ei obtulerint; multum collecturum pecuniæ, ſi opportunitas ſeſe obtulerit; ad ſcientiam peruenturum, ſi ſtuduerit; ducturum vxorem, ſi nihil difficultatis obſtiterit; victurum in multos annos, niſi priùs fuerit mortuus; vel moriturum breui, niſi ſuperſtes fuerit; ſi quid præſentire poſſunt è cælo. Hæc ſolùm poſſunt Aſtrologi, quæ nulli ignorare licet. Verumenimuerò è quamplurimis cauſis, quæ ad efficiendum aliquod neceſſariò requiruntur, vnam dumtaxat Aſtrologi norunt; ſi norunt, cælum, cuius vis omnis, & facultas à cauſis ſublunaribus, vel eluditur planè, vel trahitur in contrarias partes. Quid igitur cognoſcere poſſunt aliud, niſi effectum futurum: ſi nulla cæterarum cauſarum defuerit? præclara verò ratiocinatio, profundum oraculum, quis neſcit ollam vnam eſſe de cauſis conuiuij, quoties quis ollam viderit in amici domo, opiparum ſtatim inde vaticinabitur conuiuium? dormire cogetur incœnatus, & argumentationis ſuæ fallaciam fame cruciante cognoſcet, quicumque hoc modo deſipiat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Omnia, de quibus Aſtrologi vaticinari ſolent ex ſyderum ductu, pendere à cauſis ſublunaribus.

EORVM, quæ iam natis infantibus contingunt in omni vita, duplex eſt genus: vnum quidem eorum, quæ natiuum corporis temperamentum ſyderali, vel alia vi coagmentatum conſeruant, ſeu quadamtenus immutant: cuiuſmodi commutatio non parum valet ad vitæ breuitatem, ſeu longitudinem ad rerum agendarum facultatem, ſeu difficultatem, ad effectus animi varios,

Alterum,

Alterum eorum,quæ propriè ſpectant ad rationem motum,humanarúmque actionum. Hæc duo rerum genera poſthac nobis expendenda ſunt, probandúmque illorum euentum pendere nihilominùs, immò multò magis à ſublunaribus cauſis,quàm à cæleſtibus, quæ cùm ſexcentis modis in ſingulas horas, in ſingula horarum momenta variari ſoleant, totam penè Aſtronomicæ prædictionis vim exufflant.

Nihil eſt autem,cur reſpondeant Aſtrologi, ipſis quoque ſublunaribus cauſis motionem omnem, & modum præſcribi, à certo quodam ſtatu cæli : nam à quo ſtatu?à proprióne ſingulorum, an ab aliquo communi multis?non à communi:deducendæ enim cauſæ ſunt ad certos,& definitos effectus,non ad communes;id præſtare non poſſunt communes influxus ſtellarum.[Effectus ſingularis(inquit Philoſophus lib.2.Phyſ.tex.33. ſingularis adſignanda eſt cauſa non communis,non à proprio:obſtat enim quòd ſingulis cauſis ſuæ ſunt ſtellæ,nec vllus horoſcopus inuadere poteſt dominatum alterius; & ſi inuadat,deturbata paſſione, reus fit ab aliis.] In qua ſtellarum inter ſe certantium pugna, planè caligat Aſtrologorum acies.

Age igitur, oſtendamus ſublunarium cauſarum vi mutari, vel aliò trahi quidquid in conceptu, vel partu ſyderales cauſæ infantibus indidére : quod vt planius fiat, à primo genere cauſarum, quæ variare ſolent natiuum corporis temperamentum, exordiamur, percurramus verò plurimas, ſi non omnes, vt innoteſcat, quot modis natura ludificare ſoleat vim, & conatus ſyderum, quibus auctoribus Genethliaci tam multa,tam certò, tam conſtanter denunciant mortalibus.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Parentum, & obſtetricis ſedulitate mutari temperamentum, quod puer è ſtellis hauſit.

TEMPERAMENTVM nihil eſt aliud, quàm certa quædam qualitatum, humorúmque ſymmetria,& proportio,quæ ſi integra ſit,ſanitas exiſtit; ſin minùs,febres,morbi,mors. Immò ſanitas ipſa non eſt aliud, quàm huiuſmodi temperamentum,auctore Galeno lib. 1. de differentiis morborum,& lib. τῶν ὑγιεινῶν.[Temperantia,(inquit)ſeu ſymmetria calidi & frigidi, ſicci & humidi,naturalis eſt ſanitas.] Receperunt id omnes Medici,receperunt omnes Philoſophi,recepit Hippocrates lib. 1. de diæta,& ſect. 2. Aphoriſm. 51. recepit Auicenna can. 1. fen. 1. doct. 3. c. 1. poſt proœmium : recepit Speculator eodem loco : recepit Conciliator differentiarum, 65.& 77.& alij Medici,quos Conciliator citat:recepit Diocles apud Stobæum,c.98.dicens morbos ab inæqualitate prouenire:recepit Alcmæon,vt ſcribit Plutarchus lib. vlt. de placitis Philoſophorum : recepit Plato in Timæo, vt refert Galenus lib. de elementis: recepit Ariſtoteles lib. de ſanitate,& morbo,& lib. 4. Meteororum:receperunt omnes Philoſophi.

Hinc planum fit, quæcumque momentum aliquod habent ad ſanitatem, ad morbum, ad vitam, ad mortem, valere etiam ad temperamentum tuendum, corroborandum,minuendum, diſſoluendum.

Intereſt autem temperamenti non parum,qua cura,ſolertiáque recens natus infans

infans foueatur, præſertim ex octimeſtri partu, qui raro vitalis eſt, de quo Hippocrates libro de octimeſtri partu ita ſcripſit. [His infantibus alimenta, ac reſpirationes periculoſæ mutantur: ſi quid enim morbidum inducunt, per os, & per nares inducunt.] De remediis, quibus infantes huiuſmodi adiuuari poſſunt, ſcribit Ariſtoteles libro ſeptimo de hiſtoria animalium, capite quarto, plura verò Hippocrates libello de octomeſtri partu, & is, qui noſtras commentationes commendare ſolet, Federicus Bonauentura, aureo illo volumine eiuſdem tituli. Vniuerſim de omnibus infantibus multa tradit Galenus libro primo de tuenda ſanitate. Auicenn. capit. 1. Ferrarius 3. doctri. 1. cap. 1. Sed de obſtetrice priuatim hæc Ariſtoteles libro ſeptimo, de hiſtoria animalium, capite 10. [Iam verò obſtetricis officium pars ingenij, perſpicacíſque intelligentiæ eſt: non ſolùm enim difficultati partus opportunè expeditéque ſuccurrendum eſt, ſed etiam contra ea, quæ accidunt, protinus agendum ingenioſè; & in ſecando, deligandóque vmbilico infanti prudentia requiritur, & peritia.]

In nutrice verò quantum momenti eſt in vtramque partem: emittere dentes etiam maturiùs infantes, quorum nutrices lac habent calidius, prodit idem Philoſophus libro ſeptimo de hiſtoria animalium, cap. 10. & capite 12. Solent (inquit) pueri plurimum conuulſione excipi, & præcipuè corpulentiores & lacte veſcentes copioſiore craſſioréque, & nutricem lactentes ſucci plenam, & corpulentam, nocet etiam ad hoc morbi genus, vinum, magiſque nigrum, quàm album; & quod minus dilutum eſt; atque etiam in cibis qui inflat plurimi obſunt, & ſi aluus ſubſtiterit, nociuum eſt, plurimi ante ſeptimum diem intereunt, vnde fit vt nomina ſeptimo die imponantur, tanquam ſaluti iam pueri magis credamus.]

Quàm multa de lacte parentum, & nutricum, Galenus libro 14. de vſu partium: ſed præſtat hac de re audire Hippocratem libro 4. de morbo ferè extremo. [Cæterùm (inquit) calculi morbus principiũ habet à lacte, vbi puer lac impurum ſugit. lac autem in nutrice impurum fit, ſi pituitoſis cibis, ac potibus, & alimentis impuris vtatur, conferunt enim omnia in ventriculum illabentia in ipſa lac: habet autem ſe res hoc modo: ſi nutrix ſana non fuerit, ſed bilioſa, aut aquoſa, aut pituitoſa, lac etiam puero morbũm generat: cõſentiunt enim corpus & ventriculus, plurimum verò ipſi ad lac cedit de eo quod ipſa plurimum in ſe habuerit, & puer ſi de nutrice lac non purum ſuxerit, at vbi ſuxit lac non purum, ſed bilioſum, vel, vt dixi, morboſus fit ac debilis puer, & in præſens maximè affligitur, quamdiu lac impurum, ac morboſum ſuxerit, at vbi ſuxit lac non purum, ſed terreum ac pituitoſum, & habuerit puer venas de vẽtriculo ad veſicam cadentes amplas, ac attrahentes, procedit autem & quod bibet nutrix, & lac in ventriculum pueri tale quale trahit à ventriculo, de lacte in totum ſimiliter, prout venæ ad ventriculum detrudere poſſunt. Si quid ſanè in lacte non purum fuerit, id quo veſica fruitur lapis fit tali modo, veluti in aqua non pura in calce aut in vaſe æneo turbata, & rurſus ſedata, fæx conſeruatur, fit in medio.

Rurſus libello de aëre, aqua, & locis, ex lacte calidiori, & bilioſo calculum in pueris procreari tradit.

Obſeruatum eſt quemdam, vt Martinus Vratiſlauienſis ſcribit comment. de Monſtris cap. 15. capræ lacte nutritum cùm adoleuiſſet; ſemper ſaltare ſoli-

P tum

tum,plantáſque,vt capræ ſolent,abradere petulanter.

Alium ſuillo ſanguine paſtum cœno ſemper delectatum.

Docent & Medici, eos qui à ſeneſcentibus iam nutricibus lactantur, citiùs ſeneſcere,quàm qui à iuuenibus ſugunt. Fauſtina Marci Antonij Imperatoris & Philoſophi vxor,cùm ſanguinem gladiatoris cuiuſdam,cuius amore peribat, calidum bibiſſet, & cum marito ſtatim coiiſſet, Commodum Imperatorem peperit ex eo concubitu hominem crudelem,gladiatorem potiùs,quàm Principem.

Conſentiunt Galenus,& Auicenna multò ſalutarius eſſe lac maternum,quã nutricis,quod & Plutarchus libro de liberis educandis confirmat his verbis. [Oportet,vt mihi profectò videtur,vt matres filios educent,eiſque vbera porrigant,quoniam maiori cum charitate,& impenſa magis diligentia nutrient, vt quæ natos ex intimo,&,vt dici ſolet,ex cordibus ament. Nutrices verò & alumnæ ſuppoſitam quamdam,& arreptitiam beneuolentiam habeant, vtpote mercedis gratia diligentes, quod matres eos quos progenuerunt nutrire, alerèque conueniat,ipſa etiam natura demonſtrat, vnicuique etiam animantium generi,quæ pariunt, idcirco ſimul & lactis alimenta ſuppeditauit,eius quoque ſapientem fuiſſe prouidentiam conſtat,quæ duplices mulieribus mammas dedit, vt ſi gemellos peperiſſe contigerit, duplices ad alendum fontes haberet. Præterea vt maiore in eos, quos procrearat amore beneuolentiaque fouerer,quod medius fidius haud iniuria factum eſt,victus enim cibique ſodalitiũ, quoddam beneuolentiæ, & amoris incrementum exiſtit. Nam & belluæ dum à ſociis paſtus auellunt,magnum præ ſe ferre deſiderium videntur.Danda præſertim opera, vt matres, quemadmodum enarratum eſt, filios educent,iiſq; vbera porrigant.]

Plutarchus quidem moralem nimis diſputationem inſtituit. Phauorinus apud Aulum Gellium,libro 12.Noctium æſtiuarum è Philoſophiæ penitioribus principiis eamdem rem conficit. [Quod eſt(inquit)hoc contra naturam imperfectum,atque dimidiatum matris genus peperiſſe, ac ſtatim ab ſe abdicaſſe? aluiſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid quod non videret,non alere nunc ſuo lacte quod videat iam viuentem,iam hominem,iam matris officia implorantem? An tu quoque putas naturam fœminis mammarum vbera,quaſi quoſdam næuos venuſtiores,non liberorum alendorum,ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe? ſic enim,quod à vobis ſcilicet abeſt, pleræque prodigioſæ iſtæ mulieres,fontem illum ſanctiſſimum corporis,generis humani educatorem, arefacere, & extinguere, cum periculo quoque auerſi corruptique lactis laborant: tanquam pulchritudinis ſibi inſignia deuenuſtet; quod quidem faciunt eadem væcordia,qua quibuſdam commentitiis fraudibus nituntur, vt fœtus quoque ipſi in corpore ſuo concepti aboriantur, ne æquor illud ventris irrugetur,ac de grauitate oneris,& labore partus fatiſcat.Quod cùm ſit publica deteſtatione, communique odio dignum,in ipſis hominis primordiis, dum fingitur, dum animatur,inter ipſas artificis naturæ manus,interfectum iri; quantulum hinc abeſt,iam perfectum,iam genitum,iam filium proprij, atque conſueti cognati ſanguinis alimonia priuare? ſed nihil intereſt,(hoc enim dicitur)dum alatur, & viuat cuius id lacte fiat.Cur igitur iſte qui hoc dicit,ſi in capeſſendis naturæ ſenſibus, tam obſurduit, non id quoque nihil intereſſe putat,cuius in corpore, cuiuſque ex ſanguine concretus homo & coalitus ſit? An qui à ſpiritu mul-

ro,& calore exalbuit,non idem ſanguis eſt nunc in vberibus, qui in vtero fuit? Nonne hacquoque in re ſolertia naturæ euidens eſt:quod poſtquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, aduentante iam partus tempore:in ſupernas ſe partes profert, & ad fouenda vitæ, atque lucis rudimenta præſtò eſt, & recens natis notum, & familiarem victum offert. Quamobrem non fruſtrà creditum eſt ſicuti valent ad fingendas animi, atque corporis ſimilitudines,vis & natura ſeminis,non ſecus ad eamdem rem, lactis quoque ingenia,& proprietates valere. Neque in hominibus id ſolum, ſed in pecudibus quoque animaduerſum.Nam ſi ouium lacte hœdi, aut caprarum agni alerentur,conſtat fermè in his lanam duriorem,in illis capillum gigni tenuiorem.In arboribus etiam,& frugibus maior plerumque vis, & poteſtas eſt, ad earum indolem,vel detrectandam,vel augendam aquarum atque terrarum, quæ alunt,quàm ipſius quod iacitur ſeminis.Ac ſæpe videmus arborem lætam & nitentem in locum alium tranſpoſitam deterioris terræ ſucco deperiiſſe. Quæ(malum!) igitur ratio eſt,nobilitatem iſtam nati modo hominis, corpuſque,& animum benignè ingenitis primordiis inchoatum, inſitiuo, degenerique alimento lactis corrumpere? præſertim ſi iſta,quam ad præbendum lac tunc adhibebitis, aut ſerua,aut ſeruilis,&, vt plerumque ſolet, externæ atque barbaræ nationis,ſi improba,ſi informis,ſi impudica,ſi temulenta eſt.Nam plerumque ſine diſcrimine, quæcumque id temporis lactans eſt, adhiberi ſolet: Patiemúrne igitur infantem hunc noſtro pernicioſo contagio infici, & ſpiritum ducere in animum & corpus ſuum ex corpore,& animo deterrimo.Id hercle ipſum eſt quod ſæpenumero miramur, quoſdam pudicarum mulierum liberos,parentum ſuorum neque corporibus,neque animis ſimiles exiſtere.Scitè igitur & peritè noſter Maro, cùm verſus illos Homeri conſectaretur.

ὀυκ ἄρα σοίγε πατὴρ ἦν ἱππότα πηλεὺς
ὀυδὲ θέτις μήτηρ γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα
πέτραι,τ' ἠλίβατοι ὅτι του νόος ἐςὶν ἀπηνής.

Non partitionem ſolam támque illam,quam ille ſequebatur, ſed alituram quoque feram, & ſæuam criminatus eſt:addidit enim ferè de ſuo:

Hircanaque admorunt vbera tygres:

Quoniam videlicet, in moribus inoleſcendis,magnam ferè partem ingenium altricis & natura lactis tenet,quæ à principio imbuta paterni ſeminis cóncretione ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. Et præter hæc autem quis etiam illud negligere, aſpernaréque poſſit, quod quæ partus ſuos deſerunt,ablegántque à ſe,& aliis nutriendos tradunt:vinculum illud,coagulúmque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura conſociat,interſcindunt,aut certè quidem diluunt,deterúntque? Nam vbi infantis aliorſum dati,facta ex oculis amolitio eſt,vigor ille maternæ fragrantiæ ſenſim atque paulatim extinguitur,omniſque impatientiſſimæ ſollicitudinis ſtrepitus conſileſcit. Neque multò minor amandati ad nutricem aliam filij, quàm morte amiſſi obliuio eſt.Ipſius quoque infantis affectio animi,amoris,conſuetudinis, in ea ſola vnde alitur occupatur,& proinde vt in expoſitis vſu venit, matris,quæ genuit, neque ſenſum vllum,neque deſiderium capit: ac propterea obliteratis,& abolitis natiuæ pietatis elementis, quidquid ita educati liberi amare patrem, atque matrem videntur, magnam ferè partem non naturalis ille amor eſt,ſed ciuilis,& opinabilis.] Hæc Phauorinus Græca oratione, quæ no-

bis Aulus Gellius Latinis literis repræſentauit.

Vnde Aſtrologus nouit,quæ ex tanta lactentium multitudine aſciſcenda ſit puero nutrix,vnde inueſtigat, quæ ſe obtruſura ſit quæ ab aliis ſit parentibus præ cæteris laudanda,quę commendatione aliis anteferenda ſit?Qua fronte definiet quo nutrix eduliorum genere vſura ſit,an indultura cibis pituitoſis, flatuoſis,terreis,aquoſis,an coitura cum marito? Rimetur horoſcopos, quantum velit,vertet Aſtrolabia omnia, ſi hæc ignorat,quæ noſſe non poteſt, fiet infans nihil illo tale cogitante calculoſus,valetudinarius,morboſus ac debilis; & cui præſagiebat diuturnam vitam, integram valetudinem, firma latera,vel ipſo vitæ ingreſſu extinguetur,vel inter viuos hominis cadauer aget.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

A victu magis quàm ab aſtris temperamentum pendere.

NIHIL eſſe, quo naturale temperamentum foueatur magis, aut diſſoluatur, quàm victu, teſtatur Hippocrates tribus de diæta libris, quibus etiam luculenter proſecutus eſt ſingulorum eduliorum vim, ac naturam,vt quibus quæque noceant quæve vtilia ſint edoceret. Fecit idem alter Medicinæ Magiſter, & de hominum ſalute optimè meritus Cornelius Celſus, libro 2.capite 18.& aliis ſequentibus.[Ad ea(inquit)veniendum eſt,quæ nos alunt, id eſt,cibum,&potionem. Hæc autem non omnium tantùm morborum ſed etiam ſecundæ valetudinis communia præſidia ſunt, pertinetque ad rem,omnium proprietates noſſe.Primò vt ſani ſciant, quomodo his vtantur, deinde vt exequentibus nobis morborum curationes liceat ſpecies rerum, quæ aſſiduò neceſſariæ erunt ſubiicere, neque neceſſe ſit eas ſubinde ſingulas nominare.Scire igitur oportet omnia legumina, quæque ex frumentis panifica ſunt, generis valentiſſimi eſſe. Id valentiſſimum voco, in quo plurimum alimenti eſt. Item omne animal quadrupes dominatum omnem grandem feram, quales ſunt capræ, ceruus, aper, onager; omnem grandem auem quales ſunt anſer, pauo, & grus, omnes belluas marinas, ex quibus cœtus eſt, quæque his pares ſunt. Item mel & caſeum, quo minus mirum eſt opus piſtorium, valentiſſimum eſſe, quod ex frumento, adipe,melle,caſeo conſtat. In media verò materia numerari ex oleribus debere ea, quorum radices, vel bulbos aſſumimus, ex quadrupedibus leporem, aues omnes à minimis ad phænicopterum. Item piſces omnes, qui ſalem non patiuntur, ſolidive ſaliuntur. Imbecillimam verò materiam eſſe omnem caulem oleris, & quidquid in caulico naſcitur, qualis eſt cucurbita, & cucumis, & capparis, omnia poma, oleas, cochleas itemque conchylia:ſed.quamuis hæc ita diſcreta ſunt tamen etiam quæ ſub eadem ſpecie ſunt, magna diſcrimina recipiunt; aliáque res alia valentior eſt, vel infirmior, ſi quidem plus alimenti eſt in carne quam in vllo alio; firmius eſt triticum quàm milium, id ipſum, quàm hordeum, & ex tritico firmiſ

firmiſſima ſiligo, deinde ſimila, deinde, cui nihil ademptum eſt, quod αὐτόπυρον Græci vocant. Infirmior eſt ex ſimila, deinde cum polline infirmiſſimus cibarius panis;ex leguminibus valentior fabula,vel lenticula, quã piſum: ex oleribus valentior rapa,napique, & omnes bulbi,in quibus cæpam quoque & allium numero,quàm paſtinaca,vel quæ ſpecialiter radicula appellatur,tum firmior braſſica,beta,& porrum,quàm lactuca vel cucurbita vel aſparagus. At ex fructibus ſurculorum valentiores ſunt vuæ,ficus,nuces,palmulæ,quàm quę poma propriè nominantur.Atque ex his ipſis firmiora quæ ſuccoſa,quàm quæ frigida ſunt. Itémque ex his auibus,quæ in media ſpecie ſunt valentior ea,quæ pedibus quàm quæ volatu magis nititur,& ex his quæ volatu fidunt,firmiores ſunt quæ grandiores aues,quàm quæ minutæ ſunt,vt ficedula, & turdus, atque ea quoque quæ in aqua degunt leuiorem cibum præſtant, quàm quæ natandi ſcientiam non habent : inter domeſticos verò quadrupedes leuiſſima ſuilla eſt, grauiſſima bubula : itémque ex feris, quo maius quodque animal, eò robuſtior ex eo cibus eſt, piſciúmque eorum qui ex media materia ſunt, quibus maximè vtimur,tamen grauiſſimi ſunt,ex quibus ſalſamenta quoque fieri poſſunt, qualis lacertus eſt, deinde qui quamuis tenuiores tamen duri ſunt, vt aurata,coruus, ſcarus, oculata, tum plani poſt etiam leuiores lupi, mulique & poſt hos omnes ſaxatiles.]

Item Galenus,tertium medicinæ & lumen,& columen, libro primo de facultatibus alimentorum.[De facultatibus(inquit)alimentorum,plerique præſtantiſſimorum Medicorum præcipuo ſtudio in eam ſpeculationem conuerſi conſcripſerunt, quòd omnium quæ ſunt in medicina ea propemodum ſit vtiliſſima:nam aliis præſidiis non omni tempore vtimur,ſine alimento autem ne viuere quidem neque ſecunda , neque aduerſa valetudine poſſumus. Meritò igitur præſtantiſſimorum Medicorum plurimi facultates, quæ eis inſunt diligenti magnóque ſtudio peruestigarunt.]

Idem libro de tenui victus ratione. [Cùm victus (inquit) attenuans ratio pleriſque diuturnis morbis adeò conferat, vt ſola ea ſine vllo alio medicamento ſublati ſæpe fuerint, operæpretium fuerit, aliquid de ea præſcribere,ſunt enim quos præſtiterit ſola victus ratione, ſine medicamentis perſanare.]

Rurſus libro de cibis boni,& mali ſucci. [Annonæ (inquit) caritas aſſidua, quæ non paucos ab hinc annos multas nationes Romano Imperio ſubditas afflixit,iis,qui non omnino rudes ſunt,planè ſignificauit, quantum vitiati corporis ſucci ad gignendos morbos vim habeant:nam qui intra vrbes degebant ſicuti moris eſt, dum ſibi æſtate pararent quæ in proximum annum victui ſufſectura eſſent, vniuerſo ex agris frumẽto,hordeóque,fabis, lentibúſque aſportatis;cereales reliquos fructus, quos legumina, & chedropa appellant,eorum etiam parte in vrbes aducta agricolis relinquebant, quæ cùm illi per hyemem conſumpſiſſent,mali ſucci alimentis toto vere veſci coacti ſunt: teneris namque fructibus arborúmque germinibus & extremis ramulis, tum bulbis, & mali ſucci plantarum radicibus alebantur agreſtia quoque olera, & quidquid ſors illis vberiùs attulerat vt pote herbas ferè omnes virentes decoctas, quas nemo vnquam priùs deguſtauerat ad ſatietatem edebant. Ea propter cernere erat nonnullos vltimo vere, ſed ferè omnes ineunte æſtate multis, variiſque modis per cutem vlceribus laborantes, ex his namque alia eryſipelatode, alia erant phlegmode, alia ad herpetis ſimilitudinem ſerpentia, nonnulla impeti-

ginem, vel ſcabiem, quaſi & lepram referre videbantur, ſed ex his, quæ ſe mitiſſimè per cutem extulerunt, vitioſos humores ex viſceribus, & imis corporis partibus extraxerunt.

Nec omiſerim quæ Paulus Ægineta libro primo, capite 23. ſcribit. [Senectus (inquit) cùm ſicca frigidáque exiſtat per calefacientia, & humectantia corrigi debet, imbecilliores ter die cibo refici debent, ad tertiam quidem horam panis exiguo cum melle Attico, ſeptima verò hora vbi frictionem exercitationeſque ipſis congruas & balneum fuerint experti, primum ſanè quæ aluum emolliunt aſſumant; deinde piſces, aut auiculas. Hinc in cœna quæ optimi ſucci ſunt, & ægrè corrumpuntur, non prohibeo tamen vinis ex melle præparatis vti, præcipuè quibus de calculo in renibus creato, aut etiam de podagra ſuſpicio eſt quando petroſelinum vino rectè iniicitur; At ſi quando pituita in ventriculo collecta neceſſitas eſt, aliqua quæ eam incidant deligere, protinus ad humectantem victus rationem digrediendum eſt, ac ficus maturæ ante alium cibum ipſis exhibeantur. Per hyemem verò caſſiæ, ſi nullum in dextro præcordiorum ſymptoma accedere ſentiat.]

Idem capite 53. deſcribit victus rationem pro ſingulis anni temporibus, cap. 54. iis qui labore exercentur, cap. 55. iis qui iter agunt, cap. 56. iis qui nauigant cap. 71. [Inter frigidas (inquit) intemperies, tres numerantur differentiæ; ex quibus ſicca eſt deterrima, quod enim ſucceſſu temporis ſeneſcentibus obuenit, id ſtatim ab initio hos affligit. Itaque humectare eos, & calefacere oportet quod commodè fiet exercitiis mediocribus, cibo humido, & calido, vini calidioris potu.] Cap. 73. [Cùm de alimentorum facultatibus pars ſit operis, quo de ſanitate tuenda præcipitur, proximum eſt dictis, vt eum ſubiiciamus, vbi priùs quàm particularia proſequamur, pauca quædam prælibabimus: quæ igitur attenuandi virtutem habet meatus aperiūt, viſcera adhærentia abſtergunt, craſſa incidunt, quòd ſi diutius in cibum ea adhibeas ſeroſa, bilioſáque contrahes excrementa, ac ſi vberiùs ingeras, ſanguis ater, & vitioſus redditur.]

Quorſum Medicos grauiſſimos viros in re certiſſima fatigamus? ipſi etiam Poëtæ intellexerunt, quantum in ratione victus momenti ſit. Horatius lib. 2. Satyr. 2.

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantáque ſecum
Adferat. In primis valeas bene; nam variæ res
Vt noceant homini credas: memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachóque tumultum
Lenta feret pituita: vides, vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia?

Et Iuuenalis in ſuorum temporum ingluuiem acerrimè inuehitur, Satyra ſecunda, & enumeratis quibuſdam eduliis, quæ nullis ſunt ornata macellis, ſubdit:

Hæc olim noſtri iam luxurioſa Senatus,
Cœna fuit. Curius paruo quæ legerat horto
Ipſe focis breuibus ponebat holuſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor,
Qui meminit calidæ ſapiat quid vulua popinæ.

Vertant

Vertant Genethliaci ſua aſtrolabia, ſpectent ſydera, rimentur abditas aſtrorum vires, obſeruent ſtellarum configurationes, quanam è ſpecula proſpicient, quo quiſque alimentorum genere ſit vſurus? quanta in his diuerſitas pro natura locorum, pro anni temporibus, pro ætate, pro copia, vel inopia, pro eorum quibus cum quiſque viuit conditione, pro valetudine, pro Medicorum conſilio, pro palato, pro patriæ conſuetudine, pro vſu domeſtico, pro ſubita, ac fortuita neceſſitate, pro amicorum inuitatu, pro propria libidine, pro familiarium arbitratu, pro proprio appetitu, tantúmne cauſarum in vno ſyderum ſchemate videtur? Si hæc omnia non vident, nihil vident, ſed temerè efficiunt, quidquid efficiunt de hominum temperamento: quantò meliùs de temperamento, & temperamenti cauſis diſputant Hippocrates, Celſus, Galenus, Paulus? hos audire malumus quàm Aſtrologos.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Plus labores valere ad tuendum vel mutandum corporis temperamentum quàm Aſtra.

Mentiantvr aſtrorum internuncij, in ſtellis videri vniuſcuiuſque victum & cibaria, adhuc non viderunt eius temperamentum cuius vident geneſim: magnam enim vim ad ſanitatem vel tuendam vel labefactandam habet exercitatio & labor. [Oportet (inquit Hippocrates libro 1. de diæta) ſcire quomodo ciborum fortium natura vim detrahere oporteat, & quomodo debilibus robur per artem addere oporteat, prout ſingulorum occaſio ſeſe obtulerit, & ſi relata iam etiam cognouerit nondum ſufficiens eſt hominis curatio, propterea quòd homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret: contrarias enim inter ſe vires habent cibi & labores, verùm inter ſe mixtis conferunt ad ſanitatem, labores enim ea quæ inſunt conſumere ſolent, cibi autem & potus ea quæ euacuata ſunt explent; oportet autem, velut par eſt, laborum vim pernoſcere tum naturalium, tum eorum qui per vim fiunt, & qui ex ipſis carnem in augmentum properant, & qui in defectum; & non ſolùm hæc, ſed etiam menſuram ac proportionem laborum ad multitudinem ciborum, & hominis naturam, & corporum ſtaturas, ac ætates, & ad tempora anni & ad mutationes ventorum, & ad ſitus regionum in quibus degunt, & ad anni conſtitutionem ac ſtatum.]

Ecce quàm multa noſſe aſtrorum conſiliarios oportet, ſi volunt de noſtro temperamento vaticinari.

Rurſus idem Hippocrates eodem libro. [Curſibus vtendum eſt velocibus, quo & corpus humore euacuetur & humor amplius ſiccetur, luctis autem, & fricationibus, & huiuſmodi exercitiis vti non conducit, ne meatus cauiores redditi repleantur, à talibus enim animæ motum grauari neceſſe eſt. Confert & deambulationibus vti, his verò neutrum ſæpe fieri oportet, ſed ſæpius alterutrum pro corporis natura, poſt hæc paulùm conquieſcere opus eſt.]

Galenus quoque libro primo de ſanitate tuenda. [Nutricibus (inquit) tribus infantibus excogitata dimotio eſt in cunis, in lectulis pendentibus, in ſuis ipſarum

rum vlnis,vbi iam hoc aliud quoque nobis æſtimandum oritur ad ſanitatis tutelam vel in primis neceſſarium. Cùm Aſclepiades planè aperteque exercitationes damnet,Eraſiſtratus verecundius timidiúſque decernat.Cæterum idem cum Aſclepiade ſentiat,reliqui verò Medici non ſolùm ad bonam corporis habitudinem,ſed etiam ad ſanitatem eas prædicent. Porro exercitationum tria ſaltem prima notantur genera,vtique quot motionum differentiæ,quippe aut à nobis ipſi mouemur, aut ab aliis,aut à medicamento. Horum tamen tertia ſpecies ad ſanos nequaquam pertinet, ſed qui ab altero præſtatur motus, nauigando,equitando,vehendo, atque vt paulò antè dictum eſt, in cunis, lectulis, vlniſque obitur, recenter tamen nati puelli tam valentem motum, quàm qui vehiculis,nauigiis,equiſque præſtatur, adhuc non deſiderant. At qui iam tertium, aut quartum annum agunt, hos vehiculo,nauigióque modicè agitare licet, ſeptemni verò etiam valentiora exercitia tolerant, ita vt equitare iam aſſueſcat. Per ſe verò moueri tunc primùm cuiuis licet,cùm iam repere cœperit, magiſque etiam cùm ingredi; immaturè verò omnino cogendi non ſunt, ne crura eorum pondere vitientur. Sanè vel hac ætate facilè declaratur quanta ſit naturæ noſtræ cum exercitiis ſocietas cùm pueros, ne ſi concluſeris loco aliquo prohibeas quominus diſcurrant, ac pullorum vitulorúmque ritu laſciuiant. Quippe ſua cuique animanti natura ſatis eſt ad proprias conuenienteſque excitandas appetitiones, quibus ſanitatem, ſalutémque tueatur. Verùm Aſclepiades nihil horum cogitans,per magnum otium captiunculas texit,quibus docere conatur nihil ad bonam valetudinem exercitia conferre. Verùm huic poſtea,quod par eſt,reſpondebitur, ceu garrulitate ad finem potiſſimùm taxanda, eſt enim nobis hoc loco propoſitum, non Sophiſtarum nugas refellere, ſed quod ad ſanitatem conducit præcipere.]

Idem libro de exercitatione paruæ pilæ. [Quantum (ait) ad valetudinem tuendam exercitationes conferant, & quod opus ſit vt illæ cibos præcedant cùm veterum multi, & Philoſophorum, & Medicorum optimi diligenter ſint executi,nullus tamen,ô Epigenes,hactenus quantò hæc, quæ parua pila fit exercitatio,reliquis præſtet ſatis expoſuit. Quare nūc licere nobis arbitror de ea, quatenus eius cognitionem habemus diſſerere ſub te præſertim omnium in hac arte exercitatiſſimo Iudice,quæ porrò & in aliorum dicta erunt vtilitatem quoſcumque huius tu libelli participes eſſe volueris. Ego igitur ſic ſentio eas omnium eſſe vtiliſſimas exercitationes, quæ non corpus ſolùm exercere, verùm etiam animum oblectare poſſunt;vnde ſapientes mihi humanæque naturæ probè periti fuiſſe videntur illi, quicumque venationes,& alias animalium capturas laborem voluptate, oblectatione, laudis cupiditate temperantes primi inuenerunt,adeò enim potentes ſunt, qui in ea fiunt motus animi,vt multi morbis fuerint delectatione liberati.]

Rurſus capite 3. eiuſdem libri multis nominibus commendat exercitationem paruæ pilæ. Immò reuera id ſolùm eſt(inquit)quòd omnes corporis particulas cum iuſtitia mouet,dū enim procedimus,aut recedimus,aut nos in obliquum transferimus,alij atque alij nerui,ac muſculi plus fatigantur quicumque eſt vno motionis genere,crura mouet,quemadmodū qui ſine ratione curſitāt, ſic quoque non ſecus, quàm qui crebrò ſeſe in obliquum transferunt partes inæqualiter exercent; verùm quemadmodum cruribus, ſic & brachiis exercitatio hæc ſumma cum iuſtitia mouet,propriúmque partitur opus, ſiquidem in omni

omni figura pilam excipere conſueuerunt. Hîc enim neceſſe eſt figurarum varietatem, alios, atque alios muſculos vehementiùs tendere, adeò vt omnes viciſſim laborantes, intermiſſionem his habeant æqualem; qui, dum alij operantur, quieſcunt: atque ita viciſſim omnes operantes, & quieſcentes, neque ſegnes omnino relinquuntur, neque ſoli laborantes, laſſitudine corripiuntur. Quòd autem & oculos exercere oporteat, hinc videre licet, ſi animaduertimus, quòd niſi quò vergat pila, diligenter præuiderit, quominùs eam attingat, ipſum aberrare neceſſe eſt. In hoc autem & conſilium æquale, ſollicitudini par, & opus eſt, tum illam ne humi in caſſum deiiciat, tum vt verſantem in medio eamdem aſſequi prohibeat, vel ipſe tranſmiſſam rurſus accipiat. Atque ſollicitudo quidem corpus ſola extenuat, cuipiam verò exercitio, ac laudis deſiderio commiſſa, vtpote in lætitiam deſinens, ad bonam corporis valetudinem, atque animi prudentiam plurimum confert. Illud autem exercitium non modicum præſtiterit, quòd ambo, corpus videlicet, & animum, pro ſua vtriuſque virtute iuuare poſſit.] Hæc Galenus, multáque alia de vſu paruæ pilæ.

Cornelius verò Celſus non ſanis modò, ſed ægris etiam corporibus exercitationes vtiles eſſe putauit. [Geſtatio (inquit lib. 2. cap. 24.) longis etiam, & inclinatis morbis aptiſſima eſt, vtiliſque & his corporibus, quæ ex toto febre carent; ſed adhuc exerceri per ſe non poſſunt, & iis, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, nec aliter eliduntur.

Aſclepiades etiam in recenti, vehementíque febre, præcipuéque ardente, ad excutiendam eam geſtatione dicit vtendum eſſe; ſed id periculosè fit, meliúſque quiete huiuſmodi impetus ſuſtinetur: ſi quis tamen experiri velit, ſic experiatur, ſi lingua non erit aſpera, ſi nullus tumor, nulla durities, nullus dolor viſceribus, aut capiti, aut præcordiis ſubierit. Et ex toto nunquam geſtari corpus dolens debet, ſiue id in toto, ſiue in parte eſt. Si tamen ſolis neruis dolentibus, neque vnquam in recenti febre, ſed in remiſſione eius. Genera autem geſtationum plura ſunt adhibenda, quæ ſunt pro viribus cuiuſque, & pro opibus, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obſint. Geſtationum leuiſſima eſt nauis vel in portu, vel in flumine, vehementior alto mari naui, vel lectica, aut ſcamno, acriorè vehiculo, atque hæc ipſi intendi, & remitti poſſunt; ſi nihil eorum eſt, ſuſpendi lectus debet, & moueri; ſi ne id quidem eſt, certè vni pedi lecti ſubiiciendus funiculus eſt, atque ita lectus huc illuc manu impellendus: & leuia quædam genera exercitationum infirmiſſimis conueniunt; vehementiora verò iis, qui pluribus iam diebus liberati ſunt; aut iis, qui grauium morborum initia ſic ſentiunt, vt adhuc febre vacent, quod & in tabe, & in ſtomachi vitiis, & cùm aqua cutim ſubit, & interdum in morbo regio fit, aut vbi quidem morbi, qualis comitialis, qualis inſania eſt ſine febre, quamuis diu maneat, in quibuſdam affectibus, ea quoque genera exercitationum neceſſaria ſunt, quæ comprehendimus eo loco, quo quemadmodum ſani, neque firmi homines ſe gerant, præcepimus.] Hæc Celſus.

Sicut porrò moderata, & tempeſtiua exercitatio ſalutaris eſt; ita nimia, vel intempeſtiua noxia cenſetur. Itaque Plutarchus lib. de liberis educandis, [Perinde (inquit) ac in cella quadam reſeruandus eſt corporis labor, vt ne fragiles, leuitérque cedentes, ad doctrinæ ſtudia fatigati ſuccumbant: hoſtes enim diſciplinarum, vt à Platone dictum eſt, ſunt labores, atque ſomni. Quid his tam inſiſto? cùm ad id, quod dictum, longè principalius explicandum ſummo ducar

Q ſtudio;

ſtudio: militaribus namque certaminibus pueros exercere conueniet, vt in iacie̅dis haſtis, tractandis arcubus, venationibus, magnoperè co̅tendant, victores eorum, quos bello deuicerint, bona ipſis præmia eſſe proponant, bellum educatam in vmbra corporis habitudinem repudiat. Macilentus autem miles, bellicis aſſuetus certaminibus, pugiles, & ſtructas prælio acies propulſat. Quid agis, dicit quiſpiam, tu, cùm de ingenuorū educatione liberorum daturū te præcepta ſpoponderis; mox inopes, ac populares ita videris prætermiſiſſe, vt ſolis inſtitutionem locupletibus exhibere cogites? Quibus occurrere haud certè difficile eſt: ego namq; hanc ipſam inſtitutionem communem omnibus, ac vtilem eſſe maximè velim: verùm ſi propria laborantes indigentia, meis vti co̅monefactionibus nequiuerint, fortunam, non aute̅ me co̅ſulentem accuſent; enitendū itaq; pro viribus, vt optima pueris, vel etiā ipſis pauperibus fiat educatio; ſin minùs poſſibili ſaltem vtendū erit. Et iſta quidem, quæ grauiter in ſermone obiici poterant, adduxi, vt quæ ad rectam iuuenum inſtitutionem non ferunt, adiungam.

Illud igitur aſſero, ad honeſta pueros exercitia non plagis, aut verberibus, ſed monitis, ac rationibus adduci oportere: omitto enim ea magis ſeruos decere, quàm liberos, qui durati rigeſcunt, & ad labores ſuſtinendos, nunc ob plagarum dolores, nunc ob contumelias horreant; liberalibus autem pueris maiorem laudes, ac vituperia, quàm verbera, afferunt commoditatem: illa enim ad honeſta incitant, hæc à turpitudine cohibent, mixtim verò, & alternis vtendum erit obiurgationibus, & laudibus; poſtquam vehementer obiurgarint, pudore agendum erit, rurſúſque laudibus reuocabunt, iiſque imitandæ nutrices erunt, quæ vbi infantes lugere coëgerint, vbera denuò ad eos ſolandos admouent. Caue̅dum autem erit, ne immodicis elati laudationibus intumeſcant, quoniam nimiis demoliti laudibus frangūtur. Pleroſq; iam ego patres vidi, quibus amor nimius ne amarent cauſa extitit: quid enim eſt, quod dicere velim, vt exemplo lucule̅tior fiat oratio? nam cùm hi feſtinent, vt filij in cunctis ocyùs antecedant, immenſos illis labores adiiciūt, ſub quibus defeſſi corruūt, & alioquin pondere moleſtiarū oppreſſi, doctrinam minùs co̅ſuetè percipiūt. Plantæ enim cùm modicis alūtur aquis, tum multis ſuffocantur: eodem modo animus, cùm mediocri vegetatur labore, ſub nimio demerſus opprimitur. A co̅tinuis igitur laboribus danda quædā pueris reſpiratio: reminiſci enim oportet, omnem noſtram vitam in remiſſionem, ac ſtudiū eſſe diuiſam; quocircà non vigiliam modò, verū etiam ſomnū eſſe repertum; non bellū ſolùm, ſed & pacem; non hyemem tātùm, ſed & æſtatem, no̅ operoſos, ſed & feſtos dies; &, vt generatim eloquar, laboris co̅dimentū eſt otiū, ídq; non in animātibus modò, ſed etiā in iis, quæ anima carent, co̅ſpicias: arcus enim, lyráſq; remittimus, vt te̅dere poſſimus, ac sūmatim corpus quide̅ indige̅tia, & repleme̅to, animus verò remiſſione, atq; labore co̅ſeruatur.

Tanta cùm in exercitationibus, & laboribus vis ſit, ad valetudinem conſeruandam, vel affligendā, quis ferat Aſtrologos omnia è ſyderū poſitione metientes, an mentientes? Quid hoc genere magis liberū otioſis? magis incertū liberis hominibus? quid magis neceſſariū indigentibus? quid magis fortuitū vniuerſis? quid erramus per aſtra, & è cælo quærimus cauſas humanarum actionū? nónne & genus, & modum exercitationis imponit multis neceſſitas, aliis voluptas, comitatus aliis, aliis contubernium, aliis eorum imperium, quibus ſubſunt, aliis euentus varij, qui fallunt Aſtrologos, fallunt ſapientum prudentiam, fallunt beatarum mentium intelligentias, vnius Dei ſolùm præſenſioni ſubſunt.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Sedes, & domicilium magis, quàm aſtra, afficiunt temperamentum.

QVID cæli temperies? parúmne promouet corporis vires, & ſanitatem? Hippocrates lib. de aëre, aquis, & locis: [Quare (inquit) ſi quis ad vrbem ſibi incognitam perueniat, circumſpicere oportet aëris ſitum, quomodo ſcilicet ad vẽtos, & Solis exortus iaceat: non enim ęquales vires ſunt ad Septentrionem ſitæ, & vergentis ad Auſtrum, neque eius, quæ Solem exorientem, & quæ eumdem occidentem ſpectat. Hæc igitur diligẽter oportet perſcrutari, ac ſimul quomodo ſe habeant circa eam aquæ, num paluſtribus vtantur, & mollibus, aut duris, & ex ſublimi loco prolabentibus, & ſcaturientibus ex petris, ſiue ſalſis, & crudis.] Terra etiam ipſa cõſideranda, nudáne ſit, & aquis carens, aut denſa, & aquoſa, & an concaua ſit, & æſtuoſa, vel alta, & frigida. Hominum inſuper dięta perquirenda, qua maximè capiantur, an bibuli ſint, & lurcones, & otio dediti, aut exercitiis variis vtentes, & tolerantes laborum, ciborúmq; plus appetentes, quàm poculorũ: ex his enim ſingula ſunt inueſtiganda. Nam qui hæc omnia probè, quãtum fieri poteſt, cognouerit, aut horũ plurima, cum non latêre poſſunt, cùm in vrbem etiam ignotam peruenerit, neq; morbi regioni peculiares, & patrij, neq; communis regionis natura, quæcumque tandem ea fuerit, vt non poſſit in cognoſcendis morbis dubius hærere, aut errare, ſicubi ad morborũ curationem adhibeatur. Quæ ambo illis euenire ſolent, qui non priùs prouidi hæc diligenter cognouerunt. Quare qui ea ſtudioſè rimatus fuerit, vniuſcuiuſque temporis, ac anni futuri conſtitutionem prædicere poterit, qui videlicet morbi cómuni affectione ciuitatem ſint inuaſuri, tum æſtate, tum hyeme, & quæcumque pericula vnicuique ſint timenda, ex dięta, & victus immutatione.

Ariſtoteles lib. 7. Politicor. c. 11. [Vrbes autem, quæ terræ, maríſq; participes eſſe debent, & quod ad totam regionem ſimiliter debet eſſe cómunis, quantum fieri poteſt, dictũ eſt priùs. Ipſius autẽ ad ſeipſam optandũ eſt poſitionem ſortiri ad quatuor reſpicientes: primum ad ſanitatem: ad Orientem enim Solem conuerſæ vrbes, & ad eos ventos, qui inde perflant, ſalubriores ſunt, ſecundo loco quæ ſunt ſecundùm Boream ſitæ: hæ namque ſunt ad hyberna potiores.]

Iterũ infrà: [Cùm oporteat de ſanitate habitantiũ curam habere, hoc autem ſit primũ in ſitu, & qualitate loci, ſecundũ in aquarum ſalubriũ vſu, in ea quoq; re eſt diligentia meritò adhibẽda: quibus enim plurimùm, & frequẽtiſſimè vtimur ad corpus, ea plurimùm important ad ſanitatem; aquarũ autem, & vẽtorum potẽtia talem habet naturã. Quapropter in ciuitatibus, quæ rectè ſapiũt, diſtinguẽdus eſt aquarũ vſus, ſi non omnes ſint pares, nec abũdantia ſit earũ aquarũ, vt aliæ ſeorſim aquæ ad cibũ, & potum, aliæ ad aliam indigẽtiam deputentur.]

Vitruuius lib. 1, c. 4. [In ipſis verò mœnibus ea erunt principia: Primò electio loci ſaluberrimi, is autem erit excelſus, & non nebuloſus, non pluuioſus, regionéſque cæli ſpectans neque æſtuoſas, neque frigidas, ſed temperatas. Deinde ſi euitabitur paluſtris vicinitas: cùm enim auræ matutinæ cum Sole oriẽte ad oppidũ peruenerint, & iis ortæ nebulæ adiũgentur, ſpiritúſq; beſtiarũ paluſtrium

venenatos, cum nebula miſtos, in habitantium corpora flatus ſpargent, efficient locum peſtilentem. Item ſi ſecundùm mare erunt mœnia, ſpectabúntque ad Meridiem, ſiue ad Occidentem, non erunt ſalubria; quia per æſtatem cælum meridianum Sole exoriente caleſcit, Meridie ardet. Item quod ſpectat ad Occidentem, Sole exorto tepeſcit, Meridie calet, Veſpere feruet. Igitur mutatione caloris, & refrigerationis, corpora, quæ in iis locis ſunt, vitiantur.]

Et poſt pauca: [Licet etiam conſiderare hæc ita eſſe, quòd æſtate non ſolùm in peſtilentibus locis, ſed etiam in ſalubribus, omnia corpora calore fiunt imbecilla; & per hyemem etiam, quæ ſunt peſtilentiſſimæ regiones, efficiuntur ſalubres, ideò quòd à refrigerationibus ſolidantur. Non minùs etiam quòd quæ à frigidis regionibus corpora traducuntur in calidas, non poſſunt durare, ſed diſſoluuntur: quæ autem ex calidis locis ſub Septentrionem regiones frigidas non modò non laborant in mutatione loci, ſed etiam confirmantur.

Infrà: [Hæc autem vitia efficit feruidum à certis partibus cælum, cùm inſidet in apertas venas plus, quàm patitur è miſtionibus naturali temperatura corpus. Item ſi humor occupauit corporum venas, imparéſque eas fecit. Item ex refrigerationibus humoris ventorum, & aurarum, infunduntur vitia corporibus, non minùs quàm aëris.

Denique poſt pauca: [Itaque etiam atque etiam reuocandam cenſeo veterum rationem: maiores enim è pecoribus immolatis, quæ paſcebantur in iis locis, quibus aut oppida, aut caſtra ſtatiua conſtituebant, inſpiciebant iecinora, & ſi erant liuida, & vitioſa; prima talia immolabant, dubitantes an morbo, an pabulo læſa eſſent, cùm pluribus experti erant, & probabant integram, & ſolidam naturam iecinoris ex aqua, & pabulo, ibi conſtituebant munitiones; ſi autem vitioſa inueniebant, iudicabant humanis corporibus peſtilentem futuram, naſcentem in iis locis aquæ, cibíque copiam, & ita tranſmigrabant, & mutabant regiones, quærentes omnibus rebus ſalubritatem.]

Cornelius item Celſus lib. 2. cap. 1. [Vbi (inquit) eſt æqualitas, ſaluberrimi ſunt ſereni dies, meliores pluuij, quàm tantùm nebuloſi; optiméque hyeme, qui omni vento vacant; æſtate, quibus Fauonij perflant. Si genus aliud ventorum eſt, ſalubriores ſeptentrionales, quàm ſubſolani, vel auſtri ſunt: ſic tamen, vt in hæc, interdum regionum ſortes mutentur: nam ferè ventus vbique à mediterraneis regionibus veniens, ſalubris; à mari, grauis eſt: neque ſolùm in bono tempeſtatum habitu certior valetudo eſt, ſed priores morbi quoque, ſi qui inciderunt, leuiores ſunt, & promptiùs finiuntur. Peſſimum ergo cælum eſt, quod ægrum facit, adeò vt in id quoque genus, quod natura peius eſt, in hoc ſtatu ſalubris mutatio ſit.

Inter ſummos hos viros Marcum Tullium mihi videor numerare poſſe, cuius alij dicendi, ego doctrinæ etiam copiam admirari ſoleo lib. de fato: [Inter locorum naturas (inquit) quantum interſit videmus: alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes, in aliis eſſe pituitoſos, & quaſi redundantes, in aliis exſiccatos, atque aridos; multáque ſunt alia, quæ inter locum & locum plurimùm differunt. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: craſſum Thebis, itaque pingues Thebani, & valentes.]

Quid ad hæc aſtrorum clientes faciunt, ne homines vaſa Samia, quæ domicilium mutare non poſſint? aut lotophagos, loco, quem ſemel inſederunt, inſeparabiliter adhæreſcentes, deſerunt illi ſolum frequenter; idque non

non agentibus ſtellis,ſed variis de cauſis, nunc è proximo, nunc de longinquo petitis.

Ad bellum, ad celebres Academias, ad Principum aulas, ad lites, ad nundinas, ad exilium, ad vſuperitiam rerum, ad amicos, ad familiares, ad ſalubritatem,ad voluptatem,ad alios innumeros vſus,pro temporum, ac perſonarum, pro rerum viciſſitudine, pro negotiorum opportunitate, pro reipublicæ, vel priuatæ ratione, quæ omnia, vt ſtultè ducũtur ex ſolo cælo,ſic valetudo,cui ex domicilio accedit, receditque, non parũ prorſus ineptè ex ſolis ſtellis petitur.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Quid conſuetudo & vſus aduerſus Aſtrorum vim poſſint.

OBEST præterea plurimùm valetudini, & naturali temperamento eorum, quibus quis aſſueuerit, repentina commutatio, & ab extremis ad extrema tranſitio. Quare Galenus lib. 1. de ſanitate tuenda: [Videtur (inquit) in his tria deinceps pari inter ſe iure potuiſſe, morbum,ætatem,conſuetudinem.Atque in morbo quidem contrarij adhibendi, indicationem accipit ab ætate, & conſuetudine ſimilium: febri namque, ceu morbo calido & ſicco humida cõueniunt:puellis,& quibus ea ætas,non morbus, ſed ſecundùm naturam ſit;id maximè eſt vtile,quod planè eſt ſimillimum.Pari modo conſuetudine, vtpote quæ adſcititiam, acquiſitámque naturam in corporibus gignit contraria, in primis dediſſe eſt noxium;atque hæc meritò: quæ enim corpora ſecundùm naturam ſe habent,iis conſeruari,cuſtodirique ſuum habitum decet; quæ morbo aliquo premuntur,iis contrà alterari,& ad contrariũ habitum trahi expedit, ac ſeruatur quidem ſimilibus vnũquodque, alteratur autem cõtrariis.]

Cornelius etiam Celſus lib.1.c.3. [Neq; verò(ait)ex multa fame nimia ſatietas,neq; ex nimia ſatietate fames idonea eſt; periclitatúrq; & qui ſemel,& qui bis die cibum incontinenter contra conſuetudinem aſſumit.Itémque ex nimio labore ſubitum otium,neq; ex nimio otio ſubitus labor ſine graui noxa eſt:primò,cùm quis mutare aliquid volet,paulatim debebit aſſueſcere,omnem autem laborem faciliùs vel puer,vel ſenex,quàm inſuetus homo ſuſtinet. Atque ideò quoq; nimis otioſa vita vtilis non eſt,quia poteſt incidere laboris neceſſitas;ſi quando tamen inſuetus aliquis laborauit,aut multò plus quàm ſolet:etiã is,qui aſſueuit,huic ieiuno dormiendum eſt;multò magis ſi etiam os amarum eſt,vel oculi caligant,aut venter perturbatur:tum enim non dormiẽdum tantummodò ieiuno eſt,ſed etiam in poſterum diem permanendum, niſi citò id quies ſuſtulerit:quod ſi factũ eſt,ſurgere oportet,& lentè paululùm ambulare;& ſi ſomni neceſſitas non fuit,quia modicè magis aliquis laborauit,tamen ingredi aliquid eodẽ modo debet.]Infrà:[Si aſſidua(inquit)fatigatio vrget,inuicẽ modò aqua, modò vinum bibendum eſt,raròq; balneo vtendum,leuatq; laſſitudinem etiam laboris mutatio;eúmq;,quem nouum genus laboris preſſit:id quod in conſuetudine eſt,reficit,fatigato quotidianum cubile tutiſſimum eſt,inſolitum contrà laxat:quod enim contra conſuetudinem eſt,nocet,ſeu molle,ſeu durum.]

Idem qui ſuprà Galenus lib. de curandis animi morbis, neque ait deterreri quempiã oportere,ne ſeipſum conetur meliorem efficere, etiãſi factus quinquagenarius ſit;quinetiã omni ratione conabitur ipsũ corpus in melius reſtituere,

quamuis compertū habeat ſe nunquā Herculeam valetudinem conſecuturum.

Infrà:[Omnium autem maximè tui ipſius te pudeat,quod quidem ſi feceris, poteris quandoque expertem illam rationis vim,qua excandeſcimus, quaſi feram quamdam mitigare, ac manſuefacere; alioquin abſurdum admodum fit, viros equitandi peritos,vbi equos acceperint, breui eos ad parendum idoneos reddere,te autem,qui non aliquid extrinſecus animal acceperis,ſed rationis illam expertem vim,quæ in tuo ipſo animo eſt,& cum qua ſemper meditans,ratio ſimul habitat,non poſſe itidem mitiorem reddere,& quamuis non ita continuò, at longiori ſaltem ſpatio.] [Infrà:Adhuc delige optimum vitæ genus,id iucundum efficiet conſuetudo.]

Ac de mutanda ratione victus,hæc Hippocrates ſcribit apud Galenum libro de conſuetudinibus,cap.1. [Atque facilè addiſci poteſt,quod vitioſa dicta comeſtionis, & potionis ipſa ſibi ipſi ſemper ſimilis, tutior vt plurimùm eſt ad ſanitatem, quam ſi quis repentè magnam mutationem faciat,ad aliud melius, quandoquidem & iis, qui bis cibum capiunt,in die,& iis qui ſemel cibum capiunt repentinæ mutationes, noxas, infirmitateſque inferunt; & ij ſanè, qui prandere non conſueuerunt, ſi pranſi fuerint ſtatim infirmi fiunt, & toto corpore graues, & imbecilli,& tardi,ſi verò etiam ſupercœnauerint, acidum,ructantes, quibuſdam etiam ſputile, hoc eſt, humida deiectio aduenit, quando præter conſuetudinem onere grauatus eſt ventriculus, ſolitus ſuperſiccari, & non bis intumeſcere, neque bis elixare cibaria.]

Idem de eadem re magis laborauerit, ſi ter in die cibum capiat ad ſaturitatem,& adhuc magis ſi pluries, quamquam ſanè multi ſunt qui facilè ferunt ter in die cibum capientes,ad ſatietatem, ſi ſanè ita fuerint aſſueti;quin & qui bis cibū in die capere conſueuerunt,niſi pranſi fuerint,imbecilles,& infirmi fiunt, & ad omne opus timidi,& cardialici, pendere enim videntur ipſius viſcera,& mingūt calidum & viride,& ſtercus comburitur.Sunt & quibus os amareſcit, & oculi cauantur,& tempora ſaliunt,& extrema frigeſcunt;& plurimi quidem eorum,qui pranſi non ſunt cœnam comedere non poſſunt;ſi verò cœnauerint ventriculum grauant,ac multò magis ægrè cubant,quàm ſi pranſi fuiſſent.cùm ergo talia ſanis eueniant ob dimidij diei mutationem, diætæ præter conſuetudinem,neque addere commodè videtur,neque detrahere.Si igitur hic qui præter conſuetudinem cibū capit,ſemel tota die exinanitis vaſis cœnauerit quantum ſolebat, veriſimile eſt ipſum multò magis grauari, ſi verò longiori adhuc tempore exinanitis vaſis,derepentè pòſt cœnauerit,magis vtique grauabitur.

Cibos etiam, quibus quis aſſuetus eſt, quamquam minùs ſalubres Hippocrates ibidem commendat.[Multi(inquit)facilè ferunt eſculenta,quibus aſſueti ſunt,etſi non ſint bona natura,ſimiliter autem & poculenta.]

Galenus verò libro de conſuetudinibus,citato cap.2.docet cur quis faciliùs concoquat cibos, quibus eſt aſſuetus, quicumque illi tandem ſint,quia cibum in qualitatem nobis familiarem redigi oportet, vnus autem cibus vni familiaris eſt,alter alteri:[Aliud enim nutriens(inquit)alij corpori familiare eſt,ideóq; animantes ad familiaria nutrimenta,à nullo doctæ,ſed à natura impulſæ accedunt, iumenta quidē ad herbas,paleam,fœnum, & hordeum,leones autem ad carnes;ſicuti etiā pardales,& lupi.Quemadmodū igitur animalibus ſecundùm genus non parua differentia familiarium vnicuiq; nutrimentorū eſt,ſic etiam, & ſecundùm ſpeciem in generibus reperiuntur differentiæ magnæ,cùm alij ne

guſtare

guſtare quidem vinum poſſint,alij autem plurimùm innoxiè bibãt, alij boum & hircorum, & arietum carnes cum delectatione comedant innoxiéque concoquant, alij nec odorem ipſarum ſuſtineant,nec eſum, & ſi per alterius eſcæ penuriam,vt in fame fit,huiuſmodi carnes ingerere cogantur,cõcoquere ipſas nequeunt citra nocumentum,ac appetitũ ex ablatione ſubuertunt,grauanturq; derepentè, ſi quis nutus ipſis ſuperueniat,nec ipſum quoq; innoxium tolerãt. Quoniam autem hæc ita ſe habere cõſpiciuntur,primum quidem illius meminiſſe oportet,homines aſſumere,quę ſuauiora ſunt,alios alia ſecundùm naturæ familiaritatem,accedere ad talium eſum libentiùs,tanquam ea ſibi ipſi concoctu faciliora viſa ſint eſſe,auerſari autẽ, & fugere quæ inſuauia ſunt,cõcoctuq; difficiliora,ita vt conſuetudo ſignum ſit, familiaritatis naturalis. Quod autem & vt cauſa ſæpenumero fiat,conſtat ex iis, quæ in principio quidẽ in ſuauitate,aut nocumento,à quibuſdam ingeſtis afficiuntur,ſi autem ipſis paulatim aſſueſcere ſuſtinuerint in ſuauitate,aut nocumento,non ampliùs afficiũtur;cauſa autem & huius rei talis eſt,ſicut vnumquodq; eorum,quæ comeduntur, & bibuntur,ſecundùm aliquam qualitatem alterantur,ita & ipſum quodãmodo afficit id,quod alterat;licet autem huius rei euidens capere argumentum ex humorum ab vnoquoq; cibario genitorum differentia : nam alia quidem melancholicum gignunt ſanguinem,alia pituitoſum, vel qui pallidam flauámq; nominatam bilem, non paucam habent,ſicuti nonnulla purum ſanguinem;differentiam ergo aliquã eorum quæ nutriuntur inter ſe,neceſſe eſt fieri,ſecundùm nutrientis ſanguinis ideam; euidens autem argumentũ aſſimilationis nutrientium ad id,quod nutritur eſt, ipſa plantarum, & ſeminum trãſmutatio eo vſq; ſæpenumero facta,vt quæ maximè nociua in alia terra erãt,ſi in aliã tranſplantata fuerint non ſolùm innociua,ſed etiam vtilis fiat,frequens enim eſt horum experiẽtia apud eos,qui de agricultura,& de plãtis cõmentarios cõpoſuerunt, quemadmodum & trãſlationis ſecundum regiones factę apud eos,qui de animalium hiſtoriis ſcripſerũt. Quoniam igitur non ſolùm alteratur id quod nutrit ab eo quod nutritur,ſed & ipſum aliquo modo exigua quadam alteratione alterat, neceſſe eſt exiguã hanc alterationem,tractu temporis notabilẽ fieri,ita vt ad æqualẽ vim cum familiaritate naturali veniat ea,quæ ex diuturnis cõſuetudinibus fit ac in iis quidẽ,quæ comedũtur,& bibuntur inuenta mihi videtur cauſa facultatis,cõſuetudinũ. Hæc ille.[Tanta eſt conſuetudinis vis,vt ne praua quidem tutò omittatur,nec cõſuetudines ipſæ(inquit Galenus lib.5.de ſanitate tuenda,c.11.) tametſi prauæ ſunt diſplicẽtibus,adhuc ſibi corporibus mutandæ non ſunt,quin nec per ſummã ſanitatem ſemper id tentandũ, ſed tunc cũ is cui mutãdę ſunt à ciuilibus curis vacat &c.]Legãtur,quę li.9.dę methodis c.4.idẽ narrat,de adoleſcẽte,qui per triginta dies exercitationẽ,cui aſſueuerat,omiſerat.

Longior ſim,ſi adferam quæ Galenus li.de conſuetudinibus c.3.diſputat de vi conſuetudinis , ex alteratione externa,cap.4.de conſuetudine exercitiorum corporis, & animi. Quare à Medicorum theoriis, ad Poëtarum amœnitatem animi causâ tranſgrediamur:non enim Medici ſolùm rigeſcere & emolleſcere noſtra corpora conſuetudine , vsúque contra genitalium , nataliúmque ſyderum vim viderunt , ſed Poëtæ quoque experti ſunt , à quibus diſcere poterant Aſtrologi conſuetudinis vim : nam Ouidius 3.libro de Ponto:

Hoc quoque Naſo feres,etenim maiora tuliſti,
Iam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.

Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
Subtrahit & virgo colla nouella iugo.
Nos, quibus aſſueuit fatum crudeliter vti,
Ad mala iam pridem non ſumus vlla rudes.

Idem libro 3. de Triſtibus:

Quiq; fugax rerum, ſecuraq; in otia natus,
Mollis, & impatiens antè laboris eram.
Vltima nunc patior, nec me mare portubus orbum,
Perdere diuerſæ nec potuêre viæ.
Suffecitq; malis animus, nam corpus ab illo
Accepit vires, vixq; ferenda tulit.

Idem libro 5. de Triſtibus:

Pone metum, valeo, corpuſq;, quod antè laborum
Impatiens nobis, inualidumq; fuit,
Sufficit, atque ipſo vexatum induruit vſu.
An magis infirmo non vacat eſſe mihi.

Idem libro 4. de Triſtibus:

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore ſæuorum compeſcitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet:
Quæq; ſui iuſſis obtemperat Inda magiſtri
Bellua, ſeruitium tempore victa ſubit.
Tempore vt extentis tumeat facit vua racemis,
Vixq; merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & incanas ſemen producit ariſtas,
Et ne ſint triſti poma ſapore facit.
Hoc dentem tenuat terram renouantis aratri,
Hoc rigidas ſilices, & adamanta terit.
Hoc etiam ſæuas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctum, mœſtaq; corda leuat.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas,
Præterquam curas attenuare meas.

Idem libro 4. de Ponto:

Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus vſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Idem libro primo de Arte amandi:

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus vſu,
Interit aſſidua vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

Quæ exempla deſumpta ſunt ex Lucretio, libro primo de natura rerum.

Quin etiam (inquit) *multum Solis redeuntibus annis,*
Annulus in digito ſubter tenuatur habendo,

Stillicidij

Stillicidij caſus lapidem cauat, vncus aratri
Ferreus occulto decreſcit vomer in aruis.

Idem lib. 2.

Nam leuiter quamuis quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit,
Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris longo in ſpatio perfodere ſaxa?

Quid Propertius noſter libro ſecundo?

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Mox venit aſſueto, mollis ad arua iugo.

Claudianus quoque libro ſecundo in Ruffinum:

—Iam nulli, inquit, flebile damnum,
Sed virtus ſolemnis erat, campúſque furori
Expoſitus ſenſúmque mali detraxerat vſus.

Hinc tandem ſapienter Marcus Tullius libro ſecundo, de diuinatione: [Illudne (inquit) dubium eſt, quin multi cùm ita nati eſſent, vt quædam contra naturam deprauata haberent, reſtituerentur, & corrigerentur à natura, cùm ſe ipſa reuocaſſet, aut arte, aut medicina? aut quorum linguæ ſic adhærerent, vt loqui non poſſent, ea ſcalpello reſectæ liberarentur? Multi etiam naturæ vitium meditatione, atque exercitatione ſuſtulerunt, vt Demoſthenem ſcribit Phalereus, cùm Rho dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſſime diceret.]

At cuius tandem horoſcopi tanta lux eſſe poteſt, qua Aſtrologi præuideant aliquando, quibus de cauſis, quo auctore, cuius ſuaſu, quo conſilio, qua occaſione, quo caſu, quo incitamento, cuius imperio, aut vi, qua ſpe, quo metu, conſuetudinem aliquam quis ſit ſuſcepturus in victu, in exercitatione, in ſtudiis, in otio, in ſomno, in vigilia, in veſtitu, in medicinis, in ceſſatione, & in iis omnibus, quæ in humanam vitam cadunt, aut cadere poſſunt: nimirum quantum ſibi arrogant, qui hæc omnia in ſtellis inſpicere ſe poſſe confidunt? ſupra humanas vires ſpondent, qui tot rerum præſenſionem nobis pollicentur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Medicamentorum vim, & Medicorum peritiam cum aſtris pugnare.

QVID ergo medicamentorum vim, aut Medicorum peritiam commemorem? quàm multa pharmacis vitia temperamentorum corriguntur? reſecantur exuperantiæ, replentur inanitates, debilia corroborantur, effræna cohibentur; fouetur memoriæ domicilium, vegetantur ſenſus, corpus tandem animo tanquam equus indomitus, facilior, promptior, aptior redditur. Quoties impendentes morbos ſeduli Medici auertunt? quoties vitioſum corporis habitum emendant in melius? quoties oppreſſas morbo vires ſubleuant? quoties lapſas confirmant? quoties prope fugientem animum remorantur ac ſuſtinent? adeò eorum opera illuſtris aliquando fuit, vt mortuos etiam

Digitized by Google

ad vitam reuocatos Antiqui exiſtimarint, vt refert Plinius libro ſeptimo, capite ſeptimo. Non quòd vita functos reddiderint luci, ſed quòd morti proximos & letho adiudicatos, atque etiam quoſdam, qui mortui putabantur, cùm non eſſent, ſanitati reddiderunt. Quo in genere ſcribit Cornelius Celſus libro ſecundo, cap. 6. Aſclepiadem celebrem Medicum, cùm in funus incidiſſet cuiuſdam, quem imperiti nonnulli Medici extinctum putabant, & intellexiſſet eum viuere qui efferebatur, à ſepultura ad lectum reuocaſſe. Ab aliis claris Medicis ſcribit Apuleius libro quarto Floridorũ, ſæpe animam in corporis latibulis deliteſcentem medicamentis prouocatam fuiſſe: ſed hæc alij viderint. Nos oſtendamus, medicamentorum vi, naturale temperamentum quod è natalitiis, vel genitalibus ſtellis hauſimus, ſi tamen hauſimus, commutari ſolere, adeò frequenter vt Aſtrologi, ne corporis quidem conſtitutionem, & habitum è ſtellis, quantalibet arte polleant, cognoſcere poſſint.

Quamcumque temperiem, quam ex vtero materno corpus humanum tulerit, medicamentis corrigi, & aliò conuerti poſſe ambigit nemo. Hinc Galenus lib. 7. Methodi, cap. 10. [Calida (inquit) intemperies refrigeranda eſt, frigida verò calefacienda: ſimiliter humida ſiccanda, & ſicca humectanda. Quòd ſi per copulationem aliquam duarum qualitatum intemperies conſiſtat, miſcenda amborum conſilia ſunt: ac quæ humida, calidáque, ſiccanda & refrigeranda, quæ verò humida, & frigida, ſiccanda, & calefacienda; ad eumdem modum, ſicca, & frigida humectanda, & calefacienda, ſicca verò, & frigida humectanda, & refrigeranda. Scire autem licet harum omnium potiſſimum eſſe, inter ſimplices ſiccam, inter compoſitas ſiccam & frigidam.

Idem lib. 3. de temperamentis, cap. 3. [Illud fortaſſe (inquit) diſſonare videbitur, quod ex iis, quæ vt nutrimentum comeduntur, aliqua cuti impoſita, hanc erodunt, atque exulcerant, ſicuti ſinapi, muria, allia, cæpæ. Verùm hæc quoque cum poſitis à principio hypotheſibus concordant: etenim fit, propterea quòd mutantur, alterantúrque, dum & in ventre coquuntur, & in venis in ſanguinem vertuntur, propterea quòd vno loco non permanent, ſed in multas partes diuiſa quoquo versùs feruntur: adde & quòd non ſolùm multis ſuccis miſcētur, ſed etiam cibis, cum quibus ſumuntur. Adhæc, quòd celeriter eorum concoctio, & partium ſeparatio conficitur, ita vt quod conueniens in eis eſt, aſſimiletur; quod ſuperuacaneum eſt acre, per aluum, vrinam, & ſudores excernatur. Propter hæc inquam omnia, quod foris impoſitum exulcerat, id comeſtum non exulcerat: & ſi vnum quodlibet iſtorum illis accederet, ſatis eſſet ad ea, quæ foris ſunt integra conſeruãda: verbi gratia, mutatio ipſa prima, ſi namque non maneat ſinapi, quale extrinſecus fuit, cùm eſt aſſumptum, manifeſtum eſt, nec vim eius manere, quod ſi tum dirimuntur eius partes, tum ſparguntur, multò vtique magis ſic cenſendum eſt. Iam ſatis erat, quòd non eodem loco remaneret, cùm nec circa cutem aliquid efficere poſſe videatur, niſi diutius immoretur, ſed nec mixtio ipſa, cum multis cibis parum momenti habet; ſi enim id citra alium cibum ſolum aſſumas, facilè intelliges quantum moleſtiæ, & mordicationis ventriculo afferat incommodi. Cùm igitur prædictorum vnumquodque per ſe ſatis prohibere poſſit, quominus ſinapi, quod foris facit in cute, idem facere intus poſſit, multò arbitror magis, vbi omnia ſimul conueniunt: nam & coquendo alteratur, & ſecernitur, & expurgatur, & cum multis aliis miſcetur, & varie diſtributum in omnem partem fertur, nec in vlla

moratur

moratur, quod autem ſi acrimoniam ſuam ſeruaret interna quoque omnino exulceraret, cum iis, quæ ſponte accidunt vlceribus intelliges: gignitur enim non rarò aliis ex vitioſo cibo, aliis ex quapiam in ipſo corpore corruptela, & putredine, viſcoſus ſuccus, quam cacochymiam vocant: his aliquando interiorum quoque aliquid exulceratur: magna tamen ex parte cutis, quoniam in hanc excrementa, quæ habitu corporis colliguntur, natura expellit multis, & aſſiduis vlceribus,afficitur,quippe cancri, phagedænæ,herpetes,erodentes, carbunculi, multæque aliæ vlcerum generationes,ab huiuſmodi cacochymia naſcuntur. Nec igitur talium quidpiam eſt dubitandum, ſed nec cur medicamentorum nonnulla cum nihil nos extrinſecus offendant intrò aſſumpta, magnum adferant malum, alia rurſus intrò aſſumpta aliquando lædant, nonnunquam conferant, aliqua non ſolùm intrò aſſumpta, ſed etiam extrinſecùs applicata offendant, quippe vt ſemel dicam nihil foris, intúſque parem agendi facultatem habet,neque enim, aut viperæ venenum,aut rabidi canis ſpuma, aut aſpidis virus (quæ tamen ſi extrinſecus corpori occurrant offendere creduntur) parem vim habent,vel ſoli cuti applicata,vel intrò aſſumpta; ſed nec illud eſt mirandum, ſi cæterorum medicamentorum vis ad profundum non peruenit, neque enim neceſſe eſt, vt omnia parem habeant vim, quòd ſi ex iis, quæ initio ſumuntur non pauca certo tempore, & certa quantitate, & in mixtura cum cæteris accepta conferunt, intempeſtiuè autem, & largiùs, nec cum aliis admiſta lædunt, ne id quidem dubitationem vllam diſputationi pariat, ſi quidem id tum cibis, tum igni, tum verò omnibus, vt ſic dicam, quæ corpori occurrunt accidere ſolet: nam & mediocris nobis flamma nonnunquam opus eſt, eáque vſi plurimum ex ea iuuamur, cùm tamen immodica flamma nos vrat; ad eundem modum & frigida potio, quæ mediocris eſt, confert,quæ immodica eſt, maximam adfert læſionem.]

Quàm multa de ratione ſiccitatis & humoris ſuperflui, emendanda tradit Galenus libro tertio de ſanitate tuenda,capite duodecimo,de regendis corporibus, quæ calidiorem naturam ſortita ſunt libro ſexto eiuſdem operis, capite tertio,de fouendo corpore,natura frigidiore,capite 4.de laſſitudine emendanda, libro tertio, capite octauo, de corporibus lapſis reuocandis, libro quinto, capite ſecundo,de gracilitate,aut procuranda,aut tollenda,libro ſexto, cap.18. de totius corporis optimo habitu reſtituendo, libro ſexto,capite 13. Hæc quidem generatim ſingula præterea membra libro ſeptimo de Methodis, capite 5. Idem Galenus docet medicamentorum vi alterari, & huc illúcque inflecti. [Quoniam(inquit)vnaquæque animalis particula propriam actionem edit,qua tantùm ab aliarum actionibus differt,quantùm ipſa particula ab aliis,quę illas edunt eſt diuerſa, qui tueri actionem vult, hic temperamentū earum cuſtodiat oportet, cuſtodiet autem, ſi id, quod ad calidius eſt conuerſum, refrigerabit, quod ad frigidius eſt inclinatum calefaciet. Pari modo, ſi quod ad ſiccius eſt alteratum,humectabit,& quod ad humentius eſt verſum ſiccabit.Rurſus quoque ſi ſiccabit,ac calefaciet,quod humidum eſt redditum, ac frigidum ſiccabit pariter, & refrigerabit, quod humidius ſimul, & calidius euaſit, & in reliquis duabus coniugationibus ad portionem; ſemper enim pro eo quod exuperat inducendum eſt euſque contrarium, quoad particulam in ſymmetriam vendicauerimus.]

[Nihil attinet referre,quæ de temperanda ventriculi nimis calida vel nimis

Digitized by Google

frigida complexione ſcribit Galenus tum lib.7. de Methodis,c.4.5.6.7.8.9,10. tum lib.6.de ſanitate tuenda,c.10.de educendis humoribus,qui ventriculũ afficiunt lib.7.de Methodis, cap.11.12. & 13. de cuſtodiendis iis qui renum calculo laborant,lib.6. de ſanitate tuenda, cap.11. de inhibenda capitis effluxione ibidem cap. 9. 12. 13. de curandis iecinoris affectionibus lib. 8. de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos cap.7. lib. 5. de locis affectis, cap.7. de humoribus cerebrum infeſtantibus arcendis,lib. 3. de locis affectis,cap.7. de memoriæ & rationis curatione, libro tertio eiuſdem tituli, capite quinto, de cephalæa, capite 9, de apoplexia, & neruorum reſolutione, libro tertio,de locis affectis, capite ſexto & decimo,de affectibus oculorum,aurium, linguæ, lib.4. capite 2. libro 5. capite 5. de medulla ſpinali, libro 4. capite 3. & 4. de cordis & pericardij cura,libro 5,cap.2. de ſanando thorace, libro item quinto, cap. 5. de inteſtinis,lib.6. cap.2.de veſica, cap.4. Sed præterire non debeo quæ idem lib.9. c.2. de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos habet. [Ex horum(inquit)genere eſt lien qui ex hepate veluti fæcem ſanguinis trahit,quemadmodum veſica ex hepate bilem,& renes vrinam ; ſi igitur præ imbecillitate huiuſmodi ſanguinem ad ſe trahere non poteſt vitioſus humor vniuerſo corpori affricatur;ob id naturalem ipſius firmitatem cuſtodire oportere,quo conueniens ſibi alimentum trahat per quam actionem vniuerſo corpori ad humorum bonitatem confert; & generata in ipſo recrementa in ventrem dimittere poteſt vnà cum ciborum recrementis excernenda, ea gratia valde amara medicamenta illi offerimus, quædamque ipſis ex auſteris miſcemus, quædam verò ad materiã commoda, ad cæterorũ videlicet malagmatũ, præparationem apponimus;quale pharmacum eſt cera,reſina,pix,bitumen,& quæcumque alia huiuſmodi;iuxta primam autem rationẽ,& acetũ & mulſum miſceri commoda ſunt vt pote ſiccare,& attenuare craſſos humores potentia citra calefactionẽ.]

Rurſus lib.6.de locis affectis. [Cùm ſplen (inquit) multa habeat accidentia cum hepate cõmunia,illa nulla re differre videntur, niſi quòd quædam magis, quędã verò minùs alterutro euenire ſolent:nam quod ad caloris rationem pertinet,vniuerſum corpus,vt ſplen imbecillitate affectus eſt,magis nigreſcere videtur:nam hoc ei natura officium dedit,vt melancholicũ ſanguinem ex hepate ad ſe trahat, quo ipſum ali deſtinatum eſt ; igitur attrahendi facultate illi facta imbecilliori,ſanguis in vniuerſum corpus impurus tranſmittitur;quo circa color nigrior euadit, quinetiam hepatis exemplo ſæpenumero excrementa ex ſe reijcit,ita vt & vomitione,cui nauſea quoque accedit, melãcholicũ ſanguinem aliquando excernat,qui interdũ per inferiora quoque decidere videtur,ac citra huiuſmodi euacuationẽ athymias,id eſt,animi defectiones,& dithymias,id eſt, mœſtitias melãcholicas facit:agnonnunquã ciborũ vehemẽtiſſimas appetitiones,pręcipuè quãdo exquiſitè acetoſũ eſt,id quod ad vẽtrẽ fertur excrementũ.]

[Non ſolùm immutare poſſunt medicamenta, tum totius corporis,tum ſingulorum membrorum temperamentum,ſed planè etiam diſſolnere. Quare Galenus lib,3. de medicamentorum facultatibus,capite 18.& 19,contendit medicaméta frigida ſolùm quantitate interimere;quin etiam lib.3.de temperamentis, cap.3. quædam eſſe medicamenta tradit, quæ corpus ipſum erodant & abſumant,& lib.3.de ſimplicium medicamentorũ facultatibus,cap.21.[Quoniam (inquit) de iis etiam medicamentis,quæ eroſione,ac putredine interimere ſunt nata,dicturum me, quod tempore pernicioſiora reddantur, & ipſo genere naturam

turam noſtram corrumpere poſſint, non vt refrigerantia dumtaxat, multitudine, ſum pollicitus, tempus eſt nunc promiſſis ſatisfacere.]

Iterum capite 22.[Cæterùm(inquit)quæ nos contactu,aut per putredinem, aut per eroſionem, interficiunt, ea quidem recta ratione humanæ naturæ deleteria exiſtimanda ſunt, toto genere: nam vt frigefacientia dumtaxat quantitate,&c.]Tanta cùm ſit medicamentorum vis, in vtramque partem à Medicis potiùs,quam ab aſtris repetendam eſſe, humani corporis conſtitutionem nemo non videt: hi enim medicamenta tractant, & pro peritia, aut imperitia,pro vſu, aut inſolentia,pro timiditate, aut audacia: in contrarias habitudines noſtra corpora conuertunt,& ab eo temperamento deiiciunt,quod à natiuitate obtinuerunt. Quare Galenus libro 4. Methodi, capite 4. cùm ſalutarem in primis eſſe emiſſionem ſanguinis, vſque ad animi deliquium docuiſſet:in tempore factam;idque certiſſimis experimentis comprobaſſet. [Ex ſanguinis(inquit)emiſſione,quam vſque ad animi defectum faciendam paulò antè diximus,non paruum ſubſequetur incommodum,niſi opportuno tempore,aut debita menſura fiat: duos namque in ipſis Medicorum manibus perire vidi,qui poſtquam animo linquerentur, nuſquam reuixerunt; multi verò etſi non protinus, at poſtea propter virtutis infirmitatem perierunt, quos ſi quis citra reſolutionem euacuaſſet, minimè periiſſent:quin etiam alij in morbos inciderunt longos, poſtquam immodica inanitione reſoluta vis naturalis fuit;aliis cùm immodicæ vacuationis noxam reſarcire non potuiſſent, in omne reliquum vitæ tempus, totius corporis temperamentum redditum eſt, frigidius. Quid hîc agunt aſtra?Quidquid illa aſtruunt, deſtruit Medicus; & obtruduntur adhuc Aſtrologicæ prædictiones.At quibus?iis nimirum qui Medicorum ope quotidie tentant,aut hepatis,aut ventriculi, aut renum,aut capitis intemperiem naturalem, caſtigare, aut coërcere.]

Duo ſanè Galenus in Medico requirit;doctrinam, & experientiam, cui alterum deſit,illum graſſari in genus humanum, ſoluere natiuum temperamentum,labefactare noſtra corpora. Faciamus aliquem benignis ortum ſtellis in huiuſmodi Medicum incidere,quid aget cœlum? quò ſe vertet?an repentè ex rudi faciet expertum? an docebit illum ſine magiſtro? an patefaciet ei ſecretiora Medicinæ arcana? cur Medicos potiùs doctrina, & fama inclytos adhibemus, quàm rudes & bardos?Non eſt expertus huiuſmodi ſtellarum vim ille, qui apud Galenum commento primo, in Prognoſticon Hippocratis ægrum incipientem ſudare dimiſit in balneum, tum autem ſudoris copia affluēte Medicinæ tyro gauiſus eſt, tanquam exquiſitè opportunum tempus coniectaſſet; paulò pòſt mortuo ægro à familiaribus tanquam ægrum interemiſſet accuſatus fuit.Deplorat Galenus libro octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite primo Medicorum imperitiam, & tarditatem, qui contraria medicamenta adhibentes multorum temperiem reſoluunt,multóſque interimunt.[Quod ipſum(inquit)vel maximè circa affectiones oris,vētriculi,videre cōtingit, præſertim,cū fuerit inflāmatū:eius enim itémq;iecinoris inflāmationes aſtringentiū cōplexa opus habēt,ſi nāq;per relaxantiū medicationū ductū,citra admixtionē facultatis robur addētis curentur,periculū incurrūt de ipſa vita,atq; hoc ipsū,cū omnes empirici Medici per experiētiā edocti ſint,& omnes dogmatici,in ipſis artis operib.obſeruēt,nō pauci tamē huius tēporis Methodici(neq;enim de omnib.dico)innumeros ſtomachicos in animi

deliquium inducunt,omnes verò hepaticos occidunt: nullum enim ego vidi ſanatum ex his,qui in huiuſmodi Medicum inciderunt.]

Idem libro de præcognitione ad Poſthumum,cap.1. [Si vulgares Medicos (inquit) audiamus, quæ ſingulis morbis euentura ſunt,ægrotantibus præcognoſcere non poſſumus:nam ex quo numerus eorum,qui videri potius, quàm eſſe volunt,non ſolùm in Medicina, ſed in aliis etiam artibus maior eſſe cœpit neglecta ſunt quæ in diſciplinis erant pulcherrima,dataque eſt opera, vt ea dicantur, & fiant quibus vulgi gratiam ineant; & ab eis approbentur; dico autem quibuſuis adulari quotidie, ſalutare, diuites per vrbem comitari,Principes domum reducere, in conuiuiis diſcumbere, atque in eis tum miniſtrare,tum iocos,& facetias ferere; quidam verò non hæc modo faciunt, ſed pretioſo quoque veſtitu,& annulorum ornatu,magnóque ſubſequentium comitatu, & argentea ſpicillorum ſupellectile populo perſuadent, ſe dignos, qui beati,& amabiles ab omnibus habeantur; atque cùm partim illecebris,partim oſtentatione, iudicium illorum,qui res veras iudicare neſciunt, perſtringant; multa vt ipſi putant, bona conſequuntur, vt ego ſentio, veris omiſſis, falſa bona arripiunt: & tales cùm ſint,in cæteris quoque Medicinæ præcepta trãſgrediuntur, qui minimo etiam tempore, ſe doctoros pollicentur: magnum diſcipulorum numerum contrahunt, per quos, plurimum ipſi poſſunt in vrbibus in quibus verſantur.]

[Rurſus libro quinto de ſanitate tuendà, capite 11. Quò magis (inquit) de Medicis omnibus mirari cuipiam licet, quicumque nullo priùs facto naturarum diſcrimine, de ſanitate tuenda ſcribere ſunt aggreſſi, ſicut enim fieri non poteſt,vt vnum calepodium ad omnes homines, ſutor accommodet, ita nec Medicus vnam omnibus vitæ ſpeciem quæ conducat. Hac igitur de cauſa quidam ſaluberrimum eſſe affirmant abundè quotidie exerceri, quidam nihil obſtare, quominus in quiete prorſus degatur, & ſunt quibus lauari maximè ſalutare eſſe videatur, aliis minimè, &c.] Et cap.1.eiuſdem lib.

[Eſt verò illud veluti elementum(inquit)totius artis,quæ valetudinem tuetur,quod numeroſæ ſunt hominum naturæ,prout in confeſſo eſt omnibus tũ Medicis, tum Gymnaſtis, quorum tamen plurimi, ita de valetudine tuenda ſcribunt,quaſi de vno homine agant,idque ne vno quidem oſtenſo quem priùs iuuerint, quamquam non vnum ſed multos, quos morbis priùs aſſiduis implicatos, ipſi poſtea multis annis in ſanitate ſua opera ſeruaſſent, indicaſſe, ac ſic ad ſcribendum acceſſiſſe par erat. At nos ipſis rerum effectis id oſtendimus, & iis qui priùs aſſiduis premebantur morbis, inde adeò quòd ſanitatis præceptis paruiſſent, in omni integritate ſeruatis,ſic demum de ipſis ſcribere ſumus ingreſſi quippe alios exercitari in totum vetuimus, ac ſolis vitæ actionibus contentos eſſe, ſuaſimus, alios de multitudine exercitationum demere aliquid iuſſimus, vt totum ad minimum contraheretur, aliis qualitatem totam,aut ordinem, aut tempus, alios vniuerſam ſpeciem mutare iniunximus. Æquè verò de balneis præcipientes, vtique, quod aut omnino ab his ſuperſedendum eſſet, aut ſæpius quàm antè vtendum,aut rariùs,aut ante cibum tantùm,aut etiam poſt cibum, aut calidioribus, quàm antè,aut magis tepidis,aut frigidioribus,prorſus omnis morbi expertes, multis annis reddimus: at nihil horum facere licuiſſet,ſi neque naturales corporum differẽtias, compertas habuiſſem,neque debitam cuique ſalubrem victus rationem.]

Dupli

Duplici exemplo quantum Medici ſolertia valeat, declarat idem auctor, li.9. de Methodis,c.4.[Duo erant,(inquit)adoleſcentes,alter liber,& palæſtræ peritus,alter ſeruus, haud inexercitatus ille quidem, cæterùm in palæſtra parum vehemens ; prior vbi febricitare prima hora noctis cœpiſſet, poſtridie eum manè circa horam diei tertiam,vidimus, cùm autem inueniſſem febrem admodum calidam , ſed pulſus æquales,maximos,celeres, frequentes , vehementes,tum caloris qualitatem , quæ tactum minimè morderet , iam verò & vrinas, tum craſſitudine , tum colore à naturali habitu , non multùm alienas; audiens prætereà hominem,circiter triginta dies exercitationis conſuetudinē intermiſiſſe,pridie tamen exercitaſſe ſe vehementiùs , cæterùm non multum, ſumpſiſſe autem ſolitos cibos,atque eos concoxiſſe,quamuis tardè & ægrè,vtpote cùm febris veſpere occupaſſet,cùm interim rubicundus plenúſque homo appareret , atque plenitudinis ſenſum ſe percipere diceret, faciente interim quodam eorum,qui aderant, de vena ſecanda mentionem,viſum eſt nobis eius auxilij conſiderationem , in aliud tempus reiicere , ſimul vt certiùs ſciremus cuius generis febris eſſet , ſimul neceſſariò propter eam, quæ præceſſerat euacuationis tarditatem ; cùm autem veſperi ſimilem vigorem, tueri febris eſt viſa,ceu nihil ſenſibiliter remittens,ſuſpicio iam erat ſynochon eſſe, háncque ex obſtructione ſanguinis,& abundantia,præ carnis copia ; & cùm parem magnitudinem febris, per totam noctem ſeruaſſet, poſtero die viſum eſt,Medicis omnibus, qui inuiſerant, ſanguinem eſſe mittendum, diſcordia verò orta de tempore , & vincentibus iis,qui id in ſequentem diem differendum ſuaderent,febris per totam eam diem viſa eſt,ſuum vigorem augere , mox tertia ſequente nocte,alia quidem acceſſio minimè incidit , quæ primæ adportionē reſponderet,erat tamen æſtus ipſe laboranti intolerabilis,vrgebátque eum tētio totius corporis,tum capitis pulſatio , atque ob hæc grauis vigilia,iuuene ſe in aliam , & aliam figuram coartante , atque cùm vltrà ferre non poſſet, hora noctis octaua, mittit ad me miniſtrum,rogátque vt ad ſe omnino veniam:ipſe annuo,atque ab eo,inuenióque febrem calidiſſimam,pulſum qualem prædixi, quoniam autem neque in hac , neque in lotio , neque in ipſa caloris qualitate indicium aliquod humorum putreſcentium apparuit , optimum factu viſum eſt,venam incidere, antequam putredo inciperet;aufero itaque ab homine de induſtria euſque ſanguinem , quoad animo linqueretur,maximum planè vbi valentes vires ſunt , continentis febris remedium , id,quod tum ratione , tum experientia didici : primò namque in contrarium ſtatum agitur corpus,celerrimè ex animi defectu refrigeratum , hoc verò nemo inuenire poteſt , neque quod ipſis ægris, neque quod naturæ,quæ animantes gubernat,iucundius vtiliuſque ſit;poſtea in huiuſmodi corporibus neceſſariò ſuperuenit alui deiectio,nonnumquam etiam bilis vomitus , quas res ſtatim à toto corpore ſudores,madoréſq; excipiunt quæ omnia cùm hîc quoque contigiſſent:protinus febrem extinxerunt , vt quidam ex iis qui aderant, iugulaſſe me febrem per iocum dicerent. Verùm quo narrationem omnem abſoluam,nihil mali erit pauca quædam addidiſſe, poſt duas namque à ſanguinis emiſſione horas , paulum nutrimenti dato , ac iuſſo quieſcere , diſceſsi. Quinta hora reuerſus tam profundo ſomno indormientem inueni , vt tangentem me pulſum , non ſentiret.Cùm verò & miniſtri altum adeò illi ſomnum fuiſſe dicerent,vt nec cùm madores eius abſtergerent,expergiſceretur,ſuaſi ita facerent,eſſe namque

homi

Digitized by Google

hominem iam prorſus à febre liberum; reuerſus autem, & decima rurſus hora, etiam tum dormientem inueni, egreſſus autem iterum, ad alios viſendos ægros, redeo hora prima noctis, non tamen, vt antè tacens, ſed voce de induſtria ſublata, quo ægrum à ſomno excitarem quod cùm ita accidiſſet, vbi ſolo ptiſanæ cremore ipſum nutriui diſceſſi; cuius modum poſtero die iniungens, tertio leuatum dimiſi. Ac quæ ad hunc pertinebāt infirmum, ita ſunt geſta, quę verò ad alterum nunc dicam.

Is cùm toto die multùm laboraſſet, deinde lauatus paucula comediſſet, cœpit nocte febricitare, totum etiam continuans ſequentem diem. Nūc nos poſt ſecundam noctem vidimus, in cæteris quidem omnibus, iam dicto iuueni ſimiliter affectum, verùm putreſcentiam humorum euidentes præbentem notas. Itaque venam huic quoque protinus incidimus, & vſque ad animi defectū euacuauimus; poſt id modico interpoſito ſpatio, cibauimus primo, multa deinde, vna interpoſita hora ptiſanæ cremore, atque hæc omnia, intra quintam acta ſunt horam, cùm autem ſimilis ſibi perſeueraret febris, ſynochon eam fore ex putredine expectauimus; quippe cùm eam ſecunda noctis hora pari magnitudine cerneremus, tertiæ diei acceſſionem, futuráne eſſet, an ſecus diligenter obſeruare volebamus, cuius in ſeptimam horam noctis ſuſpicio erat. Itaque cùm ſummo mane ſuperueniſſem, inueni quod expectaram: nam nec tertiana inciderat acceſſio, febriſque remiſſior paulùm, quàm veſperi erat. Vt autem rurſus hominem meridie vidi, erátque iam certiſſimum, & febrem decreuiſſe, & ſynochon febrem eſſe, ſed aſſiduè decreſceret, ſanius viſum eſt, tunc quoque hominem ſimiliter nutrire; quarta verò exacta nocte, manifeſtè minor quarto die erat, quo rurſus ad eumdem modum, homine cibato, aduertimus tum illo die toto, tum quæ hunc ſecuta eſt, quinta nocte, magnitudinem remittere, ſic vt quinto die, liquidò appareret, minorem eſſe febrem. Itaq; ad portionem minuentis febris, vrinæ quoque concoctio, præceſſerat, erátq; haud obſcurum ſeptima die, quod factum eſt, finiendum. Hanc quoque igitur planè continentē, ex humorum putredine febrem, quæ aſſiduè decreſceret, vidimus.]

Nec minori aut ſolertia, aut diligentia vſus eſt, idem Galenus libro quarto de locis affectis cap. 5. [Cùm viderem hominem, integra valetudine (inquit) huiuſmodi cruorem euomentem, hoc eſt, tenuem & ſaniei ſimilem, interrogaui qua victus ratione antea fuiſſet vſus, ille verò inter alia, quæ narrauit hoc quoque addidit, quòd cùm nocte quadam ſitiret, miſſo puero qui aquam afferret ex immundo fonte bibiſſe, quibus auditis ſciſcitatus ſum apparuiſſentne aliquando ſanguiſugæ in ipſo fonte, qui cùm id quoque fateretur, appoſito ſubinde idoneo pharmaco hirundinem vomitione reiecit: Porro cùm alius quiſpiam huiuſmodi cruorem emungeret & expueret, ipſo narrante, audiui eum rure æſtatis tempore in ſtagno quodam cum cæteris iuuenibus iuuenili ludo, qualem adoleſcentes in aqua ludere ſolent, exercitatum, tunc ego ſciens in huiuſmodi ſtagno ſanguiſugas eſſe, duxi laborantem ad ſplendorem, conuerſoque directè ad Solis radios narium foramine, in eo loco, vbi naſus ad oris regionem perforatur, hirundinis in meatu latentis caudam aſpexi.

Comburamus iam omnes Medicinæ libros, deleamus omnia Medicorum monumenta, omnia decreta ſanè viuendi euellamus, abrogemus certiſſimis quotidianiſq; experimentis fide, condemnemus omnes viros doctiſſimos, & de genere humano optimè meritos, Hippocratē, Galenū, Aſclepiadē, Celſum, aut

igno

ignorantiæ,aut fraudis,aut ſtultitiæ, irrideamus vniuerſum hominum genus, qui in extremo vitæ periculo, Medicorum potiùs, quàm Aſtrologorum operam implorant, eiſque omnes vitæ rationes committunt: fateamur delirare ciuitates, quæ magno propoſito ſtipendio è remotiſſimis etiam regionibus Medicos fama, & arte inclytos conducunt: demus deſipere gymnaſia ſapientiæ, & publicas Academias, in quibus à celeberrimis viris traduntur Medicinæ præcepta? contemnamus Medicos, tanquam vanos, & futiles dicamus errare Philoſophiam,& omnes ſcientias, non habeamus ſenſibus fidem vllam, nobis ipſis non credamus. Nam ſi nobis credimus, ſi ſtat Medicina,ſi Medici pro experimento, pro doctrina, aut quæ natura frigidiora ſunt calefaciunt, aut calidiora caſtigant, aut coërcent redundantia, aut debiliora confirmant, aut caduca ſuſtinent, aut noxia ſubducunt, aut inducunt ſalutaria; vno verbo, ſi ex vno in aliud permutant natale,& ſi Deo placet è ſtellis petitum temperamentum nihil de eo ex aſtris aptè cognoſcere Aſtrologi poſſunt, omnis illa quam Genethliaci profitentur de vniuſcuiuſque temperamento è cœlo hauſta cognitio deperit. Si enim Medici pro peritia, pro ſolertia, pro vſu, nunc reſoluunt, nunc huc, nunc illuc conuertunt naturale temperamentum, omnes Aſtrologiæ prædictiones labaſcunt: quarum vnum eſt fundamentum, vt initio huius operis dicebamus, quòd animi mores ſequantur corporis temperamentum,& corporis temperatio dependeat à natalitiis aſtris.

CAPVT VIGESIMVM.

Caſum non cohærere cum Aſtrologorum præſagijs.

LONGVM eſſet percenſere caſus hominum multiplices,quoſdam fortunatos, alios voluntarios, quibus valetudinis, & temperamenti ratio variatur quàm maximè & quàm frequenter.

Primum quidem, quàm multis mortalium vita expoſita ſit caſibus, docet Horatius Flaccus libro 2.carminum,ode 13.

Quid quiſque vitet,nunquam homini ſatis
Cautum eſt, in horas nauita Boſphorum
Pœnus perhorreſcit, neque vltra
Cæca timet aliunde fata:
Miles ſagittas,& celerem fugam,
Parthi, catenas Parthus,& Italum
Robur, ſed improuiſa lethi
Vis rapuit rapietque gentes.

Innumeris hoc ipſum docere poſſem exemplis,ſed vnum ſit ſatis:nam Octauianus Auguſtus, inſtar omnium eſſe poteſt is qui ad Imperium orbis terrarum peruenit,is de quo Poëta:

Hic vir, hic eſt tibi, quem promitti ſæpius audis,
Auguſtus Cæſar diuûm genus,aurea condet
Sæcula,qui rurſus Latio regnata per arua
Saturno quondam,ſupra Garamantes,& Indos
Proferet imperium.

In Octauio quoque Auguſto (inquit Plinius libro ſeptimo capite quarto) quem vniuerſa mortalitas in hac cenſura nuncupat, ſi diligenter æſtimentur, cuncta magna ſortis humanæ reperiuntur volumina: Repulſa in Magiſterio equitum apud auunculum, & contra voluntatem eius prælatus Lepidus, proſcriptionis inuidia, in collegam, collegium in Triumuiratu peſſimorum ciuium, ne æqua ſaltem portione, ſed prægraui Antonio Philippenſi prælio, morbo, fuga, & triduo in palude latebra ægrotanti: &, vt fatentur, Agrippa, & Mœcænas aqua ſubter cutem fuſa, turgida latera, naufragia, Sicula, & alia, ibi quoque in ſpelunca occultatio, iam in nauali fuga vrgente, hoſtium manu preces Proculeio mortis admotæ, cura Peruſinæ contentionis, ſollicitudo Martis Attiaci, Pannonicique belli ruinæ pontis, tot ſeditiones militum, tot ancipites corporis morbi, ſuſpecta Marcelli nota, pudenda Agrippæ ablegatio, toties petita inſidiis vita, iniuſtæ liberorum mortes, luctúſque non tantùm orbitate triſtes, adulterium filiæ, conſilia patricidæ palàm facta, contumelioſus priuigni Neronis ſeceſſus, aliud neptis adulterium, iuncta deinde tot mala, inopia ſtipendij, rebellio Illyrici, ſeruitiorum deluſus, iuuentutis penuria, peſtilentia vrbis, fames ſitiſque Italiæ, deſtinatio expirandi, & quatridui inedia, maior pars mortis in corpus recepta: iuxta hæc Variana clades & maieſtatis eius fœda ſuggillatio, abdicatio poſthumi Agrippæ poſt adoptionem, deſiderium poſt relegationem, inde ſuſpicio in Fabium, Archanorúmque proditionem. Hinc vxoris, & Tiberij cogitationes ſuprema eius cura, in ſumma Deus ille cœlúmque neſcio adeptus magis, an meritus herede hoſtis ſui filio exceſſit.

Quæ Plinius de Octauiano Auguſto commemorauit refricarunt mihi Publij Ventidij Baſſi Aſculani memoriam, quo haud ſcio, an ex omni vetuſtate proferri poſſit illuſtrius exemplum ludentis fortunæ. Hunc Aſculi in Picæno humili loco natum, Pompeius Strabo Magni Pompeij pater, bello ſociali, quo & Aſculanos ſubegit, vnà cum matre cepit, & ætate adhuc impuberem, in ſinu matris, triumpho ſuo populi Romani oculis ſubiecit, puer adhuc in opulentiſſima vrbe ſordidam paupertatem expertus, poſtremæ fortunæ ſpecimen dedit; vbi adoleuit comparandis mulis, & vehiculis iis, qui in prouincias proficiſcebâtur victum ſibi quæſiuit; quo in quæſtu fortè fortuna Iulio Cæſari in Galliam proficiſcenti innotuit, & à mulionum, ad clariſſimi Imperatoris familiaritatem euectus, ciuili bello, mandata ſibi à Cæſare pleraque impigrè, ac ſtrenuè fecit, proptereáque in ampliſſimum ordinem adlectus eſt, mox Tribunus quoque plebis creatus fuit, deinde præturam etiam accepit, mirantibus ſtabulis, quæ ſæpius emundarat, poſt Cæſaris necem, cum Marco Antonio Reipublicę hoſtis iudicatus, ſed coniunctis poſtea partibus raro fœlicitatis exemplo, non ſolùm priſtinam dignitatẽ recuperauit, ſed etiam Pontificatũ adeptus eſt, vidítq; vrbs Romana ſacrorum cuſtodẽ, quem ſtabulariũ vidit, neque hic fœlicitatis finis, Conſulatũ quoq; obtinuit; enimuerò indignè id populus Romanus tulit, qui Ventidiũ Baſſum meminerat curãdis mulis victitaſſe, nec ferre poterat mulionẽ in ea vrbe Conſulatũ gerere, in qua M. Cato, Cęcilius, Metellus, Æmilius Paulus, repulſam paſſi ſunt, quare per vias vrbis verſiculi proſcripti ſunt.

Concurrite omnes Augures, Aruſpices,
Portentum, inuſitatum, conflatum eſt, recens;
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.

Aliud

Aliud maius portentum Romanorum oculis ſubiecit fortuna, ille Ventidius, qui inter viliſſima mancipia in triumpho à Pompeio Strabone ductus fuerat ex Parthis,quos tribus prælijs fudit,triumphum duxit ampliſſimum, & in ſublimi curru triumphantem Romani ſpectarunt,quem in maternis vlnis captiuum ante Strabonis currum conſpexerant:tandem vita functus,publico funere clatus eſt,Pompeij Magni cadauere,in Ægypti littore, marcidis piſcatoriæ nauiculæ reliquiis exuſto.

Quæ poteſt eſſe in tanta rerum inconſtantia,conſtans & ſemper eadem corporis temperatio?quis neget in tanta viciſſitudine vices temperamenti?Æneus ille ſit oportet,qui tantis motibus non frangitur, mutari non poteſt,ſi in tantis mutationibus humani corporis conſtitutio non mutatur.

Deinde verò permagnam eſſe vim huiuſmodi rerum, quæ caſu & fortuna agitantur, ad commouendam corporis conſtitutionem, declarant turbidi animi motus, quos concitare ſolent. [Sunt porrò (inquit Galenus libro 12. Methodi,cap.5.) affectus animi,timor ſubitus & vehemens, præterea quæ contraria huic timori eſt voluptas maxima: ſcimus enim malorum occaſione periiſſe quoſdam. Iam reliqui quoque magni timores quoſdam, & cum his maximè voluptas, etſi non pullulat, at certè facilè reſolubilem infirmúmque ſpiritum reddunt,triſtitias verò & anxietates,& ira,& cura,eo genere ſunt noxiæ, quo frequentes vigiliæ,quoniam vires reſoluunt.]

Rurſus, libro 3. de locis affectis capite 7. [Etenim ſummis tum Medicis tum Philoſophis in confeſſo eſt, humores,& omnino corporis temperaturam, animæ actiones inalterare.] Et lib.5.eiuſdẽ operis,capite primo. [Mori(inquit) contingit nonnullos vehementi dolore,& timore graui,& voluptate maxima. Iterum, [Quibus vitale robur infirmum eſt, animi verò affectiones ob imperitiam fortes, his animæ eſſentia facilè diſſolui poteſt,atque aliqui ob mœſtitiam perierunt; ſed non illico.] Iterum libro de paruæ pilæ exercitatione, capite primo, [Tantum(inquit)in ipſa poteſt motio animæ, vt multi præ ſola lætitia morbos euaſerint,multi etiam præ mœrore ægrotauerint,neque vlla tam vehemens eſt corporis paſſio , vt affectiones animi vincat ; non igitur parui pendere oportet, huius mutationes, qualéſnam ſint, immo verò longè magis, quàm corporis motus obſeruare,tum aliis de cauſis,tum quòd corpore dignior ſit anima.] Item libello de incantatione, cap.1. (ſi tamen eſt Galeni.) [Ex timore (inquit) triſtitia, lætitia, ſtupore, non ſolùm corpus in colore mutatur, ſed etiam in multis aliis rebus, vt in ventris ſolutione, ſiue conſtipatione,vel nimia defectione: ego autem vidi iſta ſanitatis,& diuturnarum paſſionum fuiſſe cauſas, maximè illarum, quæ corruptiones ſunt mentium, in ſanis autem fuere infirmitatis cauſæ hæc eadem : Vnde Socrates, incantationes inquit, verba ſunt, decipientia, rationales animas, ſecundùm ſpei aut ſecundùm timoris incenſionem. Libro præterea 2.de criſibus,cap.13. [Hæc (inquit) communia ſigna ſunt omnium febrium ephemerarum, propria verò ſingulis, quæ à me dicta ſunt, etiam in primo libro, artis curatiuæ , ad Glauconem, nunc verò inchoabo ſermonem ab affectibus animæ, à cura, à timore, ab ira, triſtitia, ſiquidem remanentibus adhuc animi affectibus conſideratio fiat, ex pulſibus maximè tentandum eſt facere dignotionem, quemadmodum in libris de pulſibus ſcriptum eſt: poſt autem etiam ex aliis inueſtigandum; quòd ſi illi quidem affectus ſedati fuerint, diſpoſitio verò re-

S 2 manſerit,

Digitized by Google

manſerit, debile quidem & hic in pulſibus iudicium inuenies illarum, quæ
febrem anteceſſerunt paſſionum, tibi etiam ſine pulſibus reliqua omnia ſuffi-
cient, communiter enim omnibus vrinæ rufiores, adeſt autem iis, qui ob triſti-
tiam febricitát, acritudo potiùs, quàm multitudo caloris, ſicuti iis, qui ob iram,
contrario modo, ſed & ſanitas corporis in iis, qui triſtitia, quàm in iis, qui co-
gitationibus vexati ſunt, manifeſtius apparet & oculorũ cócauitas, & quædam
inſolita decoloratio, & hæc quidẽ cómunia ſunt etiam aliorum, qui quacumq;
ratione cogitationibus impliciti ſunt, iudicia, ſed præcipuè ex oculis ſunt co-
gnoſcendi, licèt enim ex his etiam in ſanis animi affectum coniicere, in ægris
autem manifeſtiſſima ſigna ſunt ei, qui inſpiciendi habet facultatem: ſi qui-
dem illos, qui propter diſciplinarum, aut propter meditationem aliquam co-
gitauerunt, ab iis, quos triſtitia corripuit, diſcernere oportet, eos autem qui ni-
miùm vigilarunt diſtinguit, decolorationis modus: nam ſubhumida ipſis facies
eſt, & oculorum motus manifeſti: vix enim attollunt palpebras. Ita cùm pẽdeat
corporis conſtitutio, ab animorum conſtitutione, & ea quæ caſu, & fortuna in
hominum vitam quotidie veniunt, nunc debilitare metu, nunc liquefacere
futili lætitia nunc vrere deſiderio, nunc affligere moleſtiis, nunc inflammare
odio, nunc iracundia incendere, nos ſoleant; quis non videat, quantùm corpo-
ris conſtitutio, & ſtatus pendeat à quotidianis caſibus, & fortuitis euentis? At
cuius horoſcopi tanta lux eſſe poteſt, vt non dico rariores, ſed propè quoti-
dianos, neque hos omnes, ſed paulò frequentiores, non multorum, ſed vnius
hominis caſus demonſtrare poſſit vt mihi quidem facilius videatur eſſe, fron-
dium, fluctuum, arenarum, atomorum numerum inire, quàm tot caſus tam
varios, tam inopinatos, tam inexcogitabiles, tam præter omnium hominum
opinionem in calculum vocare? Diſertiſſima M. Tullij Ciceronis libro ſecun-
do de diuinatione, de hac re diſputatio merita eſt: vt hoc loco deſcribatur.
[Poteſt ne (inquit) earum rerum, quæ nihil habent rationis, quare futuræ
ſint, vlla eſſe præſenſio? quid eſt enim aliud ſors, quid fortuna, quid caſus,
quid euentus, niſi cùm ſic aliquid cecidit, ſic euenit, vt vel non cadere, vel
non euenire, vel aliter cadere, atque euenire potuerit? quomodo ergo id,
quod temere fit cæco caſu, & volubilitate fortunæ præſentiri & prædici po-
teſt? Infrà: [Quî poteſt prouideri quidquam futurum eſſe, quod neque cau-
ſam habet vllam, neque notam cur futurum ſit? Solis defectiones, itémque
Lunæ prædicuntur in multos annos ab iis, qui ſyderum curſus & motus nu-
meris perſequuntur: ea enim prædicunt, quæ naturæ neceſſitas perfectura
eſt. Vident ex conſtantiſſimo motu Lunæ, quando illa è regione Solis fa-
cta incurrit in vmbram terræ, quæ eſt meta noctis, vt eam obſcurari neceſſe
ſit: quandoque eadem Luna ſubiecta Soli, atque oppoſita noſtris oculis, eius
lumen obſcuret: quo in ſigno quæque errantium ſtellarum, quoque tempo-
re futura ſit, qui exortus quoque die ſigni alicuius, aut qui occaſus futurus
ſit. Hæc qui antè dicunt, quam rationem ſequantur, vides. Qui theſaurum
inuenturum, aut hæreditatem venturam dicunt, quid ſequuntur? aut in qua
rerum natura ineſt, id futurum? quòd ſi ea, quæ ſunt eiuſdem generis, habent
aliquam talem neceſſitatem, quid eſt tandem quod caſu fieri, aut forte fortu-
na putemus?]

Quid enim eſt turpius, quàm ſortis, & caſus è cœlo ducere rationes? quæ ſi
rationem haberét, non eſſent neque ſors, neque caſus. Quare, aut non intelli-

gimus,

gimus adhuc quid temere,& cæco caſu fiat:aut ea,quæ caſu eueniunt,aſtrorum fatali neceſſitate ſoluta,& libera exiſtimamus.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Vitia,quæ obſunt valetudini,obſtare ſtellarum propenſionibus.

QVID de vitiis dicam? quibus, vt nihil voluntarium magis, ita à ſyderali neceſſitate nihil magis liberum, ac ſolutum. Non negabunt, opinor, Genethliaci illa officere plurimùm corporis incolumitati. Siquidem Hippocrates libro de flatibus,multipliciter eos,qui gulæ indulgent, docet peccare in ſanitatem. [Primum quidem (inquit) cùm quis plures cibos liquidos,aut ſiccos ingerit in corpus,quàm vt ipſum corpus ferre queat, neque laborem ſaltem aliquem ciborum multitudini adiungit, deinde cùm varios,& diſſimiles inter ſe cibos aſſumit:ſeditionem enim mouent,quæ ſunt diſſimilia, aliáque citiùs,aliáque difficiliùs coquuntur.] Et libro 1. Aphoriſmorum,aphoriſm. 14. [Cibus varius morbos generat:turbulenta enim,& inæqualis eſt eius concoctio.] Quò ſine dubio ſpectauit Quintus Horatius libro 2. Satyra 2. ſcribens:

——————— At ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent ſtomachoq; tumultum
Lenta feret pituita. Vides,vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia?

Sed lectiſſima ſunt,& digna, quæ hoc loco ponantur, quæ idem Hippocrates libro eodem de flatibus,ſcribit: [Quando igitur corpus cibis(inquit)expletum eſt, ac ſpiritus quoque multitudo vehementer excellit, dum cibi in ventre diu immorantur, & inferior venter, vel aluus ipſa ſit obturata, per vniuerſum corpus permeant flatus, ſanguineque plenas corporis partes, maximè patentes frigefaciunt, frigefactis autem his locis,vnde fontes, & radices ſanguinis prodeunt, per vniuerſum corpus horror conſequitur: vniuerſo autem ſanguine frigefacto, totum corpus horret. Quæ ratio eſt,cur primùm horrores ante febres corpus concutiant,quantóque maiore impetu multitudinis,& frigiditatis ipſi flatus præcelluerint, tanto maior ſit horror, & à pluribus videlicet, & frigidioribus fortior, à paucioribus, & minùs frigidis minùs fortes,cum horroribus & tumores corporis accidunt.]

Non recenſebo verba, quibus docet, nimio cibo præfocari naturalem calorem. Eos, quorum vita ſagina eſt, nec diu, nec ſanè viuere. Legimus apud Cœlium Rhodiginum libro 13. variarum lectionum, cap. 25. morbo articulari,& podagra laborantes, bonorum proſcriptione ad ſimplicem, tenuémque vitam redactos conualuiſſe.

Veneris porrò vſu corporis robur imminui quis ignorat? Id intellexerunt priſci athletæ, quorum multi ab hoc ludibrio penitùs abſtinuerunt, quos nominat Plato libro 8. de legibus. Intelligunt & Turcæ luctatores hodie, qui tuendarum virium ſtudio Veneris omnem vſum fugiunt: cuius rei cauſam reddit Medicinæ magiſter Hippocrates libro de genitura: [Quia id, quod

Digitized by Google

Venere excernitur, robuſtiſſimum quid eſt.] Et libro 4. de morbis: [Non minima, (inquit) nec debilis pars Venere excernitur.] Et Ariſtoteles ſect. 4. problemate 6. quærenti cur maxime animantium omnium homo poſt concubitum langueſcat, & diſſoluatur? reſpondet, proportione ſui corporis plurimum emittere ſeminis. Video equidem non ſatis conſtitutum eſſe apud Medicos ſitne omnis vſus Veneris corporis noxius, an immoderatus ſolum: nam referunt Aulus Gellius libro 19. cap. 2. Macrobius libro 2. Saturnalium ſub finem, auream Hippocratis ſententiam, coitum partem eſſe morbi teterrimi, quem noſtri comitialem dixerunt: quam ſententiam dignam per thalamos omnes ſcribi. Clemens Alexandrinus libro 2. Pædagogi, cap. 10. Democriti auctoritate confirmat: & Galenus libro 3. Epidemiorum, commento 1. textu 4. Sabini teſtimonio tradit: Theophraſtus libro 2. de cauſis plantarum, animalia fœcunda citiſſimè ſeneſcere ſcribit: Hippocrates lib. Epidemiorum, lect. 6. eos, qui caſti ſunt, diutiùs ait viuere. Nec Iulius Cæſar Scaliger exercitatione 169. aduerſus Cardanū, eorum probat iudicium, qui exiſtimant retentum ſemen prohibere concoctionem, augere melancholiam, propterea quod exonerari ſolet natura, vbi oppreſſa eſt, per ſomnia, & vigilantibus defluere poſſit ſine ſenſu, quando redundat; ſed quomodocumque ſe res habeat, luxuriæ vitium valetudini valdè pernicioſum eſſe in confeſſo eſt apud omnes; vitia verò voluntaria eſſe, & à ſyderum poteſtate aliena, Genethliaci etiam profitentur: velint ergo, nolint, neceſſe eſt corporis conſtitutionem non pendere à cælo, ſed à multis præterea cauſis, nec de eo quidquam ex aſtris illis conſtare poſſe.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Prouidentiam diuinam eludunt Aſtrologorum prædicta.

NON vitia modò, ſed etiam vitiorum pœnæ ſolent corporis temperationem afficere: peſtilentias enim, ægritudines, morbos, Dei Optimi Maximi de noſtris ſceleribus iuſtam pœnam ſumentis ira immitti ſolitos, non modò diuinis monumentis traditum eſt, ſed etiam Gentilium hiſtoriis proditum, Poëtarum carminibus decantatum, Philoſophorum diſertiſſimis diſputationibus ſtabilitum, omnium gentium conſenſu receptum. Horatius libro 3. Ode 6.

Dij multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſa.

Et infrà:

Fœcunda culpæ ſæcula nuptias
Primùm inquinauere & genus, & domos,
Hoc fonte deriuata clades,
In patriam, populumq́; fluxit.

Quos autem caduceatores Aſtrologi ad diuinam prouidentiam delegabunt, quæ cum fatali ſyderum neceſſitate implacabile bellum ſemper geſſit? aut quo ſequeſtro vtentur Dei Opt. Max. liberrimi motus, qui rerum momenta nunc huc, nunc illuc conuertunt, naturalis aſtrorum vis in vnam partem determinata eſt; & quamuis eludi poſſit, non poteſt tamen in contrarium flecti? Non

confugient, opinor, Genethliaci ad vulgarem cantilenam, vtplurimùm aſtra ſuos ſortiri effectus, ſeque, ſi non perpetuò, vtplurimùm ſaltem vera præſagire: Dei enim prouidentia, quæ pugnat cum aſtrorum vi, & niſu, non vtplurimùm, ſed ſemper finem ſuum aſſequitur, nec quædam aſtrorum adminiſtrationi concedit, alia ſibi ſeponit, ſed attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter; nihil mundo toto euenit, quod Dei conſilio non eueniat, quod eius effugiat imperium. Nulla ergo poteſt eſſe alia aſtrorum vis, quàm generalis quidam influxus, ex quo nihil certum, & ſingulare, aut definitum eſſe, vel cognoſci poſſit.

Denique, ne quis reliquus fiat Chriſtianis dubitandi locus de Aſtrologorum mendaciis; plerique omnes Aſtrologi veteres, ex quibus initia, vel incrementa ſumpſit hæc ars, impudenter negauerunt diuinam prouidentiam, omnia fatali neceſſitate euenire docuerunt. Id Arabes, quorum adhuc libri leguntur: id Chaldæi, quos M. Tullius, quos Aulus Gellius referunt: id vniuerſi Mathematici, qui per Auguſtini, Baſilij, Chryſoſtomi, Cyrilli, Theodoreti, Gregorij tempora floruerunt, profeſſi ſunt. Et quid magis apertè prodere poterat horum mendacia, quàm quod eorum ſcita, & dogmata ſectantur, qui diuinam prouidentiam è medio ſuſtulerũt? Et quidem qui laborant rationum magna inopia, Genethliaci experimentis ſuam artem partam eſſe contendunt, experimenta autem facta aiunt à priſcis Chaldæis, & Ægyptiis, qui Dei prouidentiam nullam agnouerunt. At quomodo ſub experimentum venit, quod cum fide orthodoxa pugnat? Euentis igitur, experimentiſque, ais, fidei dogmata refelli, Chriſtiani videre volumus, & eorum experimenta admiramur, qui Chriſtianæ Religionis firmamenta euertunt; & credimus vlla eſſe, aut reperiri poſſe experimenta aduerſus ea, quæ Chriſtiana veritas docet?

Hæc pauca, multis aliis, quæ in eamdem ſententiam proferre poteram, miſſis, ſatis eſſe exiſtimaui ad frangendam Mathematicorum confidentiam, ex ſuis lineis, triangulis, exagonis, ſexagonis, quadratis, tamquam Clotho, Lacheſis, Atropos, vitæ noſtræ, & valetudinis penſa deducunt, & aliarum ignari cauſarum, quæ frequentes, & propè quotidianas inuehunt in vitam, varietates toti è ſtellis dependent, ſola aſtra contemplantur, præterea nihil, agant aliquid aſtra, afflent ſpiritum pueris, afficiant corporis temperamentum, quod anceps adhuc eſt, & dubium valdè. Quid tum? ſcintillam expreſſam è ſilice vidiſti incendium orbis dices inde futurum? O ridiculum caput, extingui illa poteſt, vel impediri innumeris interuenientibus cauſis, multòque pluribus & frangi, & retundi, & præpediri poteſt aſtrorum vis omnis, & facultas. Quid ergo de vita, de morte, de ſanitate, de morbo, de temperamento corporis, de incolumitate, de integritate membrorum, ex genitura aut præſentire, aut prædicere potes?

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Quo tria Mathematicorum effugia præcluduntur.

TRIA hoc loco pro ſua Genethliaca reſpondere poſſunt Mathematici. Primum, aſtra eſſe cauſas principales, inferiora omnia eſſe eorum inſtrumenta, inſtrumenta verò nihil moliri, nihil agere poſſe, niſi quatenus mouentur

Digitized by Google

mouentur à principe cauſa:ideò ex aſtris aptè deduci poſſe ea omnia,quibus in vita variari poteſt natiuum temperamentum. Secundò, non ſolùm aſtra, & cælum ſe ſpectare quando vaticinantur, ſed alias etiam omnes cauſas, quas à cap. 14. huc vſque numerauimus, & ex omnibus capere coniecturam eorum, quæ prænunciant. Tertiò, Genethliacam artem eſſe coniecturalem, & opinabilem,quæ etſi aliquando fallit, id quod declarant ea, quæ hactenus diſputauimus, vtplurimùm tamen ad veritatem dirigit. An Medicina ars non putanda eſt, quæ multis obluctantibus cauſis non ſemper finem aſſequitur ſuum? an propterea nulla eſt Reipublicæ gerendæ ratio, atque prudentia, quia multa eam quotidie fallunt? Sed hæc omnia ſuperioribus libris abundè confutata non ſunt ampliùs in quæſtione reponenda. Primum quidem, inferiores cauſas non eſſe cæli inſtrumenta, neque ita omni efficiendi vi deſtitutas, vt à cælo expectent omnem impulſum, & motum, quo agant, cumulatè docuimus libro 1. cap. 7. Hoc quoque libro 3. cap. 13. inductabili ratiocinio euicimus non moueri à cælo ſublunares cauſas, tamquam inſtrumenta, neque aſtra proximis cauſis præſcribere poſſe agendi modum. Deinde non eam eſſe vim genialium aſtrorum, vt poſſint ſuis effectibus inferiores omnes cauſas aptare, vt illa ſatis ſit Aſtrologo ſpectare, vt vaticinetur, nec vlla habenda ſit ratio aliarum cauſarum, tradit Ptolemæus lib. 1. de Iudiciis, cap. 2. & 3. cuius verba nos deſcripſimus lib. 2. c. 3. Præterea recipiunt omnes Aſtrologi ea, quæ inter plures tranſigenda ſunt, & à diuerſis genituris dependent, non poſſe ex vnius ſolùm horoſcopo cognoſci. At ea, de quibus nos hactenus diſputauimus, & quæ naturale temperamentum mutare ſolent, dependent à pluribus, à nutrice, à parentibus, à domeſticis, ab amicis, ab inimicis, à ſeruis, ab ancillis, à Medicis, à ciuibus, & huiuſmodi aliis: non poſſunt igitur aptè ex vnius geneſi deduci, nec horum omnium Aſtrologi cognoſcere poſſunt horoſcopos. Egregiè ergo falluntur, qui hæc omnia aiunt ex genitalibus aſtris præuideri poſſe. Ad hæc recipiunt Mathematici, Cardanus in primis lib. de temp. & motu, cap. 11. non omnes, ſed principales actiones ex genitura proſpici: non enim an ſis iturus ad balneum, an fricaturus barbam, & id genus alia, aſtra demonſtrant; ſed pleraque eorum, quibus docuimus mutari conſtitutionem corporis, pendent ex leuiſſimis animorum motibus, ex appetitione cibi alicuius, ex balneo, ex ludo, ex vſu, ex ſuaſu alicuius, ex exemplo eorum, quibuſcum degimus: non poſſunt itaque ex geneſi hæc præuideri. Denique profitentur Aſtrologi hominum arbitria libera eſſe à ſtellarum iure; at omnia, quæ hactenus commemorauimus, à liberis hominum conſiliis proficiſcuntur, non poſſunt igitur ex conſtitutione aſtrorum præuideri.

Secundum porrò, quod aiunt non ſolùm aſtra ſe ſpectare, quando vaticinantur, ſed omnes proximas etiam cauſas, & ex omnibus ſumere coniecturam, diſcuſſimus lib. 2. cap. 4. planùmque fecimus eos neque id facere, neque facere poſſe: ea verò, de quibus hoc tertio libro à cap. 14. diſſeruimus, oſtendimus luce clarius eſſe huiuſmodi, quæ nullus hominum, immò nullus Angelorum præuidere, nedum expendere, & in calculum vocare poſſit, quando Aſtrologus genituras interpretatur.

Denique neque vtplurimùm poſſe eſſe vera Mathematicorum vaticinia diſertè docuimus lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 12. quoties enim pluribus cauſis opus eſt, vt aliquid fiat, earum vna ſi deſideretur, vel præpedita ſit, conſtat non poſſe

quod intendebatur perfici ad tuendum naturale temperamentum:non ſatis eſt aſtrorum vis,opus eſt præterea cauſis proximis & coniunctis, quas ſuperioribus capitulis percenſuimus. Qui igitur ſolum cælum ſpectat, ignoratis aliis cauſis à quibus conſtitutio naturalis per ſingula fermè momenta variatur,qui poteſt de temperamento corporis vera vt plurimum prædicere? fortuito ille aliquando & imprudens in verum aliquod incidet, ex arte nuſquam veritatem attinget.id quod experimentum confirmat:quis enim non experitur multò plura falſa eſſe Aſtrologorum præſagia quàm vera? Illa, quæ aut temere aut aſtutè vera dicunt,(inquit Phauorinus apud Gell.lib.14.c.1.) præ cæteris quæ mentiuntur,pars non fit milleſima.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Quid hactenus diſputando effectum, quid in poſterum efficiendum ſit.

EX duobus Genethliacæ artis firmamentis, quod animi mores ſequantur corporis temperamentum, & quòd corporis temperamentum è ſtellis hauriatur,alterum multis admotis machinis iam euertimus, tum quòd ad conformationem hominis ſtellæ non veniant,cum quòd multis aliis interuenientibus cauſis, & quidem potioribus, quas ignorare Aſtrologos oportet, nihil è ſtellis de noſtro habitu corporis denunciari poſſit,tum quòd natiuum corporis temperamentum, multis modis, in vita,& immutetur, & labefactetur,& ſoluatur.Nunc alterum aggredimur, An animi mores ſequantur corporis temperamentum. Innaſci propenſionem quamdam animo ex conſtitutione, habitúque corporis,non inficiamur, ſed à multis aliis cauſis, eam frangi ac coerceri contendimus, cùm enim nihil liberam voluntatem cogat,ſed inſtigent quædam & incitent tantùm, certò prædici non poſſunt voluntatis motus, ſed probabiliter ſolùm, & quoniam hæc probabilitas ſita eſt,in cauſis, ad impellendas voluntates idoneis, voluntatem autem permouere ſolent non ſolùm corporis temperamentum,ſed multa præterea alia, horum impulſuum,expendenda ſunt momenta, vt appareat, quam Mathematici prædicendo ſequantur probabilitatem;nam cùm animum impellant aſtra (vt Genethliaci volunt) eundémque aliæ cauſæ aliò trahant,ſi has & plures eſſe, & vehementiores euicerimus,arcem ſine dubio Aſtrologiæ euertimus;effectum enim erit nullam Aſtrologos prædicendo ſequi probabilem rationem;ſed temere denunciare, quæcumque denunciant: quis enim probabiliter illum vaticinari dicat, qui ex variis cauſis, quæ ad rem conſtituendam concurrunt, cæteris omnibus ignoratis vnam dumtaxat ſpectauit, eámque infirmiſſimam omnium & inconſtantiſſimam.

* * *

T CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Gentium mores facere contra Aſtrologos.

DE moribus Gentium diſputat Ptolemæus lib. 2. de iudiciis, cap. 1. 2. & 3. [Vt enim (inquit capite 3.) in prædictis conſtitutionibus aëris, & iis, quos generaliter calidos, frigidos, temperatos eſſe perhibuimus, certorum quædam ſunt proprietates locorum ac regionum, vbi illa generalia intenduntur remittunturve, vel ob poſitus ſui naturam, vel altitudinem, vel humilitatem, vel propter etiam vicinitatem: itaque cùm alij equeſtres ſint propter campeſtria ſuæ patriæ loca, alij nauigatores, ob vicinitatem maris, necnon mitiores aliqui, ob ſoli bonitatem.] Infrà: [Britanniæ; Galliæ Bracatæ, Germaniæ, Baſtarnæ incolæ ſunt communiter feroces, peruicaces, truces: at Italiæ, Apuliæ, Siciliæ, Galliæ togatæ incolæ, præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent: Thyrreni verò, & Celtæ, Hiſpaníque libertatis, ſimplicitatis, munditię ſunt amatores.]

Iulius præterea Firmicus libro primo, capite primo. [Quædam gentes ſunt ſic formatæ, vt propria ſint morum quodammodo vnitate perſpicuæ: Scythæ ſoli immanis feritatis crudelitate graſſantur; Itali ſiunt Regali ſemper nobilitate præfulgidi; Galli ſtolidi; leues Græci; Aphri ſubdoli, auari Syrij, acuti Siculi, iniurioſi ſemper Aſiani, & voluptatibus occupati; Hiſpani elatæ iactantiæ, animoſitate præpoſteri.]

Denique Marcus Tullius libro ſecundo, de diuinatione. [Quid (inquit) diſſimilitudo locorum? Nonne diſſimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione, facile eſt. Quid inter Indos & Perſas, Æthiopes, & Syros differat corporibus, & animis, vt incredibilis varietas, diſſimilitudóque ſit? Ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quàm Lunæ tractus ad naſcendum valere.]

Quid ad hæc Genethliaci? Quæ genti, vel regioni alicui conueniunt ex aſtris etiam eſſe repetenda. [Nam noſtræ terræ (inquit Ptolemæus lib. 2. cap. 2.) quæ iacet in vno Aquilonari quadrante, incolæ qui ſubiecti ſunt Auſtralibus paralellis, id eſt, iis qui deſcribuntur ab Æquinoctiali, vſque ad tropicum Arcticum, cùm ſupra verticem eorum feratur, quaſi vſtulatis, nigríſque corporibus videntur, & capillo eſſe criſpo, & denſo, facie etiam contracta, & ſtatura contorta, natura ferè calidi, moribúſque feris, propter magnitudinem æſtus, in locis ſuis, quos Æthiopes vocare conſueuimus, qui & ipſi ad expoſitum modû ſe habent, & aëris ibi talis conſtitutio eſt, omnéſq; animantes ac quæ naſcũtur è terra, cum his congruere reperiuntur. At qui ſubſunt Aquilonaribus paralellis, hoc eſt, ſub Septentrionibus poſita loca incolût, cùm eorum punctus verticalis à ſignifero, & Solis calore longè abſit, ideo etiam frigore & humiditate abundant in qua cum alimenti copia inſit, non exhauritur ipſa à vicino calore. Ibi ſunt igitur colore albo homines, capillo prolixo, ſtatura proceri, & boni habitus, natura ſubgelidi, ſed & ipſi moribus feris, propter frigoris in illis locis vim, & conueniens cum his accidit hyemis magnitudo, & è terra naſcentium

tiũ granditas,& animantiũ ſæuitia;hos vocamus generaliter Scythas.Qui autẽ loca tenent interiecta, inter Tropicum articum, & Septemtrionẽ, quia neque ſupra verticem illorum Sol fertur, neque inde longiſſimè ab auſtro recidit, in aëre degunt valde illo quidem temperato,& ſingulariter,ſed frigoris ęſtusque differentię admodum paruæ, notantur.Quapropter & medio quodam colore, & mediocri ſtatura, & natura temperata ſunt habitationibus coniuncti, & moribus manſueti,harum autem propiores Auſtro,ingenioſiores,& calidiores, & rerum diuinarum periti magis eſſe conſueuerunt,quod punctus ipſorũ verticalis propinquior ſit cum ſignifero , tum errantibus ſub illo ſtellis, pro quarum quaſi familiaritate,& ipſi animos habent promptos,& faciles in comprehenſione,ac inueſtigatione rerum,vel artium,maximéque earum,quæ Mathemata vocantur. Præterea Oriẽtales harum viriliores ſunt, & animis firmis, nihilque celantes.Orientem enim verè Solaris naturæ eſſe diximus , proinde & pars illa diurna,& virilis,& dextera putanda,cernimus autem in animãtibus quoque dextra eſſe magis valida,& robuſta,contrà Occidentales effœminatiores ſunt,& molliores , & occultatiores, nam hæc pars Lunæ debetur,quę ab Occidente ſemper poſt interlunia ſe conſpiciendam præbet, atque ob hanc cauſam , & nocturna & ſiniſtra,vt oppoſita Orienti traditur.]

Hæc Aſtrologorũ Antiſtes Ptolemæus , in quo conſtantiam primò requiro: nam initio capitis tertij docuerat hominum mores , oriri ex locorum , & regionum proprietate.[Vbi (inquit) illa generalia intenduntur, remittunturque, vel ob poſitus loci , & regionis naturam,vel ob altitudinem, vel humilitatem, vel propter etiam vicinitatem.Itémque cùm alij equeſtres ſint , propter campeſtria ſuæ patriæ loca,alij nauigatores ob vicinitatem maris,necnon mitiores aliqui ob ſoli bonitatem,locorum igitur natura , & poſitus ſuperat ſtellarum peruicaciam.]Poſtea ſui oblitus , & neſcio qua mendace ſtella vrgente , diuerſos hominum mores ad aſtra reuocat per ſummam imprudentiam.Deinde Britannos,Gallos,Bracatos,Germanos,Baſtarnos idem facit;ibidẽ feroces, peruicaces,truces,ex dominatu Arietis,& Martis. Atqui apud eos multi naſcuntur, etiam præſide Venere,vel Ioue,ſtellis beneuolis,ac mitioribus,vt idem docet, libro item 2.capite octauo.]Quas ſtellas ſequemur pronunciando Natalitias, mitem ac benignum illum eſſe dicemus , cui Ioue, vel Venere , præſide gigni, aut naſci contigerit, nationales,& regionis ferocem,ac truculẽtum,eumdẽ eſſe pronunciabimus.]O delirationem incredibilem:[Non enim omnis error (ait, Tullius libro 2.de diuinatione)ſtultitia eſt dicenda.] Denique,[Et Græcorũ leuitas(vt ait Iulius Firmicus li. 1.c.4.)frequenter modeſtæ grauitatis pondus accipit,& effrænata Scytharum rabies quandoque humanitatis clementia mitigatur,& in finibus Galliarum populus ſapientiæ prudẽtia conualeſcit,Aphrorúmque ſubdolas mentes honeſtæ fidei ornamenta cõdecorant , & à plurimis Hiſpanis iactantiæ vitia deſeruntur,& Syrorum auaritiam mutauit repentina profuſio,nec eſt inter acutos Siculos ſtultos inuenire difficile, & ab Italis frequenter dominationis imperia tranſlata ſunt , nec huius rei longè tibi , aut ex antiquis libris proferemus exempla.]

Vbi eſt igitur nationalium ſyderum, quam prædicatis, poteſtas? in nihilum recidunt quæcumque Ptolemæus lib.2.capit.3. ſcribit de moribus gentium;ex triangulis,Barrolybico Auſtro,Solano Notholybico, Subſolano, de dominatu Arietis,ſupra Britanniam,Galliam, Celeſyriam,Palæſtinam,Idumæam,Iudæa,

T 2 Tauri

Tauri ſuper Parthiam, Mediam, Cyclades inſulas, inſulam Cyprum, aliorumque Zodiaci ſignorum ſupra alias regiones. Perit altera Aſtrologiæ pars, quam in generalibus prædictionibus collocat idem Ptolemæus lib. 2. cap. 1.

Scripſit quidem Ptolemæus lib. 2. cap. 1. concurrentibus generalibus ſingularibus aſtris, vincere efficaciores, infirnioréſque ſubiici, generales autem plus habere virium, quàm particulares, idcirco ſpectato regionis habitu, Aſtrologos ſine hæſitatione denunciare. [Cùm autem (inquit) prædictiones Aſtronomicæ in duas potiſſimùm, & propriè partes diuidantur, quarum vna, & prior totas gentes, regiones, vrbes, generaliter, quam nominant vniuerſalem; altera particularis ſingulorũ hominum fata cõplectatur; quæ dicitur à genituris Genethliaca, conueniens videtur, de vniuerſalibus priori loco diſputare, quando hæc quidem maiore vi quadam, & efficacioribus cauſis mouentur quàm particularia. Iã cùm neceſſe ſit ſubmitti imbecilliores naturas, valentioribus; atq; adeò particularia vniuerſalib. ſi quis ſingularium rerum prædictionibus operã dare velit, non poſſit ſine comprehenſione generalium, eſſe ad illas inſtructus. Sed adhuc non emerſit è ſalebris: nam primò cedo, quanã decempeda metiẽdũ ſit quantum horoſcopo particulari decedat vel accedat ex generalibus aſtris.

Deinde, quod ait Iulius Firmicus li. 1. c. 4. nec inter acutos Siculos, difficile eſſe bardos aliquos inuenire, nec apud Scythas deeſſe aliqua humanitatis exẽpla; velit, nolit Ptolemęus, extorquet generalia aſtra, interdũ particularibus ſub mittere faſces, interdum particularia cedere generalibus. Mitigantur itaque generales ſtellæ à particularibus, & particulares à generalibus. at quoties? vbi? quando? quantum? Hæc enim ſicut ad rem maximè pertinent, ita fugiunt omnem Aſtrologorum diligentiam, peritiam, ſedulitatem: dicat enim Genethliacus ferociam cuiuſdam Baſternæ, ſub Ioue naſcentis, fore cæteris paribus minorem, quàm cæterorum illius gentis hominum; non intelligat tamen quãtò minorem, quo nam modo, quid, quando, vbi, quoties, quantum, acturus, vel paſſurus ſit. Baſtarna definiet; definire porrò debet: quoties aliquid certi, & definiti denunciat.

Quin & in eadem regione, alia vnius oppidi, alia alterius facies eſt, quæ non parum valet ad cœli ſalubritatem, & ad variandum corporum habitum, moréſque incolarum, teſte Ptolemæo libro ſecundo c. 3. ſed, & in eadem vrbe aliæ partes aliis ſalubriores, cultiores, potentiores, altiores, humiliores, atque ita de aliis, quæ non exiguam tribubus, viciniis, familiis, inſpergunt morum diſſimilitudinem, eóſque aperti erroris arguunt, qui à cœlo circumſtante deſcendere gentium mores contendunt.

Quid dicam de crebra morum mutatione ſub eodem cœlo? parúmne illa virium habet aduersùs Aſtrologos, & Ptolemæum præſertim, qui libro ſecundo, capite tertio, omnia ex aſtrorum triangulis, vt ſuprà retulimus, metitur? Quantò nunc maior eſt Germanorum cultus, & vrbanitas, quàm eorum, qui à Cæſare & Strabone, ſcribuntur? à Cæſare dixi, & Strabone? longè petitum, quã eorum, quos S. Bonifacius Germanorũ Apoſtolus Chriſtianæ Religionis præceptis excoluit, qui legunt, quæ Ouidius de Getarũ feritate, & barbarie tradit, nõ credẽt; eodem loco, nunc degere Polonorum vrbanitate inclytam gentem. Quam multi in eadem gente ritus, & conſuetudines, ſubinde exoleſcunt & oriuntur? quæ ante quinquaginta annos damnabantur, nunc renaſcuntur; quæ ante vigeſimum annum vſurpabantur, nunc defloreſcunt. Eant nunc

Aſtrologi, ſubiiciant certis aſtris ſingulas regiones, & inde earum mores deſcendere affirment: fruſtra huic belluæ multorum capitum, huic Proteo in varias ſe formas transformanti ſtellarum certos laqueos intentant, ſi hi ritus, & conſuetudines è cœlo defluunt cum iiſdem regionibus, eædem ſemper ſtellæ, auctore Ptolemæo libro ſecundo, capite tertio præſideant, cur non ſemper iidem florent mores? Vnde eſt tanta viciſſitudo? cum tanta cœleſtium motuum conſtantia vt cohæreret hæc rituum inconſtantia?

Denique nondum aſſecuti ſunt Aſtrologi vim illius axiomatis, Animi mores ſequuntur corporis temperamentum, qui indiſcriminatè ſemper, & vbique habere veritatem arbitrantur. Et boni Auctores ita illud interpretantur, vt animum velint ſequi temperationem corporis, quoties nihil obſtat: obſtant autem vtplurimùm mores, ritus, vſus gentium, multáque alia de quibus paulò poſtea diſſeremus. Hinc igitur Mathematicorum frequentes ineptiæ, ludificationes quotidianæ, fœda mendacia.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Educatio & domeſtica exempla ſæpe obſtant aſtris.

QVis non videt (inquit Marcus Tullius, libro ſecundo de diuinatione) & mores, & pleroſque ſtatus, ac motus effingere à parentibus liberos?] Hinc & Ouidius:

Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris.

Et Virgilius Æneidos lib. 3.

Et quid in antiquam virtutem animóſque viriles,
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

Iuuenalis Satyra 6.

Scilicet expectas, vt tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quàm quos habet?

Item Satyra 14.

—— Expectas, vt non ſit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos,
Tam citò, nec tanto poterit contexere curſu,
Vt non ter decies reſpiret? ——

Item Horatius libro ſecundo Carminum, Ode 4.

—— Neque ſic fidelem,
Sic lucro auerſam, potuiſſe naſci
Matre pudenda.

Non ſolùm Poetas, ſed etiam Oratores huius veritatis lux perculit M. Tullius oratione pro Roſcio Comœdo. [Nemo ex improbo patre probum filium naſci poſſe exiſtimat.] Et Fabius Quintilianus libro quinto de argumentis docet [ſæpe à perſona, & genere ſumi argumenta, propterea quòd ſimiles parentibus filij moribus eſſe creduntur.] Et Ariſtoteles in Rhetorica. [Nemini eſt obſcurum, qui ex bonis, & claris parentibus nati ſunt eos conſentaneos fieri ſuis maioribus.] & lib. 3. Rhetoricorum ad Theodectem. [Veriſimile eſt probum ex probis, & bene educatum in probum virum euaſiſſe.] Diogenes Cynicorum princeps cùm ebrium in foro vidiſſet. [Illius (inquit) patrem oportet

Digitized by Google

fuiſſe ebrium.] Nec ſine magna cauſa Martialis miratur libro ſexto Epigrammatum: ad Tibullum ebrioſi filiam bibere aquam:

Miror, quòd Braſſi filia potat aquam.

Inde Prouerbium: *Effluxit malum ouum ex malo coruo.* Plutarchus libro de liberis educandis: [Vbi impudens eſt ſenectus, ibi & inuerecundos eſſe iuuenes neceſſe eſt ad comparandam filiis modeſtiam, danda eſt opera, vt omnia pro rerum conuenientia perficiantur.] Et Galenus libro de curandis animi morbis. [Mihi (inquit) ingenti fœlicitate contigit, vt patrem ab omni iracundia alienum, iuſtiſſimum, frugaliſſimum, humaniſſimum haberem vt matrem vſque adeò iracundam, vt etiam interdum morderet ancillas, ſemper autem & vociferaretur, & contẽderet cum patre, & longè quidem odioſiùs, quàm Xantipe illa cum Socrate. Mihi itaque intuenti bonitatem honeſtatémque paternorum officiorum, quæ vitioſitatem maternorum affectuum, in proximo collocatam quaſi è regione reſpiceret, venit in mentem cùm illam amplecti, & amare, tum verò hanc alteram fugere, adeóque proſequi. Vt autem in his ipſis maximam cernebam parentum meorum diſſimilitudinem: ſic item in hoc agnoſcebam patrem meum quidem ex nullo damno dolorem concipere, matrem verò etiam ob res minimas oppidò quàm mœſtam euadere. Porrò noſti tu quoque pueros, quæ vehementer attenderint, ea imitari ſolitos, quæ autem iniucundè, & cum moleſtia inſpexerint, ab his longè fugere conſueuiſſe.]

Cur Poëtas, Rhetores, & Philoſophos potiùs huius veritatis teſtes adhibemus, quàm Iuriſconſultos, qui filios tradunt eiuſdem præſumendum eſſe affectus cum patre, l. ſi operarum iudicio, ff. de oper. liber. Sic Bartholus tractatu de Guelphis & Gibellinis, col.3. verſic. circa quartum. Ita Bald. noſter l. liberti. col.1. verſu opp.3. C. eodem & Alb. Gand. tract. malef. tit. de præſumpt. & indiciis dubitatis, col.4. verſ. præſumptio enim naturæ eſt, monet eius, qui accuſatur parentum mores inſpiciendos. [Nam qui bonos (inquit) habuit parentes, bonus; qui malos, malus præſumitur.] Et Angelus, l. fugitiui, C. de ſeruis fugitiuis. [Ex eo (ait) præſumendum aliquem tranſiuiſſe ad hoſtes, quòd natus eſt ex patre eo nomine infami.] Quam coniecturam laudat Borboſa conſ.34. col. 18. verſic. modò ſacratiſſimus, lib.2. & Imperatores Arcadius, & Honorius, l. quiſquis, C. ad legem Iuliam, Maieſt. §. filij. [In quibus (inquiunt) paterni, hoc eſt, hæreditarij criminis exempla metiuntur,] in quam ſententiam Gloſſ. l. ſi quis militibus, 6. quæſt.1. citat vulgatem verſum,

Inſequitur leuiter filia matris iter.

Quin & ſanctus Ambroſius libro ſecundo de Virginibus. [Quid potuit (loquitur de Herodiade) filia (inquit) de adultera matre diſcere niſi damnum pudoris?] Denique, ne vllus ſupereſſet ambigendi locus, interpoſuit Deus ipſe auctoritatem ſuam, Ezechielis cap.19. [Sicut mater (inquit) ita & filia.]

Tandem quid ego de educatione loquar? Plato dialogo 4. de Republica. Quippe (inquit) educatio, eruditióque bona ſeruata, ingenia quoque bona efficit: rurſúſque bona ingenia educationem huiuſmodi conſecuta, meliora etiam quàm priùs euadunt.]

Laudat iure Plutarchus libro de pueris educandis, Euridicem his verbis: [Imitemur autem potiſſimùm Euridicem, quæ quamuis Illyrica & barbariſſima foret mulierum, ad erudiendos tamen liberos, quamquam in ætate iam prouecta ſtudium, ac diſciplinam attigit. Quantam verò in eius filios indulgentiam

gentiam habuerit,vel illud abundè, quod Marti dicauit, epigramma, declarat Hyropolitana Euridice, poſtquam doctrinæ, ac eruditionis deſiderium cœpiſſet, hunc Martis titulum conſecrauit, pubeſcentibus enim liberis, matre iam grandæua ſtudiorum, atque virtutis monumenta, & literas ingenti cum labore perdidicit.]

Idem & eodem libro, [Nutrices (inquit) non viles aut aduentitias, verùm quàm maximè idoneas, probáſque ſuſcipiendas eſſe cenſeo. Primùm quidem moribus inſtructas patriis: ſicut enim infantium membra ſimul ac nati ſunt formari componíque debent,vt recta minimèque obliqua fiant, ita puerorum mores principiò, aptè concinnéque fingere conuenit: illa namque nouella ætas ad fingendum facilis, ac tenera eſt, & ipſorum animis dum molles adhuc extant,diſciplinæ meliùs inſtillantur;difficiliùs autem quæ dura ſunt molliuntur: quemadmodum enim ſigilla mollibus imprimuntur ceris,ita & doctrinæ dum puerilis adhuc animus eſt,inſculpuntur aptiſſimè.Igitur diuinus ille Plato nutrices admonuiſſe videtur, vt ne friuolas, aut turpes pueris fabellas narrent,ne illorum animos ex initio ſtultitia, & corruptis induant moribus. Pulchrè igitur Phocylides Poëta monuit:

Dum tener eſt gnatus,generoſos inſtrue mores.]

Eadem fermè Galenus libro de curandis animi morbis, vbi plurimam eſſe vim educationis,multis oſtendit, licet in quibuſdam aliquando fructus tenuis ſit, ſicut in arborum ſatione.

Poſtquam Ariſtoteles libro ſecundo Ethicorum, capite primo docuit virtutem aſſuetudine comparari,ſubdit ad finem.[Non igitur parum refert, ſicne an ſic ſtatim ab adoleſcentia conſueſcat aliquis, ſed quamplurimum:immò totum in eo penitus conſiſtit.

Diſcant iam Mathematici tantis Magiſtris pueros non ſequi ſyderalem propenſionem corporis,ſed parentum exempla,educationem, & doctrinam, mores, conſuetudines,viróſque ex educatione, & conſuetudine, à pueritia parta operari potiùs quàm ex inſtinctu natalium aſtrorum,& intelligant aliquando, quamuis naturalem corporis propenſionem: in ſtellis tanquam in ſpeculo intuerentur adhuc non poſſe ſe cognoſcere,quid acturi, paſſurive ſint qui in hàc lucem veniunt: naturales enim propenſiones, & ſi placet, ſyderales coguntur vincere & edomare, nullus enim eſt, qui naturalibus propenſionibus vim afferre non cogatur. Maritus frangit ſuas cupiditates,in gratiam vxoris, liberorum, domeſticorum; vxor elidit quas naturale temperamentum excitat appetitiones,vt gratificetur marito,ſocero,agnatis,maioribus, filius fingit ſe ad imperium patris,matris, pædagogi, auunculi, ſeruus ſtudio obtemperandi compeſcit animi vehementes motus;Princeps regnandi libidine, & ſimulare multa,& diſſimulare cogitur, etiam inuita Minerua.

Sed redeamus ad Ariſtotelem,qui lib.10. Ethicorum,cap.10. [Fieri (inquit) bonos alij natura,alij conſuetudine,alij doctrina exiſtimant; & quod ad naturam quidem attinet in nobis non eſſe manifeſtum eſt, ſed ex quadam diuina cauſa iis,qui reuera fortunati ſunt: ratio verò,& doctrina videndum eſt, nunquid non in omnibus vim habeat, ſed opus ſit, vt præceſſus auditoris animus ſit ad rectè gaudendum & odio proſequendum, non ſecus,ac terra,quæ ſemen ſit nutritura: non enim audiret orationem dehortantem, neque intelligeret, qui ex perturbatione viuit,qui autem ita affectus eſt,diſſuaderi qui poteſt? non

enim

Digitized by Google

enim omnino orationi,ſed vi, cedere perturbatio videtur. Oportet igitur mores priùs virtuti eſſe accommodatos,vt,& honeſtatem diligant, & abhorreant turpitudinem : vt autem à pueritia quis inſtitutione recta ad virtutem inſtruatur difficile eſt,niſi ſub talibus legibus fuerit educatus:nam temperanter, toleranterque viuere pleriſque , & præſertim adoleſcentibus , viuendum non eſt: quocirca eſt opus,vt educatio , & ſtudia conſtituta legibus ſint : ita enim fiet, vt conſuetudine tractata moleſta eſſe deſinant.]

Rurſus infrà : [Scriptæne ſint leges (inquit) an non ſcriptæ , intereſſe nihil videtur , neque vnúſne, an multi per eas inſtituantur, quemadmodum neque in muſica , & exercitatoria , cæteriſque aliis ſtudiis : ſicut enim in ciuitatibus legum inſtitutores,& leges valent,ac mores:quin & ob cognationem & beneficia etiam magis , quippe cùm affecti erga parentes iamdudum atque obtemperantes natura ſint : adde quòd priuatæ educationes à politicis differunt:non ſecus atque in medicina : cur enim vniuerſaliter febricitanti inedia , & quies conferat, alicui tamen fortè non ita conducit,vt pugillandi artifex non omnibus fortaſſe eamdem pugnam imponit, videntúrque magis exactè abſolui ſingula , ſi priuata cura adhibeatur ? magis enim , quod accommodatum eſt , ſibi vnuſquiſque conſequitur.]

Si pueri , qui perturbationibus maximè aguntur , & animi impulſibus reſiſtere, & naturæ procliuitates coërcere,vincere , ac domare à parentibus, à magiſtris, à domeſticis coguntur , quid faciant alij in quibus ratio dominatur ? Si viri in vltimam vſque ſenectutem retinēt mores,& conſuetudines adoleſcentiæ , & quæ ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu,vt ait Horatius libro primo epiſtolarum,qua Dialectica aſtrologi, ex ſyderali corporis temperamento, deducunt humanas omnes actiones ? qua confidentia ex habitu corporis genitalibus,vel natalitiis ſtellis indito, de humanæ vitæ actionibus pronunciant· nónne omnium gentium vſu, & experimentis compertum eſt, quouis ſub ſydere veniant in lucem infantes,eos parentibus nutricibus, magiſtris domeſticis ſimiles eſſe moribus? nónne ex raritate vituperantur degeneres? Quis igitur non fateatur omni ſyderum impulſu efficacius eſſe quod parentes filiis indiderunt,procreando,vel docuerūt educando,vel oſtenderunt viuendo?

Ego verò, dicet aliquis, non quid quis facturus ſit , denuncio , ſed quid facturus ſit aſtrorum vi , & impulſu : & niſi ab aliis cauſis natalium ſtellarum efficacitas præpediatur : nam & Ptolemæus ſyderum impulſus impediri poſſe ſcribit lib.1. cap.2. lib.3. cap.4.

Egregia verò vaticinatio. Fingis tibi hominem qui non ſit inter homines educatus,qui nullum vnquam hominum viderit,nullum à parentibus,à domeſticis hauſerit aut virtutum , aut vitiorum exemplum , qui nullum audierit de virtute,aut vitio differentem , & in hunc tua vaticinia cadere vis : at cùm nuſquam huiuſmodi reperiantur homines , conſequens eſt non cadere in hanc, quam nos degimus vitam , Aſtrologorum prædicta.

Reſpondent aliter alij , educationem bonam paucorum eſſe,ideo plurimos ſequi id ad quod ſyderali vi propendent : ſed huius reſponſionis duplex eſt vitium : prius quòd ſi quid ſcire poſſunt, in genere dumtaxat poſſunt Aſtrologi : ſolùm enim intelligunt plurimos agi ſtellarum impulſu , quia non multi ſolent bene educari. At quoniam,qui ſedulos,qui ignauos habituri ſint educatores incertum eſt , nil poſſunt certò definire plures ſanè Pariſiis, ſint ciues,

qui

qui negligenter,quàm qui diligenter liberos educant; aliqui tamen diligenter parentis munus obeant. Sit cauſa exempli,quarta pars ciuium,vel ſexta, vel,ſi ita vis,decima,cùm in arbitratu parentum poſitum ſit, velintne de paucorum, an de multorum numero eſſe: quantalibet ſit paucitas eorum, qui accuratè liberos educant;quia tamen indefinita res eſt: lubricum omnino, & anceps iudicium Aſtrologorum ſit,neceſſe eſt.

Alterum huius reſponſionis vitium eſt, quod incautè cælo derogant, quod ei maximè volunt arrogare. Hæc enim negligentia parentum in educandis liberis, è cælóne habet ortum, an aliunde? Si aliunde, iam cælum ſpoliant dominatu magno in res humanas. Nam ſi tanta eſt bonæ, malæve educationis vis, vt ad eius normam, vt ſuprà comperimus, totius vitæ curſus dirigatur, erepta è ſtellarum imperio,& poteſtate,liberorum educatione,reliqua quoque viuendi ratio tota tamquam è manibus ſtellarum eripitur: ſin educationis quoque ſedulitatem, vel negligentiam cælum ſibi vendicat, quærendum eſt quodnam? An genethliacum,& particulare?at non eſſet commune malum,nec ad multos hæc corruptela pertineret, an communis cæli ſtatus? at nullus in educandis liberis ſedulitatem haberet, an gentis, vel ciuitatis vnius horoſcopus; nullus in ea gente, vel ciuitate hoc vitio vacaret? an indefinitus cæli habitus? cur hos potius,quàm illos ſedulos,ſegnéſve facit?

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

Conatus, & conſuetudinis vis aduerſus aſtra.

QVIBVS educatio fœlix defuit,ſtudio,bonáque conſuetudine proficere poſſe ad virtutem,multis docent duo Medicinæ,& moralis Philoſophiæ lumina, Galenus, & Plutarchus. Et Galenus quidem libro de curandis animi morbis:[Scire(inquit)eos oportet,progreſſu temporis non ſimiliter idem habituros difficile: quo enim maius rationalis animi noſtri pars in huiuſcemodi exercitationibus, ac ſtudiis incrementum acceperit, (quatenus ſcilicet ſuperabuntur, minuentúrque vitia) eo facilius obſequium, ac perfectiorem obedientiam obtinebit. Nam cùm ea, quæ maxima ſunt,ratio nondum exercitata ſuperauerit,haud dubium eſt,quin vbi duplicem excellentiam ſpatio temporis adepta ſit,faciliùs ſit ſuperatura:etenim ex iis,in quibus ipſa ſe exercuerit, multò extat generoſior, quàm priùs: ſic etiam illis, quæ minora aliquantò euaſerit, abundè ſufficiet.]

Nec ad bonum tantùm, ſed ad malum etiam conſuetudo valet quampluri-mùm.Itaque idem Galenus: [Quod quidem (inquit) tantò eſt amplius excandeſcentis animi vitium, quantò magis diuturnum: altera eſt, quæ ad id, quod ipſi iucundum,ſuaueque viſum ſit,præceps fertur,antequam vtiléne ſit, atque honeſtum, an noxium,& turpe cognouerit: hanc igitur,quæ vehementiſſima eſt,cohibere priùs oportet,quàm vbi incrementum acceperit,viribus inuictam, inexpugnabilémque ſe præbeat: tunc enim etiamſi volueris, eam vltra compeſcere non poteris; ac tunc demùm id dices, quod olim quemdam amantem audiui dicere,velle ſe quidem deſinere,ſed non poſſe,fruſtráque me aduocabis, quemadmodum & ille quondam, vt tibi ſupplicanti opem feram, vitiúmque

huiuſmodi excidam: nam corporis etiam nonnulla vitia propter magnitudinem inſanabilia ſunt, quod ipſum fortaſſe tu, ne cogitaſti quidem vnquam ante hoc.

Quid Plutarchus? quàm ſubtiliter hac de re diſputat? ne longior ſim, ſatis fuerit aureum eius locum ex libro de liberis educandis hic exſcribere, vbi hunc ipſum tractat locum, quem præ manibus habemus, eos, quibus minùs commoda educatio fuit, ſtudio adhuc compeſcere poſſe prauos mores, vel motus. [Quòd ſi quis (inquit) haud idoneum exiſtimat ingenium, poſtquam doctrinam, & rectam ad virtutem nactus eſt exercitationem, ingentes naturæ defectus, vt fieri poteſt, non remittere magnum incommodum, immò verò prorſus errare ſe ſciat: ſocordia enim naturæ vires perimit, doctrina tollit ignauiam, facilia quoque ipſos fugiunt negligentes, difficilia quoque cura, & diligentia capeſſuntur, quàm expeditiſſima, quàm efficax ſedulitas, pariter ac labor exiſtat, compluribus in rebus facile, ſi conſpexeris, diſces. Aquarum enim guttæ lapides cauant; ferrum, & æs manuum tractibus obteruntur. Carpentorum rotæ ſummis inflexæ viribus, haud vllo pacto priſtinam rectitudinem reparare poſſunt: curuatas hiſtrionum virgas nullo dirigere modo licet. Quin factus præter naturam labor, naturæ vim ſuperauit. An hæc duntaxat diligentiæ poteſtatem indicant? minimè: immò verò & infinita cætera. Si quod fertile natura ſolum incuriæ datur, ſqualet incultum; quódque natura præſtantius eſt, eò magis ſi per otium, ac negligentiam omiſſum erit, perditur. Eſtne quiſpiam infœcundus, & ſupra modum aſperior ager? at cultus generoſos edet fructus. Quænam arbores ſunt, quæ datæ neglectui non ſimul & tortæ pullulent, & ſteriles perſtent, cùm eædem rectum aſſequutæ patrocinium fructuoſæ ſint, & magnoperè fertiles? Quæ corporis fortitudo non obtunditur, & propter incuriam, mollitiem, & malam valetudinem, ſiue habitudinem non perit? Quæ autem imbecilla adeò natura, quæ per exercitationes, atque certamina ad maximas non augeatur vires? Qui verò equi à primis bene domiti annis, ſuis non obſequuntur ſeſſoribus; qui autem indomiti perſtant, nónne circuire duriſſimi, & animis feroces euaſerunt? Et quid admirari cætera opus eſt, cùm truculentiſſimas feras laboribus mitigari, manſueſieríque plerumque cernamus? Bene Theſſalus ille, qui cùm interrogaretur, quinam abiectiſſimi Theſſalorum eſſent? qui bellicarum rerum quietem agunt, inquit. Et quid multis opus eſt verbis? conſuetudo eſt, quæ longæua permaneat. Si quis proprias, familiaréſque ex conſuetudine virtutes agat, is nullo aberrare poſſe modo videtur. Qua in re vnico vſus exemplo, ampliùs de hiſce rebus prolixiora narrare deſinam. Lycurgus ille Spartanorum legiſlator geminos ex iiſdem parentibus catulos ſuſcipiens, haud ſimilibus educauit moribus: alterum enim helluonem, luxuriaque ſolutum; alterum indagine ſagacem, & venationibus idoneum reddidit. Poſteà cùm aliquando Lacedæmonij vnum in locum conueniſſent, Ad parandam (inquit) virtutem, viri Lacedæmonij, ingens eſt momentum, conſuetudo, diſciplina, doctrina, & vitæ inſtitutio, quæ vobis illicò manifeſta vehementer eſſe faciam: duos ſubinde catulos adducens, cùm ollam in medio, leporémque coram eis poſuiſſet, alter quidem in leporem, alter in ollam magno erupit impetu. Cùm autem Lacedæmonij nondum quidnam id ſibi vellet coniectarent, aut quemadmodum catulos oſtentaſſet, Hi ambo, dixit, iiſdem orti parentibus,

rentibus, cæterùm diuerſam conſuetudinem vitæ aſſequuti, alter guloſus, alter venator euasêre.

Ita quas in lucem egreſſi hauſimus animi propenſiones, vſus, & conſuetudo euellere, & funditùs tollere conſueuit.

Poſtremò Marcus Tullius libro ſecundo de diuinatione: [Illúdne (inquit) dubium eſt, quin multi ita nati eſſent, vt quædam contra naturam deprauata haberent, reſtituerentur, & corrigerentur à natura, cùm ſeipſa reuelaſſet, aut arte, aut Medicina, aut quorum linguæ ſic inhærentes, vt loqui non poſſint, ea ſcalpello reſecta liberarentur; multi etiam naturæ vitium meditatione, atque exercitatione ſuſtulerunt, vt Demoſthenem ſcribit Phalereus, cùm Ro dicere nequiret, exercitatione feciſſe vt pleniſſimè diceret.

Quàm multa oppugnant naturæ propenſiones, quibus omnis Aſtrologia innititur; immò quàm multa eas ſuperant, vel elidunt, penitúſque abradunt? Quid igitur mirum, ſi omnes Aſtrologorum prædictiones nutant? Vſus, conſuetudo, exercitatio, ſtudium, conatus, ars, diſciplina, educatio, patrij mores, ciues externi, ſublunares omnes res, earum fundamentum vocant in ruinam. Qui ſtare poteſt præſagium aduerſus omnes ſublunares cauſas, quarum, vel vna ſatis eſt, euertere omnes Mathematicas machinas.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Exempla eorum, quibuſcum viuimus, eludunt aſtrorum vim.

NEc vſus ſolùm pugnat contra Aſtrorum vim, ſed etiam exempla eorum, quibuſcum degimus, quorum vim ſupra omnem cæli poteſtatem eſſe declarat Plato libro ſecundo de legibus, his verbis: [Vtrùm probabile, an potiùs neceſſarium hoc ipſum eſſe, ſicut cùm quis cum prauis improborum hominum moribus conuerſatur, nec eorum mores adit, ſed delectatur, & indulget, & tamen veluti per iocum reprehendit, quaſi per ſomnium, in ſeipſo percipiens eorum malitiam; tunc profectò neceſſe eſt, vt ſimilis euadat illis, quibus gaudet, etiamſi laudare vereatur.]

Et Plutarchus libro de dignoſcendo vero amico ab adulatore, ſcribit, [tantam habere vim aſſiduam conſuetudinem, vt imprudenter exprimamus vitia eorum, cum quibus agimus; ſic familiares Platonis expreſſiſſe contractos ipſius humeros, ſic Ariſtotelis amicos eius balbutientem linguam imitatos, ſic aſſeclas Alexandri Regis, eius inflexam in alteram partem ceruicem, vocíſque aſperitatem repræſentaſſe.]

Idem libro de liberis educandis [Generaliter (inquit) liberos noſtros flagitioſorum hominum conſortio ſegregare decebit: eorum enim malignitatem reportant; quod & Pythagoras obſcuris quibuſdam præcepit ſermonibus, quos hoc in loco poſitos explanabo, quoniam ad conquirendam virtutem non minimum videntur afferre momentum, quale eſt illud, Ne guſtes ex iis, quibus nigra cauda eſt, hoc eſt, cum hominibus conſuetudinem non eſſe habendam, quos morum deprauatio denigrat.]

Adfert & veterum illud oraculum, Si iuxta claudum habitaueris, diſces & tu claudicare. Quod prouerbium Pindarus quoque vſurpauit:

Claudo vel vni ſi propinquus fueris,

Diſces & ipſe claudicare protinus.

Quid Seneca? quàm eloquens hac in re eſt? [Sumuntur (inquit libro 3. de ira) à conuerſationibus mores, & vt quædam contactu in corpus vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrietas conuictores in amorem vini traxit, impudicorum cœtus fortes etiam viros emollit, auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit: eadem è diuerſo ratio virtutum eſt, vt omne, quod ſecum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & ſalubre cælum, quàm animis parum firmis in turba meliorum verſari. Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque conuictu noſtro manſueſcere, nulliúque immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa ſit.

Idem libro de tranquillitate vitæ: [Serpunt (inquit) vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque ſicut in peſtilentia curandum eſt, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula inde trahemus, afflatúque ipſo in proximo laborabimus; ita amicorum legendis ingeniis dabimus operam, vt quàm minimè inquinatos aſſumamus.]

Idem libro ad Lucilium, non dubitat aſſerere, nullam rem magis pertinere ad ferendos bonos mores, proborum conſuetudine. Acrius idem vrget epiſtolâ ſextâ.

Philo quoque Iudæus libro de prouidentia: [Non facilè (inquit) poteſt euadere, qui degit in regione peſtifera, ac veluti cùm magna vis pluuiæ deſcendit, niſi ſub tecto ſis, neceſſe eſt etiam, ſi ſapiens ſis, imbrem perferre; cùmque frigidiſſimus Boreas perflat, frigore premi, & æſtatis ardore calefieri te oportet. Eodem modo ſi cum iniuſtis vitam agis, neceſſe eſt multa inde mala perpeti.]

Idem Philo apud Euſebium Cæſarienſem, libro 8. de præparatione Euangelica, cap. 4. loquens de Eſſæis: [In ciuitatibus (inquit) non habitant, exiſtimantes, vt contagionem aëris corporibus, ſic conuerſationem animo nocere.]

Et Euſebius Cæſarienſis libro 6. de præparatione Euangelica, cap. 5. In hoc ipſo argumento verſatur, & oſtendit multis de cauſis animum corporis incitamentis reſiſtere, ac de aliorum conſuetudine ſic ait: [Illi, quibuſcum viuimus, voluntatem plerumque noſtram rationibus, aut quouis alio modo ad ſuam conuertunt, & alios meliores, alios deteriores efficiunt: ſolet enim conuerſatio praua nocere, ſicut è contrario bona prodeſſe; bonos quippe mores conuerſatio mala corrumpit, velut etiam praui mores proba conuerſatione corriguntur: ſic igitur rationalis animæ virtus huc, illúcque ab exterioribus fertur.]

Iuris porrò cõſultus leg. ædiles. ff. de ædil. edicto. præſtandũ cenſet domino, ſi in aliena familia ſeruus deterior factus ſit; hoc autem, quòd deterior ſeruus factus ſit, inquit non ſolùm ad corpus, ſed etiam ad animi vitia referendum eſt, vtputà ſi imitatione conſeruorum apud emptorem talis effectus eſt, aleator, vel vinarius, vel erro.] Et cauſa vigeſimaoctaua, quæſtione prima, capite, ſæpe legimus: [Sæpe malorum conſortia etiam bonos corrumpunt.]

Claudat agmen Marſilius Ficinus lib. 3. de triplici vita, cap. 13. [Memento (ait) familiaritatem eorum inire, quibus gratiæ cœleſtes affluant, quod ex bonis animi, fortunæ, corporis perpendes: ſicut enim odor ex muſcho, ſic ex bonis boni non nihil exhalat in proximum, ac ſæpe perſeuerat infuſum, mirificus autem feret cœtus, trium fœlicium, vel duorum, inter ſe moraliter redundantium; memento denique effrenatos, & impudentes, & malignos; ac infœlices procul fugere: hi namque malorum pleni dæmonum, vel radiorum malefici ſunt, & tanquam leproſi, peſtilentéſque non ſolùm tactu nocent, ſed & propinquitate etiam, & aſpectu. Sanè propinquitas ipſa corporum animatorum, putatur eſſe contactus, propter efficacem vaporum exhalationem, foris à calore ſpiritu affecto manantem, maximè autem peſtilens erit flagitioſorum familiaritas, atque crudelium.

Non exēplo modò, ſed & conſiliis, ac ſuaſionibus plurimùm familiares apud familiares valent, qua in re plurimus eſt Galenus, lib. de curādis animi morbis, totámque ferè ſpē emendationis eorū, quæ peccamus in fido, & ſapiente amico collocauit; qui ſeuerus index ac iudex ſit, eorum quæ deliquimus, quia duplicem, inquit, vt Æſopus aiebat, manticam è collo ſuſpenſam gerimus; alteram quidem ante pectus alienorum; alteram verò à tergo noſtrorum ex quo fit, vt aliena ſpectemus ſemper, propria autem nunquam intueri poſſimus. Quam quidem narrationem, cùm omnes probent, vt veram, tum Plato dat cauſam cur id fiat, nobiſque exponit. [Quidquid enim amat (inquit) cæcum eſt erga eam rem quam amat, itaque ſi noſtrûm quiuis ſeipſum maximè omnium diligit, vnuſquiſque noſtrûm ad ſe ipſum maximè cæcus ſit, neceſſe eſt: quomodo igitur propria mala inſpiciet? aut quomodo ſe peccantem intelligat, niſi altero admonente?] Profert exemplum cuiuſdam Cretenſis inſigniter iracundi, quem ipſe ſuis monitis fecit mitiorem.

Quàm numeroſum exercitum conſcripſimus, aduerſus Aſtrologorum apotelesmata! quàm libenter, omnes, qui doctrina pollent, huic militiæ dant nomina? quanto impetu Philoſophorum omnium manus irruunt, in Genethliacorum vanitatem? Innumeras alias acies educere poteramus ſapientum aduerſus Mathematicorum caſtra, ſed non fuit neceſſe; hi ſatis, ſupérque frangunt eorum audaciam, qui ex ſolo corporis temperamento omnes vitæ rationes deducunt: nam ſi ex corporis temperamento inſuperabilis quædam neceſſitas, quæ omnia complectatur, innaſcitur, quod prædicant ſapientes viri de exemplorum vi, & efficacia in vtramque partem futile eſt, & inane: ſi familiarium conſuetudo euincit propenſiones corporis, quod Aſtrologus præſagire certò poſſit, ex conſtitutione corpus, è cœlo hauſta habet nihil.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Obiectorum præſentiam plus habere virium quàm Aſtra.

NIHIL eſt quod æquè in vtramque partem valeat, ac obiectorum præſentia, cuius vi ſolere pertrahi ad bonum malúmve plerique omnes experimur. Hinc laudat Ariſtoteles Troianorum proceres, qui Helenam, ne eius caperentur ſpecie, fugiebant. Hinc prohibuerunt Græci in

certaminibus, & ludis Olympicis, nudare corpora, vt legere eſt, apud Homerum libro 23. Iliados, vbi Euryali, & Epei certamen deſcribit: & lib. 18. Odyſſeæ, vbi Vlyſſis, & Iri luctam refert: hinc iidem vbi inoleuit mos, corpora nudandi, in ludis Olympicis (cuius rei primam originem recenſet Tzetzes Hiſtoricus chiliade prima capite 23. & Philoſtratus in Apollonij libro 6.) lege vetuerunt, huiuſmodi ludis, mulieres ſe inſerere. quò ſpectat & illud Statij Thebaidos lib. 1.

Excluſæ expectant præmia matres.

Et illud Valerij Maxim. lib. 8. c. 16. Berenicis non vulgaris honos, cui ſoli omnium fœminarum Gymnico ſpectaculo intereſſe permiſſum eſt. Et illud Menandri Rhetoris, [In quibuſdam (inquit) Panegyricis conuentibus non ferè viſuntur mulieres.] Quare Sempronius, vt eſt apud Plutarchum in Problem. Rom. cap. 13. vxorem repudiaſſe fertur, quod ludos funebres ſpectaſſet; nec Romani fuerunt hac in re minus cauti, quàm Græci: Auguſtus enim (quod leges apud Suetonium in Auguſto, cap. 44.) fœminis, ne gladiatores quidem, niſi ex ſuperiore loco, ſpectare conceſſit. Athletarum verò ſpectaculo, muliebrem ſexum ſubmouit. Habes in C. de repudiis, l. conſenſu, §. vir quoque, licuiſſe marito, repudiare vxorem, vel ſine iuſta, & probabili cauſa, foris pernoctantem, vel Circenſibus, vel Theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis, in ipſis locis, in quibus hæc aſſolent celebrari, ſe prohibente gaudentem.

Quod Lactantio libro 7. de vero cultu, cap. 20. ſatis cauſæ fuit, vt ſpectacula cuncta damnaret; quoniam magna ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos plurimùm valent.

Et infrà: [In ſcenis quoque (inquit) neſcio an ſit corruptela vitioſior: nam & comicæ fabulæ, de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quò magis ſunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eò magis ſententiarum elegantia perſuadent, & faciliùs inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi, & ornati.]

Infrà: [Tragicæ hiſtoriæ (inquit) ſubiiciunt oculis parricidia, & inceſta Regum malorum; & cothurna ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus, quid aliud niſi libidines docent, & inſtigant, quorum eneruata corpora, & in muliebrem inceſſum habitúmque mollita, impudicas fœminas, inhoneſtis geſtis, mentiuntur? Quid de mimis loquar, corruptelarum præferentibus diſciplinam, qui docent adulatoria dum fingunt, & ſimulatis erudiunt vera? quid iuuenes, aut virgines faciant, cùm fieri ſine pudore, & ſpectari ab omnibus libenter cernunt, admonentur vtique quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maximè concitatur, ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat; probántque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula reuertuntur, nec pueri modò, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos peccare iam non decet, in talem vitiorum ſenitam delabuntur.]

Addamus & aurea S. Cypriani verba lib. 2. epiſtolarum ad Donatum. [Tunc delectat, in mimis turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire, adulterium diſcitur dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe matrona, ad ſpectaculum acceſſerit, de ſpectaculo reuertitur impudica. Ad hæc deinde mo-

rum

rum quanta labes? quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus iuſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam, euirantur mares, omnis honor, & vigor ſexus eneruati corporis dedecore emollitur, pluſque illic placet quiſquis virum in fœminam magis flagrarit, quid non poteſt ſuadere, qui talis eſt? mouet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem.]

Tantam vim habent obiecta præſentia ad commouendos animos; vt eorum etiam imagines, incitamenta ſint acerrima, ad ſcelera quoque perpetranda.

S. Auguſtinus libro 2. de ciuitate Dei expendit locum illum Terentij in Eunucho, vbi Chærea adoleſcens ſuſpectans tabulam, in qua Iouis & Danaes concubitus viſebatur, in feruentem libidinem exarſit.

Quin Propertius lib. 2. elegia 4. impudicitiæ veluti originem aſcribit picturis obſcœnis:

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo,
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæq́, ſuæ noluit eſſe rudes.

Sapienter quidem Ariſtoteles libro ſeptimo Politicorum cap. 17. monet publicos Magiſtratus, vt à Republica huiuſcemodi tabulas, & ſigna ſemoueant.

Lacedæmonij verò non imagines modò, ſed & libros etiam Archilochi parum pudicos à ſua Republica iuſſerunt exulare apud Valerium Maximum lib. 6. c. 3. & meritò quidem: libri enim vehementer libidinem accendunt, quod tradit laſciuiæ Magiſter Ouidius lib. 2. de Remed. amor.

Eloquar inuitus, teneros ne tange Poetas:
Summoueo dotes, impius ipſe, meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori,
Et cum Callimacho tu quoque Coë noces.
Me certè Sappho meliorem fecit amicæ,
Nec rigidos mores Teia Muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cuius opus Cynthia ſola fuit.
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo,
Et mea neſcio quid carmina tale ſonant.

Quare ſanctus Baſilius oratione de Poëtis cautè legendis Poëtas adulteria Deorum impudenter deſcribentes ablegandos cenſet.

Quid Hiero Syracuſanorum Tyrannus? nónne Epicharmum Poëtam comicum multa affecit, quòd vxore ſua præſente laſciuum neſcio quid protuliſſet?

Romulique legibus, vt eſt apud Plutarchum in vita Romuli, qui coram fœminis obſcœnum aliquid dixiſſet, non ſecus quàm homicida puniebatur. Quod Iuriſconſultus noſter æmulatus litem apud Labeonem §. qui turpibus. ff. de iniuriis. iniuriarū voluit teneri, qui cum muliere turpes ſermones miſcent.

Rectè Tertullianus libro primo ad vxorem:

Bonos corrumpunt mores congreſſus praui.

Et Naumidius Poëta:

Verba bonos vitiant mulierum turpia mores.

Ruſus

Rurſus Pontanus lib.1.de Amore:

Corrumpunt maledicta animum, moreſq́, verendos.
In veros ſenſus ſæpe abiere ioci.
Laſciuos igitur ſenſus, laſciuaq́, verba,
Pignoribus noſtris ritè cauenda vides.

Mantuanus contra eos qui petulantiùs ſcribunt:

Verba (inquit) *mouent animos, oris laſciuia pectus*
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit.

Quare Marcus Tullius non iniuriâ ſuccenſuit Poëtis libro primo de natura Deorum. [Nec enim multò abſurdiora ſunt (inquit) ea, quæ Poëtarum vocibus fuſa, ipſâ ſuauitate nocuerunt : qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos : fecerúntque vt eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus ; odia præterea, diſſidia, diſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes effuſas in omnem intemperantiam libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus mortaléſque ex immortali procreatos.

Itaque Clemens Alexandrinus libro ſecundo Pædagogi, capite decimo. [Impudicorum (inquit) verborum & turpium figurarum, meretriciorum oſculorum, & huiuſmodi laſciuiarum nomina ne ſunt quidem memoria tenenda, Beatum ſequentibus Apoſtolum, qui apertè dicit ad Epheſios 5. Fornicatio autem & omnis obſcœnitas ne nominetur quidem apud vos, ſicut decet Sanctos.]

Si tanta eſt imaginum & verborum vis ad pelliciendos animos, quanta erit rerum ipſarum efficacia? Non eſt mihi per Romanas aut Græcas hiſtorias longiùs eundum, nec commemoranda quæ de Antonio Caracalla & Iulia eius Nouerca narrat Ælius Spartianus, aut quæ de Tyberio voluptatis libidiniſque aſſertore impudentiſſimo, refert Suetonius in eius vita, aut quæ recenſet Plutarchus in Amatoriis narrationibus de Strabone qui Ariſtocleam formoſiſſimam puellam nudam videns, in eam magno vtriuſque malo exarſit. Habemus enim domeſtica exempla, Suſannæ & Seniorum Iſraël Danielis 13. capite, Dauidis & Berſabeæ libro ſecundo Regum cap.11. [Neque enim (inquit ſanctus Hieronymus) eris vel ſanctior Dauide, vel ſapientior Salomone, vel Samſone fortior.]

Plorat præterea ſanctus Auguſtinus grauiſſimos quorumdam, quibus non minùs quàm Ambroſio & Hieronymo deferebat, lapſus ob incautam mulierum conſuetudinem.

Nec propria eſt hæc Venerei obiecti vis, ſed communis : cernimus enim lapſos ferè vniuerſos (aliqui enim ſe continuêre) ex præſentiſſima ambitionis, furti, cædis, gulæ, adulterij opportunitate. Per quotidiana experimenta videmus accendi iracundiam iniuriis, irritari odium præſentia inimici, ſuſcitari conſopitas animi appetitiones à vehementi obiecto.

Valet hoc idem in vtramque partem : quoties enim cernimus homines nequiter affectos ſi in aliquam incidant ciuitatem, viciniam, domum, contubernium, pietatis, modeſtiæ, ſobrietatis, continentiæ, frugalitatis, plenum ſuorum ſcelerum pertæſos reſipiſcere, aut certè perfundi pudore, qui primus eſt, auctore Galeno, vitæ emendatioris gradus. Ex huiuſmodi porro actionibus præſente obiecto conceptis omnes vitæ rationes cùm dependeant, (inde enim adulte

adulteria, inde matrimonia, inde cædes, inde rixæ, ſimultates, perpetuæque inimicitiæ, inde morbi & ægritudines, inde vita & mors) Aſtrologos iure prohibemus in poſterum, de amicitiis & inimicitiis, de matrimoniis & liberis, de principum gratia & beneuolentia, de morbo & morte, de vitæ aut mortis genere ex ſyderali temperamento præſagire; fortior eſt enim obiecti præſentia quouis temperamento è ſtellis delapſo, cuius eſt enim tanta conſtantia, tam firmum ac ſolidum pectus, quod non frangat vehemens & violentum obiectum? Quid reſpondebunt ſtellarum internuncij? An dicent rapi quidem ſenſus omnes à præſenti obiecto, ſed eò trahi quò naturalis procliuitas vergit? ſit ita: at niſi vrgeret obiectum, niſi accenderet appetitionem, natura ſponte ſua non conciperet huiuſmodi motus: quid enim faciunt obiecta, de quibus locuti ſumus, ſi tantumdem natura præſtaret per ſe nullo vrgente obiecto, quantùm facit inſtigante obiecto? Iam vero ſi agente obiecto ſuſcipit eas appetitiones animus, quas ſuſcipit, nullam aut fere nullam Aſtrologi ex ſolo temperamento corporis capere valent coniecturam. De hac ipſa obiectorum præſentia ex temperatione corporis audebunt fortaſſe vaticinari. Primò infinitam rerum ſyluam ingrediuntur ex omnium mortalium & immortalium bonorum malorúmque genere cohærentem. Nam ſi quæcumque in omni vita obiicienda ſint ſenſibus, explorari de cœlo poſſe confidunt, nihil eſt cur è cœlo cognoſcere non poſſint, quot atomi lucente Sole per aërem volitent, quot & quæ folia bruma adueniente è ſyluis decidãt; quæ maris partes furente Borea dimouendæ ſint; quot arenæ in littore maris iaceant: Deinde hæc obiectorum occurſatio à liberis aliorum voluntatibus pendent, quos alterius temperamentum commouere non poteſt. Denique quæ eſt iſta præpoſtera reſponſio? Nos docuimus obiecta iniicere quaſi violentas manus ſenſibus, iſti vt exuant difficultatem explicant quomodo à ſenſibus trahantur obiecta. O ridiculam diſciplinam! ô nouam Dialecticam!

CAPVT TRIGESIMVM.

Ad mores plus valere genus, conditionem, fortunam, quàm aſtra.

QVANTVM ad virtutem aut vitium ponderis habeat externorum bonorum copia vel inopia, Roma teſtatur, quæ Aſiæ quam vicerat victa ſuccubuit, vicerat armis, frugalitate, patientia, victa eſt opibus, luxu, deliciis. Omnéſne priſcorum horoſcopi viriles fuerunt, effœminati recentiorum: parum certè vel nihil ad eam rem pertinuerunt aſtra, ſed mediocritas, tenuitas, opulentia, voluptas, fuerunt horoſcopis potentiores.

Queruntur boni ſcriptores de ſuorum temporum corruptela, priſcas commendant ætates ſub eodem cœli tractu, & ſub eodẽ climate non diuerſos modò, ſed etiam contrarios fuiſſe mores tradunt. Vnus inſtar eſſe poteſt multorum Seuerinus Boëtius metro 5. lib. 2. ſic inquiens:

Fœlix nimiùm prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec incerto perdita luxu
Facilíque ſera ſolebat
Ieiunia ſoluere glande,
Somnos dabat herba ſalubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Vmbras altiſſima pinus,
Nondum maris alta ſecabat,
Nec mercibus vndique lectis
Noua littora viderat hoſpes,
Odiis neque fretus acerbis
Cruor homicida tinxerat arma:
Quid enim furor hoſticus vlla
Vellet prior arma mouere,
Cùm vulnera ſæua viderent,
Nec præmia ſanguinis vlla?

Sed libeat Chriſtiano philoſopho addere Gentilem Poëtam Iuuenalem qui Satyra vndecima in ſuorum temporum ingluuiem acerrimè inuectus, cùm recenſuiſſet veterum eſcas, ſubdit:

Hæc olim noſtri iam luxurioſa Senatus
Cœna fuit. Curius paruo quæ legerat horto,
Ipſe focis breuibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor:
Qui meminit, calidæ ſapiat quid vulua popinæ.

Quid de copioſis ciuibus, de Dynaſtis, de Regulis ſentit Galenus libro de curandis animi morbis? [Oportet (inquit) qui talia ab amico ſit auditurus neque diuitem eſſe, neque cultu & reuerentia quadam apud ciues ſuos eſſe conſpicuum: nam ſi eiuſmodi reuerentia inſignis fuerit, nemo planè illi vellet vera dicere ob timorem, quemadmodum ne locupletibus quidem ſolent adulatores lucri gratia: quin etiam ſi quem iſtis veridicum aliquis caſus obtulerit ad ſe hunc illicò ſuóſque mores diſtrahere conſueuerunt: ſi quis igitur ſit vel apprimè potens vel opulentus, qui velit in virum egregium ac frugi euadere, ab hoc deponi ſe ipſum neceſſe erit, atque his præſertim temporibus, in quibus nullus ſit inueniendus Diogenes, qui opulentiſſimo ac Monarchæ cuipiam ſit dicturus veritatem. Illi igitur quod ſibi facto opus ſit viderint.]

Ibidem: [Cùm audieris in vrbe (inquit) quempiam ex iis, quos ſibi neque amore vllo, neque odio proſequendos intelligis, laudari à multis, quòd nullis hominibus aduletur, cùm tu ad illum vbi propiùs acceſſeris, quò de illo poſſis ferre iudicium, num ſit talis qualis eſſe perhibetur, huiuſmodi periculum facias primùm, ſi videas ab homine & diuitum & apprimè potentum, aut etiam Principum ac Tyrannorum ædes frequentari, pro comperto habe te fruſtra audiuiſſe hominem omnia vera dicere ſolere (obſequia quippe huiuſmodi mendacium ſequi conſueuit.) Deinde ſiue id genus hominum ſalutantem, ſiue illis ſe ipſum comitem exhibentem, conuiuiiſque illorum ac cœnis inferentem conſpicias, quiſquis enim huiuſmodi generis vitam ſibi ipſi ſequendam propoſuit, non ſolùm non verax eſſe conſueuit, ſed etiam omnem malitiam habere

neceſſa

neceſſariò, quippe qui aut pecuniarum, aut principatus, aut gloriæ, aut honoris ſit cupidus, & vel aliquibus eorum ſeorſim, vel omnibus ſimul inſidietur.

Nec Ariſtoteles non vidit bona fortunæ ſecum afferre mores, qui libro ſecundo Rhetoricorum, capite decimotertio diſſerit de moribus Nobilium, & capite decimoſexto. [Mores autem (inquit) qui diuitias comitantur, facilè omnes perſpicere poſſunt: contumelioſiores namque ſunt ac ſuperbi, qui poſſeſſione opum perturbantur: nam quaſi bona poſſideant ſic afficiuntur, ſunt enim quaſi pretium aliorum diuitiæ, quibus eorum dignitas æſtimatur, & idcirco cuncta videntur emi poſſe diuitiis; delicati etiam ſunt, ſibique plurimum arrogantes, illud, propter delicias ac fœlicitatis oſtentationem; hoc, quoniam omnes in eo verſari ſoliti ſunt quod ipſi amant & admirantur, & quoniam quæ ipſi, ea cæteros quoque putant admirari, nec iniuria ſic affecti ſunt, cùm multi ſint qui habentium auxilio egeant. Vnde à Simonide quoque de diuitibus & ſapientibus ad Hieronis vxorem dictum eſt, cùm interrogaſſet vtrùm melius eſſet diuitem an ſapientem eſſe; ſapientem, inquit: ſapientem enim in diuitum ianuis video.]

Plato dialogo quarto de Republica. [Ex vtriſque (inquit) tam opulẽtia quàm paupertate & praua artificum opera, & ipſi artifices praui fiunt.

Rurſus infrà loquens de opulentia & inopia. [Illa (inquit) delicias, deſidiam, ſeditiones, rerum nouarum ſtudium parit, hæc autem cum rerum innouatione illiberalitatem & maleficia gignit.]

Meritò ſanè Seneca in Hippol. laudat eos qui ruralem vitã degũt his verbis:

Non alia magis eſt libera & vitio carens,
Ritúſque meliùs vita qua priſcos colat,
Quàm qua relictis mœnibus ſyluas amat,
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis,
Non ille regno ſeruit, ac regno inuidet,
Spei metúſque liber, aut illum niger
Edax liuor dente degeneri petit,
Nec ſcelera populos atque inter vrbes ſita
Nocuit, nec omnes conſcius ſtrepitus pauet.

Quid Venuſinus Horat. lib. 2. Sat. 2.

— *Vides, vt pallidus omnis*
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægrauat vna,
Atque affligit humo diuinæ particulam auræ.
Alter, vbi dicto citiùs curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.

Rurſus infrà.

Ruſticus inermis ſapiens craſſáque mineruæ
Diſcite non inter lances menſaſque nitentes
Cùm ſtupet in ſanis acies fulgoribus, & cum
Auditis falſis animus meliora recuſat:
Verùm hic impranſi mecum diſquirite cur hoc
Dicam ſi potero malè verum examinat omnis
Corruptus iudex. ———

Digitized by Google

Idem libro 2. Ode 16.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum:
Nec leues ſomnos timor, aut cupido
Sordidus aufert. ------

Laudat Ouid. lib. 5. Faſtorum veterum moderata conuiuia:

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.

Nonne à parentum ſtatu pendent hæc plurimùm? An aſtra in pauperum tuguriis inſtruent opulentas menſas? an cœlum apparabit cœnas Luculleiáque conuiuia? ſed veniamus ad geneſim. Nonne ex nobilibus nobiles, ex diuitibus diuites, ex Principibus Principes, opifices ex opificibus, ex ſtabulariis ſtabularij, ex nautis nautæ, ferè ſolent naſci quouis ſub cœlo? An genus etiam genitale ſydus largitur? Cypariſſi fructus? An cœlum principatus largitur? Cur ſolis Regum filiis præterea nulli, in Hiſpania, in Gallia patris ſemper filius eſt hæres imperij? Num Gallorum Hiſpanorúmque Reginæ regales ſtellas opperiuntur, vt concipiant aut pariant? cur aliæ matres eaſdem non ſpectant?

Scitè Plinius lib. 7. cap. 49. & breuiter, [Hoc quotidie toto mundo euenit, vt pariter domini ac ſerui gignantur, Reges & inopes.]

Quantum verò ruſticana vita, labor & quies, quantum vrbani ſtrepitus, & negotia & faſtus valeant ad morum rationem, quis ignorat? Vulgatiſſimum eſt Horatianum illud:

Beatus ille qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni fœnore.
Neque excitatur claßico miles truci
Nec horret iratum mare,
Forúmque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

Vulgatiſſimum & illud Virgilij Georgicon 2. lib.

Fortunatus & ille Deos qui nouit agreſtes,
Panaq;, Syluanúmque ſenem, Nymphaſq; ſorores.
Illum non populi faſces, non purpura Regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,
Aut coniurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Non res Romana, perituráque regna, neque ille
Aut doluit miſerans inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulère ſua, carpſit: nec ferrea iura,
Inſanúmque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alij remis freta cæca, ruúntque
In ferrum: penetrant aulas, & limina Regum.
Hic petit excidiis vrbem, miſeróſque penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.
Condit opes alius, defoſſóque incubat auro.

Hic ſtupet attonitus roſtris, hunc plauſus hiantem
Per cuneos, geminatus enim plebiſq; patrúmque
Corripuit, gaudent perfuſi ſanguine fratrum
Exilióque domos, & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt ſub ſole iacentem.
Agricola incuruo terram dimouit aratro,
Hinc anni labor, hinc patriam, paruóſque nepotes
Suſtinet: hinc armenta boum, meritóſque iuuencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealia margine culmi,
Prouentúque oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande ſues læti redeunt, dant arbuta ſyluæ,
Et varios ponit fœtus Autumnus, & altè
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea dulces pendent circùm oſcula nati,
Caſta pudicitiam ſeruat domus, vbera vaccæ
Lactea demittunt, pinguéſque in gramine læto
Inter ſe aduerſis luctantur cornibus hædi.
Ipſe dies agitat feſtos, fuſúſque per herbam,
Ignis vbi in medio, & ſocij cratera coronant.

Vulgatiſſimum illud Tibulli libro primo elegia decima.

Quàm potius laudandus hic eſt, quem prole parata,
Occupat in parua pigra ſenecta caſa.
Ipſe ſuas ſectatur oues: at filius agnos,
Et calidam feſſo comparat vxor aquam.
Sic ego ſim, liceatq; caput caneſcere canis,
Temporis & priſci facta referre ſenem.

Vulgatiſsimum denique illud Claudiani:

Fœlix qui propriis æuum tranſegit in aruis,
Ipſa domus puerum, quem vidit ipſa ſenem.
Qui baculo nitens in qua reptauit arena,
Vnius numerat ſecula longa caſæ.
Non illum vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſsica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum vicinæ neſcius vrbis,
Aſpectu fruitur liberiore fori.
Frugibus alternis non Conſule computat annum,
Autumnum pomis ver ſibi flore notat:
Idem condit ager ſoles, idémque reducit,
Metitúrque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo quæ in gramine quercum,
Æquæuumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora rubra lacus:

Sed tamen indomitæ vires firmiſque lacertis
Ætas robuſtum tertia cernit auum.
Erret,& extremos alter ſcrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ,plus habet ille viæ.

Claudianus item libro primo in Ruffinum:

Hæc mihi paupertas auguſtior,hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis, tibi quærit inanis
Luxuries nocitura cibos,mihi donat ineptas
Terra dapes,rapiunt Tyrios tibi vellera ſuccos,
Et picturatæ ſaturantur murice veſtes.
Hic radiant flores,& prati viua voluptas
Ingenio variata tuo,fulgentibus illic
Surgunt ſtructa thoris,hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura ſoporem
Turba ſalutantem latas tibi proſtrepit ædes,
Hic auium cantus labentis murmura riui.

Quid mihi iam diu nauſeanti genitalem horoſcopum obtrudis? Plus momenti eſt in ruſticano vitæ genere ab omni cura ſoluto, libero à forenſium cauſarum ſtrepitu,à ciuium ſimultatibus, ab inſidiis potentum,ab æqualium æmulatione,ab inimicorum fraudibus, à partium contentionibus, quàm in ſtellis quibuſcumque doctiſſimorum hominum ſententia: his plus tribuo, & iure, quàm nugiuendulis Aſtrologis.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

Maiorem caſus in moribus habet vim quàm Aſtra.

NEc infrequenter ratio morum ducitur ex caſibus. Quàm crebrò opus vnum aliquod fortuitum plurimorum ſeminarium eſt? Dum aliud ex alio trahitur,noctè vna quis patrimonium alea profudit, vertit ſe ſtatim ad furtum,ad fœnus,ad rapinam,ad ſeruitium,ad opificium,& in iis,de quibus nihil antè cogitauerat,conſeneſcit. Laceſſitur alius probro, iniuria,maledicto,indignè fert,vulnerat laceſſentem. Hinc odia, neces,rixæ, & familiarum perpetuæ ſimultates. Iter facit adoleſcens, obuiámque habet mulierculam in cuius amore exardeſcit, eámque ſibi matrimonio poſcit, atque iungit,inuitis parentibus, eam ob rem exhæredatur à patre,eiicitur domo,agit longè à ſuis,viuit ex fraudibus,rapinis,lenociniis. quàm multa id genus in dies videmus?

Sanguinarius viciſſim impotens ſui,ſuperciliofus,petulans,aleator,blatero, impudicus, iuuenis,diuturnitate carceris, iactura bonorum, morbi grauitate, potentiorum iniuria,ſic interdum edomatur,vt ad meliorem frugem conuerſus,reliquo vitæ tempore temperantiam, iuſtitiam,modeſtiam,pietatem colat. Hinc Ouidiana illa libri vndecimi Metamorphoſeos:

Aſpera creſcit hyems, omnique à parte feroces

 Bella

Bellagerunt venti, fretáque indignantia miſcent.
Hic votis numen aderat.

Et alia libro 3. Faſtorum.
Vincitur ars vento, nec iam moderator habenis
Vtitur, at votis, is quoque poſcit opem.

Quare & Lucretius libro 3. rerum naturalium:
Multóque (ait) in rebus acerbis
Acriùs aduertunt animos ad religionem,
Quò magis in dubiis homines ſpectare periclis
Conuenit, aduerſiſque in rebus noſcere qui ſint:
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, & eripitur perſona, manet res.

Syluius Italicus libro 7.
Tanta adeò cùm res trepidæ reuerentia diuûm
Naſcitur. ———

Quid nugaris Aſtrologe circa corporis temperamentum? Præter omnem propenſionem, præter inclinationem omnem naturæ, præter voluntatem, immò & præter opinionem ſæpenumero accidunt quædam, quibus in aliud longè vitæ genus agimur, quàm natura poſtulet: vrgétque ſæpe repentina neceſſitas, & ſuſceptum iam vitæ inſtitutum deſerere cogimur, eáque relinquere, in quæ magna naturæ procliuitate ferebamur. Age verò, cantu & modulatu morbos curari nónne ſcribit Plato lib. 4. de Republica, Plinius libro 2. cap. 28. Ammianus Marcellinus libro 16.

[Creditum hoc à pleriſque eſt (inquit Gellius libro 4. cap. 13.) & memoriæ mandatum, Iſchiadici cùm maximè doleant, tum ſi modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores]. Ego nuperrimè in libro Theophraſti ſcriptum inueni, viperarum morſibus tibicinem rectè modulatéque adhibitam mederi. Refert & Democriti liber qui inſcribitur, περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν, in quo docet plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentiones tibiarum, tanta proſus eſt affinitas corporibus hominum mentibúſque, & propterea quoque vitiis aut medelis animorum & corporum. Pythagoras etiam perturbationes animi lyra componebat, vt ſcribit Seneca libro de Ira.

Et Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberauit. Aſclepiades quoque phreneticorum mentes ſæpe per ſymphoniam ſanitati reſtituit, vt auctor eſt Cenſorinus libro de die natali.

Scribit & Plutarchus libro de Muſica, irarum ardores concentu reſidere, molliri animi mores: id quod exemplis illuſtrat Ælianus libro 14. variæ hiſtoriæ.

Tu verò Genethliace, ſi intelligis tam multis variiſque cauſis compeſci animi perturbationes à naturali temperamento ortas: ſi fateris infinitis modis corporis motus frangi & retundi, qua conſequentia ex ſyderali temperamento deducis omnes vitæ & mortis rationes. Video Aſtrologos iam vnco ad ſcalas Gemonias lethaliter infractos. Ideo ad alia tranſgredior.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Principum ſeueritatem & leges facere plurimum ad morum diſciplinam.

VT Principum ſocordia ad omnem morum corruptelam habenas laxat, ita eorum ſeueritas quamuis effrenem & inſoleſcentem naturam coërcet. Propterea Plato libris de legibus grauiter commendat iis qui cum imperio ſunt, vt primam operam ponant in ſontibus puniendis. Et Ariſtoteles libro 10. Ethicorum capite vltimo, [Si verba ad reddendos homines (inquit) probos ſufficerent, multas ſanè & magnas mercedes, vt inquit Theognis, afferrent, oporteretque ea comparare. Sed videtur quidem poſſe liberales adoleſcentes hortari atque inuitari, moreſque eorum ex virtute ſibi obnoxios generoſos, ac veræ honeſtatis ſtudioſos reddere, at pleroſque ad probitatem prouocare non poſſe; non enim pudori ſed timori obedire, neque abſtinere à malis ob dedecus, ſed ob pœnam conſueuerunt. Nam cùm ex affectu viuant, proprias voluptates, atque ea ex quibus exiſtunt perſequuntur, doloreſque oppoſitos fugiunt; eius autem quod honeſtum ac verè iucundum eſt, cum id prorſus non guſtauerint, ne notionem quidem vllam habent. Eos igitur qui tales ſunt ad moderationem traducere quæ oratio poſſet? fieri enim nequit, aut facile non eſt, vt quæ ex diutino vſu moribus ſunt præoccupata verbis amoueamus, ſed ſatis fortaſſe eſt, ſi quamuis omnia adſint, quibus probi effici videmur, euadere participes virtutis poſſimus. Fieri autem bonos alij natura, alij conſuetudine, alij doctrina exiſtimant, ac quod ad naturam quidem attinet, in nobis non eſſe manifeſtum eſt, ſed ex quadam diuina cauſa iis qui reuera fortunati ſunt. Oratio verò & doctrina videndum eſt, numquid non in omnibus vim habeant, ſed opus ſit, vt præculſus auditoris animus ſit ad rectè viuendum & gaudendum, & odio proſequendum, non ſecus ac terra, quæ ſemen ſit nutritura: non enim audiret orationem dehortantem, neque intelligeret, qui ex perturbatione viuit. Qui autem ita affectus eſt, diſſuaderi qui poteſt? non enim omnino rationi ſed vi cedere perturbatio videtur. Oportet igitur mores prius virtuti eſſe accommodatos, & vt honeſtatem diligant & abhorreant turpitudinem. Vt autem à pueritia quis inſtitutione recta ad virtutem inſtruatur, difficile eſt, niſi ſub talibus legibus fuerit educatus: nam temperanter toleranterque viuere pleriſque, & præſertim adoleſcentibus iucundum non eſt. Quocirca eſt opus vt educatio & ſtudia conſtituta legibus ſint: ita enim fiet, vt conſuetudine tractata moleſta eſſe deſinant; neque ſatis tamen fortaſſe eſt, ſi quando adoleſcentes ſunt homines educationem rectam & curam conſequantur, ſed cùm in viros quoque adulti debeant ipſa hæc exercere, atque aſſueſcere, ad hæc etiam, & omnino ad omnem vitam opus legibus eſt: plerique enim neceſſitati potiùs quàm rationibus, & mulctis quàm honeſtati obediunt. Quapropter ſunt qui legiſlatores cenſeāt inuitare ad virtutem, ac prouocare homines honeſtatis cauſa debere, eò quòd probi ex conſuetudine

Digitized by Google

ſuetudine præcipuè obtemperaturi ſint; illis verò qui non parent,ſuntque natura inertiores, caſtigationes, & pœnas irrogare. Qui autem inſanabiles ſunt, prorſus exterminare: probum enim, & qui ad honeſtatem viuit, rationi eſſe obediturum; prauam autem voluntatem appetentem, non ſecus ac iumentum dolore puniri. Vnde etiam tales dolores exhiberi oportere inquiunt, qui voluptatibus, quæ amantur, maximè aduerſentur. Quòd ſi, quemadmodum dictum eſt, eum, qui bonus futurus eſt, honeſtè educatum eſſe, & aſſuetum oportet, deinde ita in honeſtis ſtudiis viuere,& neque inuitum, neque ſponte praua agere; id autem fieret, ſi ex intellectu quodam, & recto ordine vim habente,vita traduceretur:paterna quidem iuſſio neque vim,neque neceſſitatem habet: ſicque omnino viri vnius, niſi Rex, aut talis aliquis ſit. At lex cùm ex prudentia quadam ex mente profecta oratio ſit,cogendi vim habet; atque homines quidem,qui appetitionibus aduerſantur,etiamſi rectè id faciant,plerique odio proſequuntur: at lex cùm probitatem iubet,odio non eſt.]

Vides quantum legum,Principúmque vel ignauia ad malum, vel ſedulitate ad bonum homines inflammentur, qualemqualem naturam nacti ſint. Si hoc non vides, pudendam prodis rerum ciuilium, & publicarum imperitiam; ſi vides,agnoſce in homine principatum etiam in ſydera,ſiquidem ſapiens dominabitur aſtris. Deſine in nos agitare cæleſtes Leones, Tauros,Capricornos, Scorpiones, Vrſos. Fictis terriculamentis opponimus publicam poteſtatem, Conſulum faſces, & ſecures, Regum ſceptra, & nudatos gladios, Principum ſatellitium. Vincentur autem ficta à veris, cedétque volens nolens naturalis propenſio poteſtati publicæ.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Conſcientiam etiam obſtare prauis corporis propenſionibus.

AT nullus ſit ſupplicij metus in ipſo rationis lumine, ex qua omnis humana actio deducitur,magnum eſt aduerſus corporis prauas propenſiones virtutis præſidium,quod vt planum faciamus,paulò altiùs repetendum eſt exordium. Sunt enim hominis propenſiones quædam,quæ corpori inſident,& ad res corporatas vergunt; quædam contrà non ex corporis temperamento,neque ex ſyderum afflatu,ſed ex animorum noſtrorum natura ortum habent, quæ nihil humile, aut abiectum ſpectant, ſed in ſublime feruntur. Sicut enim animus noſter extrinſecùs aduenit corpori, auctore etiam Ariſtotele,ita defert ſecum proprietates,& facultates quaſdam à corpore alienas:quarum tam valida,& vehemens eſt natura, vt corporum propenſiones ſæpenumerò vincat, frangátque eius petulantiam, aut certè labefactet plurimùm. Huius generis ſunt ſemina illa virtutum,quæ humanis mentibus inſita ſunt ſine vlla diſciplina, quæ animorum propenſiones ad honeſtatem,licèt dum inualeſcunt affectus,dum corporales appetitiones inſoleſcunt, tardiores,ac debiliores ſint; cùm tamen deferbuêre perturbationes, & corporales motus, animúſque ſibi redditus eſt, obiicit ſeſe nobis etiam nolentibus lux quædam, & ſpecies honeſtatis, ratióque ipſa, tamquam poſtliminio in locum, vnde deiecta fuerat, redit, & ſanioris conſilij ſementem facit: ita vt

Digitized by Google

nefarium quemlibet, licèt obluctante corporis temperamento, ac peccandi libidine, à facinoroſis actionibus reuocet. Hinc angores, qui peccantem excruciant, hinc ſuffuſus rubor, & pudor, hinc ſeipſum increpantis pœnitentia, hinc admiſſi ſceleris occultatio, hinc permoleſta anteactæ vitæ recordatio.

[Quòd ſi homines (inquit Marcus Tullius libro 1. de legibus) ab iniuria pœna, non natura arcere deberet, quænam ſollicitudo vexaret impios, ſublato ſuppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax vnquam fuit, quin aut abnueret à ſe commiſſum eſſe facinus, aut iuſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, defenſionémque facinoris à natura iure aliquo quæreret. Quæ ſi appellare audent impij, quo tandem ſtudio colentur à bonis? Quòd ſi pœna, ſi metus ſupplicij, non ipſa turpitudo deterret ab iniurioſa, facinoroſáque vita, nemo eſt iniuſtus, at incauti potiùs habendi ſunt improbi. Tum autem qui non ipſo honeſto mouemur, vt boni viri ſimus, ſed vtilitate aliqua, aut fructu, callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem, vel iudicem? quid in deſerto loco nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillem, atque ſolum? Noſter quidem hic naturâ iuſtus vir, ac bonus, etiam colloquetur, iuuabit, in viam deducet; is verò, qui nihil alterius cauſa facit, & metitur ſuis commodis omnia, videtis, credo, quid ſit acturus.]

Pleni ſunt Philoſophorum, Oratorum, Poëtarum libri conſcientiæ angoribus, qui nefarios homines diu, noctúque exedunt.

Iuuenalis ſatyra 13.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori. Prima hæc eſt vltio, quòd ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallaci Prætoris vicerit vrnâ.
Quid ſentire putas omnes, Caluine, recenti
De ſcelere, & fidei violatæ crimine?

Idem ibidem:

——— *Cur tamen hos tu*
Euaſiſſe putes: quos dixi, conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò ſæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte, dieq́, ſuum geſtare in pectore teſtem.

Lucanus libro 7. Pharſ.

——— *Omnes in Cæſare manes*
Hunc omnes gladij, quos vt Pharſalia vidit,
Aut vltrix viſura dies ſtringente Senatu
Illa nocte premunt, hunc infera monſtra flagellant.
Heu quantum miſero pœnæ mens conſcia donat!

Seneca in Hippolyto:

Quid pœna præſens, conſcia mentis pauor,
Animuſq́, culpa plenus, & timet timens?
Scelus aliqua tutum nulla ſecurum ſubit.

Statius libro 3. Thebaidos:

——— *Inuigilant animo, ſcelerisq́, patrati*

Supplicium

Supplicium exercent curæ, tunc plurima verſat
Peßimus in dubiis timor.

Plautus in Milite:

At hoc me facinus miſerum macerat,
Meumq́; cor, corpuſq́; cruciat.

Cùm itaq; & animo, & corpori inſint,propenſiones, & vires,& impellant illæ huc, hæ illuc propendeant; vincat autem ſæpe recta ratio, diuinis præſertim firmata præſidiis; quale tandem Aſtrologus habet vaticinium, quod capiat ex temperamento corporis? Fidit corporeis cupiditatibus,quid ſi animus præualeat, omnia ſine dubio aberrant Aſtrologica inſtrumenta. At ſi conſcientiæ voces non audiunt omnes, ita ſit,audiunt tamen plurimi; ſi non audiunt vbique,at alicubi;ſi non quouis tempore,aliquando tamen,& quidem frequenter, & vt plurimùm;ſi non in leuibus,at in valdè facinoroſis. Itaque cùm ab iis,qui ſuapte natura placerent,abſterreat conſcientia,incertum ſine dubio,& mendax ſit omne iudicium, quod ex ſola corporis conſtitutione deſumitur.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

Multæ præterea cauſæ, quæ efficiunt, ne quis ſequatur ſyderum impulſum.

QVID ego loquar de parentum,liberorum,fratrum,ſororum,propinquorum omnium charitate?Quàm multa in horum gratiam gerimus, aut patimur,ab iis moribus,& ſtudiis,quæ naſcendo hauſimus,abhorrentia? Quid de coniugibus, quorum primam eſſe ſocietatem, & generis humani conſeruatricem ſcribit Ariſtoteles in Oeconomicis?Quàm innumerabilia ſunt, quæ quotidie coniux coniugi præſtat officia aliena ab iis, in quæ natura fertur ſua,cùm vnus alteri placere præcupiat, ſibi diſplicere neceſſariò cogitur? Pleni ſunt Platonis dialogi,Lyſis & conuiuium, Ariſtotelis Ethicorum libri duo,8. & 9. Lælius Ciceronis de amicitia,quæ cogit nos plurima in amicorum gratiam facere,aduerſante,& renitente natura.Quid non amicus amici gratia profundit,opes,honores,vitam,cuius amor videtur maximus. Studium præterea ſocietatis quàm aduerſetur priuatis commodis,intelligi poteſt ex eo, quòd ſi articulus aliquis incidat, quo quis vel ſuæ patriæ euerſionem pati, vel iis,quæ priuatim appetit,carere oporteat, nullum reperies,niſi perditiſſimum, qui patriæ ſalutem ſuis rationibus non anteponat, ſicut pars quælibet agente natura pro totius incolumitate ſe vulnerandam exponit.

Vitæ quoque amor ſyderali impulſui obſtat non rarò. Quas non ſubimus acerbitates,quem lapidem non mouemus,quibus rebus quamquam noſtro genio conſentaneis, non remittimus nuncium, vt ſalutis expediendæ vias, ac rationem aliquam ineamus? Nihil hîc ſibi vendicant aſtra: nam quocumque cælo nati, quacumque radiante ſtella geniti homines experiuntur hoc vitæ tuendæ ſtudium,& propenſionem.

Vnum aliquod membrum ita diligimus,vt illi æquari poſſe putemus nihil. [Adrianus Imperator (inquit Galenus libro de curandis animi morbis) cùm ſtylo ſerui oculum vulneraſſet, atque eruiſſet, ac pòſt illum vidiſſet

ex eo vulnere factum vnoculum, ad ſe vocauit, fecitque ei poteſtatem, vt pro illa calamitate munus à ſe peteret: cùm autem ille miſer taceret, rurſus hortatus eſt Adrianus, vt quidquid vellet peteret; at ille negauit ſe aliud quidpiam petere, optare verò ſe oculum, quem amiſerat.] Enimverò quod tandem munus inueniri poſſit, quo oculus amiſſus rependatur? Rectè Iuriſconſultus Lex hac. ff. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. & l. cùm liberi. ff. de iis, qui deiecerunt, vel effuderunt cicatricum, & deformitatis. dicit, nullam fieri æſtimationem, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem. Quare melior Theologorum pars, quos citat noſter Leonardus Laſſus lib. 2. de iuſtitia, & iure, cap. 9. dubio 23. docet bona corporis non poſſe bonis externis compenſari.

Honoris præterea, & gloriæ appetentiam ad res agendas maximum eſſe calcar, teſtis eſt Ariſtoteles libro 4. Ethicorum, cap. 3. & 4. lib. 1. Rhetoricorum, cap. 15. Plutarchus libro de liberis educandis, Plato in Memnone, & in Alcibiade, primo. Hinc illud:

Excitat auditor ſtudium, laudataq́; virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Ad quos labores, pericula, contentiones, æmulationes ſuæ naturæ licèt diſſentaneas abiicit ſe gloriæ cupidus? Neque verò hanc ipſam cupiditatem ſtellarum ſementem eſſe iactent Genethliaci: nam commune omnibus eſt ſtudium honoris, & animis ipſis inſitum, non corporibus. Quàm multos ignominiæ metus auocat à libidinibus, à furtis, inimicitiis, à vindicta, à latrocinio, à ſtupro, ad quæ procliues in primis ſunt?

Pone tibi ob oculos quemcumque velis ex iis, quos ſub mitiſſimo ſydere genitos aiunt Aſtrologi, laceſſe hunc probro, baculo, verbere, experire an excandeſcat. Cur ita? quia ſtudium honoris tuendi conſignatum animo nulla ſyderum vi deleri poteſt, quia cupiditas honoris potentior eſt omni ſyderum lenitate.

Agedum, ſtudium ſciendi eſtne hauſtum è cælo? [Omnes homines (inquit Ariſtoteles in proœmio Metaphyſices) naturâ ſcire deſiderant, quæcumque nimirùm naſcantur ſtella.] Et quamuis ſicut ingenium, ita & ſciendi cupiditas non par ſit in omnibus, voluptas tamen partæ iam ſcientiæ maxima eſt, auctore Ariſtotele, libro 10. Ethicorum, cap. 6. 7. & 8. libro 12. Metaphyſic. text. 39. quæ facilè ſapientem abſtrahit ab iis, quæ iucunda ſunt corpori: multas quidem fateor occupationes alios diſcendi labor deterret à ſtudio ſapientiæ; nullus tamen eſt, quem ſciendi cupiditas non teneat. Varia ſunt hominum ſtudia, alios rerum cæleſtium contemplatio habet, alios Iuriſprudentia, alios Mathematicæ diſciplinæ, alios Comicorum fabulæ, alios Poëtarum flores, alios dicendi ars, omnes tamen aliqua ſciendi cupiditas tenet, & ad ea commoda contemnenda, quorum eſt natura appetentiſſima, impellit. Hæc vna cupiditas adeò in humano pectore exardeſcit aliquando, vt omnes propenſiones alias abſorbeat, clareſcente iam paſſim Aſtrologorum ineptia, qui ex corporis conſtitutione omnia metiuntur, vel potiùs mentiuntur.

Vis alia, quæ, ne quis procliuitatem corporis ſequatur, impedimento ſunt. Do beatæ præterea vitæ appetitionem, qua nihil communius, nihil minus ſyderali ſubiectum imperio, nihil vehementius ad res vniuerſas agendas. [Nam ſi vltimo nos agente fine, vt ait Ariſtoteles primo Ethicorum, cap. 1. agimus quidquid agimus, conſtat nullam appetitionem venire poſſe in diſceptationem

cum

cum vltimo fine,ſed fruſtrari oportere omnem aliam propenſionem,quæ cum ea contemnat qua beatitudinem expetimus.]

Audiui aliquem huius farinæ hominem docentem, ea ſe te fœlices opinari cunctos, ad quam vehementius ex Genethliaco propendent, cuius improba vox Chriſtiano ferenda non eſt, vnus enim eſt omnium finis æterna beatitudo, nec Chriſtianus vllus alium vltimum finem aut agnoſcit, aut agnoſcere poteſt. Si Genethliaci propoſitum habent alium vltimum finem,viderint ipſi quid de religione ſentiant, quid de Chriſti verbis Ioannis 17. [Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.]

Addo experimento quotidiano compertum eſſe, pleroſque omnes eam religionem ſectámque profiteri, ad quam parentum cultu, & vſu appulſi ſunt, ſectas fere omnes vnum præſtituere finem animi ex corpore egreſſi beatitatem, quæ ſicut eſt ab omni corporis concretione ſeiuncta,ita eſt ſupra omnem propenſionem corporis. Quis ergo ita deſipiat, vt ex ſyderali propenſione potius dicat homines finem præſtituere quàm ex maiorum decretis, ex religione, ex rationis ductu, ex ſapientiæ placitis? Quòd ſi perditi aliqui homines à Chriſtiana religione deflectunt, vel à vero hominis fine, nónne ad inſtitutum curſum reuocantur cogitatione deſertæ religionis, rationis admonitu, vſu populi, exemplo meliorum, ex quo fit, vt interpolatis ſaltem vicibus, recurrant ad vitæ genus quod deſeruerant, & ad finem in quem homines conditi ſunt à Deo; quod ſanè non fieret, ſi vnuſquiſque illud vltimum finem ſibi conſtitueret,ad quod ſyderali temperamento maximè propendet: quilibet enim ſuo fini adhæreſceret,in quem ſyderum vi & naturali temperatione corporis propellitur: nemo enim recedere poteſt ab eo, quod tanquam vltimum finem amplexus eſt,niſi amore alterius finis.Quare ſi id vniuſcuiuſque finis vltimus eſt, in quod corporis temperatio maximè propendet, aut inde recedere nequit, aut ſi illud deſerere poteſt, non id ſolùm eſt vltimus finis, in quod natura maximè vergit, ſed aliud etiam cuius deſiderio diſceditur ab eo in quod corporalis temperies ſponte fertur.Quare in deligendo beatitudinis genere (ſi eligi poteſt vltimus finis, in quem ita natura humana fertur, vt ab eo recedere nequeat) rationis magiſterium nos ſequi potiùs quàm ſtellarum ductum, ita euidens eſt, vt id qui non videt, ne ſtellas quidem aut Solem ipſum videre poſſit.

Tandem, ne moroſior ſim, libertas ipſa, quam nullus inficiari poteſt, corporis propenſiones ludificat, Aſtrologorúmque prædictiones ridet effuſè. Quid enim,licèt temperamento ſuo genióque maximè aduerſum,non ſubit ac perfert vnuſquiſque ne redigatur in ſeruitutem? quot vrbium & gentium extremæ clades, ſtudio tuendæ libertatis, idque ſub omni cœlo, & ſub quauis poteſtate ſtellarum? Tantus eſt amor libertatis,vt quod placebat,maximè fiat, ſi imperetur, ingratum, gratiſſimum verò quod vetatur, etiam ſi per ſe moleſtum ſit; hinc illa:

Cui peccare licet peccat minus,ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Nitimur in vetitum ſemper,cupimúſque negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Nec id ignorauit Seneca in Hercule Oethæo:

Illicita amantur (inquit) *excidit quidquid licet.*

 Etiámne

Digitized by Google

Etiámne hæc ex temperamento corporis? quomodo temperamentum ſe vertit in omnes partes? quomodo idem placet,quod paulò antè diſplicebat? quomodo nunc huc,nunc illuc propendet eadem temperatio corporis?

Quid quod aggredimur ac molimur aliqua nonnunquam nullo alio fine propoſito, nemine ſuadente, nulla alia vrgente cauſa, quàm vt libertate noſtra fruamur, & videamur omnia poſſe quæ volumus? Hinc illa S. Auguſtini querimonia lib.3.Confeſſ.c.6.] Quid ergo miſer in te amaui: ô furtum meum! ô facinus illud meum nocturnum ſextidecimi anni ætatis meæ?non enim pulchrum eras,cum furtum eſſes,aut verò aliquid es vt loquar ad te.Pulchra erant poma illa,quæ furati ſumus,quoniam creatura tua erāt,pulcherrime omnium, Creator omnium,Deus bone, Deus ſummum bonum,& bonum verū meum, pulchra erant illa poma, ſed non ipſa concupiuit anima mea miſerabilis:erat enim mihi meliorum copia, illa autem decerpſi tantùm,vt furarer,nam decerpta proieci,epulatus inde ſolam iniquitatem,qua lætabar fruens: nam & ſi quid illorum pomorum intrauit in os meum, condimentum eibi facinus erat, & nunc Domine Deus meus,quæro quid me in furto delectauerit,& ecce ſpecies nulla eſt, non dico ſicut in æquitate, atque prudentia,ſed neque ſicut in mente hominis,atque memoria, & ſenſibus vegetante vita,neque ſicut ſpecioſa ſunt ſydera & decora locis ſuis, & terra & mare plena fœtibus, qui ſuccedunt naſcendo decedentibus, non ſaltem vt eſt quædam defectiua ſpecies,& vmbratica vitiis fallentibus: nam & ſuperbia celſitudinem imitatur, cùm tu ſis ſuper omnia Deus excelſus. Et ambitio quid niſi honores quærit & gloriam,cùm tu ſis præ cunctis honorandus vnus,& glorioſus in æternum? Et ſæuitia poteſtatum timeri vult,quis autem timendus niſi vnus Deus,cuius poteſtati eripi, aut ſubtrahi quid poteſt? quando, aut vbi, aut quo,aut à quo poteſt? & blanditiæ laſciuientium amari volunt, ſed neque blanditius eſt aliquid tua charitate,nec amatur quidquam ſalubrius. Illa præ cunctis formoſa & luminoſa veritas tua, & curioſitas videtur affectare ſtudium ſcientiæ,cùm tu omnia ſummè noueris. Ignorantia quoque ipſa atque ſtultitia ſimplicitatis & innocentiæ nomine tegitur,quia te ſimplicius quidquam non reperitur. Quid te autem innocentius? Quandoquidem opera tua malis inimica ſunt, & ignauia quaſi quietem appetit,quę verò,quies certa pręter Dominum?Luxuria ſatietatem,atque abundantiam ſe cupit vocari, tu autem es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis ſuauitatis. Effuſio liberalitatis obtendit vmbram, ſed bonorum omnium largitor effuſiſſimus tu es. Auaritia multa poſſidere vult,& tu poſſides omnia. Inuidia de excellentia litigat, quid te excellentius? Ira vindictam quærit, te iuſtius quis vindicat? Timor inſolita & repentina exhorreſcit rebus quæ amantur aduerſantia, dum præcauet ſecuritati, tibi enim quid inſolitum, quid repentinum? aut quis à te ſeparat quod diligis, aut vbi niſi apud te firma ſecuritas? Triſtitia de rebus amiſſis tabeſcit quibus ſe oblectabat cupiditas,quia ita tibi nollet: ſicut ſibi auferri nihil poteſt, ita fornicatur anima cùm auertitur abs te,& quærit extra te, ea quæ pura & liquida non inuenit niſi cùm redit ad te, peruersè te imitantur omnes, qui longè ſe à te faciunt, & extollunt ſe aduersùm te, ſed etiam ſi imitando indicant te Creatorem eſſe omnis creaturæ, & ideo non eſſe quo à te omni modo recedatur.Quid ergo in illo furto ego dilexi? & in quo Dominum meum vel vitioſè atque peruersè imitatus ſum? An libuit facere contra legem ſaltem fallacia, quia potentatu non poteram, vt

mancam libertatem captiuus imitarer faciendo impunè, quod non liceret tenebroſa omnipotentiæ ſimilitudine.]

Idem 12. de Ciuit. cap. 6. in finem. [Si enim (inquit) aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem, qua viſa vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeueret, quid putamus eſſe cauſæ, vt in illo fiat & in illo non fiat voluntas mala, quæ illam res effecit in quo facta eſt? neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus, quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus, an verò intuentis cauſa eſt, cur non & illius? an verò animus cur non vtriuſque? ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus, an dicendum eſt alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni & qualicumque ſuaſioni propria voluntate conſenſerit. Hanc igitur conſenſionem, hanc malam quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo fecerit res quærimus: nam vt hoc quoque impedimentum ab illa quæſtione tollatur ſi eadem tentatione ambo tentemur, vt vnus ei cedat atque conſentiat, alter idem qui fuerat perſeueret, quid aliud apparet, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Vnde, niſi propria voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque animi & corporis affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo, ambobus pariter inſtitit occulta tentatio. Propriam igitur in vno eorum voluntatem malam quæ res fecerit ſcire volentibus, ſi bene intueantur, nihil occurrit: niſi enim dixerimus quod ipſe cauſa fuerit, quid erat ipſe ante voluntatem malam, niſi natura bona cuius auctor Deus, qui eſt incommutabile bonum. Qui ergo dicit eum qui conſentit alius ad illicitè vtendum pulchro corpore quod videndum ambobus pariter afficit, cùm ante illam viſionem ac tentationem ſimiles ambo animo & corpore fuerint, ipſum ſibi feciſſe voluntatem malam qui bonus vtique ante voluntatem malam fuerit, quærat cur ea fuerit vſus, quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt, & inueniet voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt: nam ſi natura cauſa eſt malæ voluntatis, quid aliud cogimur dicere niſi à bono fieri malum? & à bono eſſe cauſam mali, ſi quidem à natura bona fit voluntas mala? quod vnde fieri poteſt, vt voluntas bona ſiue natura bona quamuis mutabilis ante quam habeat voluntatem malam, faciat aliquid mali, hoc eſt, ipſam voluntatem malam? Hæc ille.

Atque hæc Aſtrologorum præſagia ex conſtitutione corporum è ſtellis deducta, euidentiſſimæ vanitatis conuincunt. Si enim nulla eſt in temperamento, corporis cauſa appetitionum voluntatis, omnia autem quæ agimus voluntate imperante agimus, euanuerunt omnes Mathematicorum prædictiones. Rectè quidem Carneades apud Tullium libro de fato, ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea quorum cauſas natura continet.] Quomodo igitur Aſtrologus ſpectans corporis temperamentum videre poteſt quid agitetur animo? Quomodo in corporis conſtitutione videt ea quæ nullo temperamento continentur, ſed liberis fiunt voluntatibus?

Sed audiamus M. Tull. libro de fato. [Similiter ad animorum motus voluntarios non eſt externa cauſa requirenda. Motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſo continet, vt ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat, nec id

ſine

ſine cauſa: eius enim rei cauſa ipſa natura eſt.] Ex quo ediſcere poſſunt Aſtrologi motum voluntatis non eſſe aliam cauſam, quàm ipſam voluntatem.

Fruſtra tentas certis prædictionum legibus lubricum voluntatis arbitrium deuincere: ſi enim voluntas ſuſpicari poſſet à cœlo ſibi retia intendi, ne vinceret ad cœli præſcriptum, toto impetu in aduerſa proſiliret, quid vrges? Protei caput vertet ſe continuò in leonem, in aprum, in draconem, in ignem, in quercum, quid agitis, venati canes poſt volubilem vulpem? voluit ac reuoluit illa pedes quò non putatis, rectà procurrit, flectit repentè in ſiniſtrum latus, apparet ſubitò, præter ſpem deliteſcit, petit ſalebras, mæandros, labyrinthos, Cluſino Ægyptio Cretenſi Lemnio, de quibus Plinius lib. 36. c. 13. magis implicatos mutat ſubinde libera voluntas appetitiones, & ne ad aſtrorum imperium reuocari poſſit, vertit ſe in omnem partem.

IN ASTROLOGOS CONIECTORES
LIBER QVARTVS.

Quo Aſtrologia Aſtrologicis concluſionibus exagitatur.

PROOEMIVM.

MAGNO illo conſilio, quo Antiochus de inferendo Romanis bello cum ſuis ducibus egit, Hannibalis, qui ad eius fidem, ac præſidiũ poſt euerſas Carthaginis opes confugerat, vna atque eadem ſententia fuit, inquit Liuius Decadis quartę libro 4. vt in Italia bellum gereretur, Italiam, & commeatus, & militem præbituram externo hoſti, ſi nihil ibi moueatur, liceátque populo Romano viribus, & copiis Italiæ extra Italiam bellum gerere, neque Regem, neque gentem vllam parem Romanis eſſe, ſibi centum tectas naues, 16. millia peditum, mille equites popoſcit, ea ſe claſſe, primùm Aphricam petiturum, magnopere confidere Carthaginenſes ad rebellandum compelli poſſe; ſi illi cunctentur, ſe aliqua parte Italiæ bellum excitaturum Romanis.

Atque hæc, quæ grauiter Hannibal orauit, certiſſimis antè fuerat expertus euentis. Primum namque bellum Punicum, quod longè ab Vrbe fuerat confectum, leuioribus Romanos, maximis Pœnos cladibus afflixerat. At per initia ſecundi belli Punici, poſtquam ſuas Hannibal copias in Italiam traiecit, multis exercitibus, multis Con-

ſulibus cæſis, cœperat res Romana ad extremum penè diſcrimen inclinare.

Quorſum iſta inquies? Aduersùs Aſtrologos huc vſque pugnauimus, nec, vt opinamur, infœliciter, longè tamen ab vrbe, atque arce Genethliaca per Medicorum, Philoſophorúmque regiones vagati ſumus, multas quidem ex horum caſtris auxiliares copias in hoſtem eduximus, quibus, licèt non inauſpicatò dimicatum ſit, & verò debellatam eſſe Genethliacam exiſtimabunt non pauci. Verùm quoniam nondum cominus ſigna collata, nondum confertæ manus è propinquo, nondum irruptio facta in vrbem, nondum perfractæ fores, nec demolitæ ſunt arces; periculum eſt, ne hoſtes inueteratam adhuc retineant opinionem de firmitate murorum, de vallorum præſidiis, de opum amplitudine, de robore ciuium, de omni Genethliacæ gentis inſtrumento militari. Nunc in ipſam vrbem arma ferenda ſunt, in turres, in aggeres, in forum, in ærarium, in delubra; flammis autem decertandum eſt, vt eorum caſtra tabulis, non ſaxis munita eſſe palàm appareat: euertendi receſsus, ac latibula, ad quæ ſe recipere ſolent, cùm noſtris armis vrgentur; penetrandum ad ipſas ſecretiores tripodas, ex quibus oracula populis reddunt, vt artes omnes, fraudéſque, ac doli, quibus hæc ars ſuſtinetur, pateſcant, aperiendæ cortinæ, quas Genethliacæ obtendunt: aperienda arcana omnia, & mortalibus vniuerſis exponenda; ne quemquam in poſterum imprudentem fallant. Minus hoc quàm cæteris libris laboris, ac ſtudij erit; aduerſarij enim ipſi nobis militabunt; ipſi ferent arma aduersùs Aſtrologiam, ipſi in Genethliacas vineas plateáſque agent: ipſi miniſtrabunt tela, quibus hæc bellua confodiatur; Cardanus contendet cum Ptolemæo de motu Solis, de anni longitudine, de motu Lunæ, grauiſſimíſque Aſtrologiæ principiis; cum Cardano decertabit Bellantius; cum Bellantio Gauxius, duces cum ducibus concurrent, nobis etiam ceſſantibus conficietur bellum, delucèſcet veritas.

* * *

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quæ ſint Aſtrogiæ firmamenta.

HVivs diſciplinæ firmamenta primaria duo ſunt, experimentum, & ratio. Et quanquã rationibus Aſtrologi confidunt parum, gloriantur tamen inſolenter experimentis. Quare, vt iugulum cauſæ petatur, ab his ducemus initium quorum examen anceps ſanè, & lubricum videtur; propterea quod aduerſis vtrinque certatur exẽplis. Proferunt Aſtrologi, Cardanus in primis, exempla non pauca verarum prædictionum, quæ & priſcis experimentis fidem conciliant, & in poſterũ benè prædicendi ſpem faciunt. Nos viciſſim obiicimus innumerabilium rerum euentus longè alios ab eo, quod Aſtrologi præſignificauerunt, vt prorſus apud Cardanum ad libr. 1. Ptolemæi de Iudiciis, t. 13. Ioannes Marlianus acerrimi vir iudicij aſſeuerare non dubitarit, eum, qui diuinare velit, oportere contraria prædicere iis, quæ aut pollicentur, aut minantur Aſtrologi. [Quàm multa (inquit Tullius lib. 2. de Diuinatione) ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini. Neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum? vt mihi permirum videatur, quemquam exſtare qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re, & euentis refelli. Itaque cùm aliqua veræ, innumera falſæ diuinationis exempla proferantur, vtriuſque cauſas quærere ſolent, qui Genethliaca tractant, & Aſtrologi quidem veras prædictiones proficiſci putant, ex ſuæ artis, & dogmatum veritate; falſas verò non ex artis vitio, ſed ex incuria, vel imperitia artificum, hoc eſt, Aſtrologorum, qui quoniam pauciſſimi ſunt, quales oportet eſſe, idcirco infamia ars ipſa apud multos laborat, crebèrrimique illi obiiciuntur errores. Alij contrà Aſtrologorum ignauiam, & inſcitiam, & agnoſcunt, & confitentur, ſed addunt præterea artem ipſam inanem eſſe, nec vllis conſtare poſſe præceptis. Horum nos ſententiæ euidentiſſima veritate coacti ſubſcribimus; nihil enim in tota hac arte inuenimus, quod non ſit commentitium, & pro arbitrio confictum. Quare oſtendendum eſt, nulla eſſe huius artis ſatis præuiſa, aut explorata principia, ſed diligentiſſimum quemque Aſtrologorum, & artis obſeruantiſſimum oportere labi & decipi vt plurimum. Si quando verò (quod rarò contingit) ad veritatem dirigat, id referendum eſſe ad humanas coniecturas, ad fortuitum aliquem euentum (nam & cingari multa inter quæ mentiuntur aliquid, diuinant) ad malorum dæmonum occultiorem afflatum, ad eorum vafrum fallaxque ingenium. Totus igitur huius cauſæ ſtatus poſitus eſt in præueſtigandis cauſis cur Aſtrologi bene nonnumquam, perperam verò quotidie prædicant, cuius rei duas eſſe cauſas oſtendemus, Aſtrologorum imperitiam, Aſtrologiæ vanitatem.

CAPVT SECVNDVM.

Aſtrologorum imperitia.

ET Aſtrologorum quidem imperitia, non ab aliis quàm ab Aſtrologis ipſis diſcere volumus; ſanè vnaquæque diſciplina rudes aliquos, & imperitos alumnos patitur, ipſa tamen apud ingenio præſtantes, & ſolertes ſuã retinet dignitatem. Non fuerunt Philoſophiæ probro Bernardini Theleſij deliramenta, quia illa in Ariſtotelis libris omnibus ornamentis ſplendeſcit; at Aſtrologiæ magiſtri, qui ſunt, & familias ducunt, ipſorum etiam Aſtrologorum teſtimonio, grauiſſimis tenentur erroribus. Et in leuioribus quibuſdam decipi nonnunquam, humanæ eſt imbecillitatis, at ſi probatum fuerit, Aſtrologorum principes & anteſignanos in primis ipſis principiis, è quibus omnis Genethliacæ diſciplinæ ratio pendet, longiùs aberraſſe à vero, non ſolùm declarata fuerit Aſtrologorum incuria, & væcordia, ſed ipſius etiã Aſtrologiæ vanitas. At vnde ſumemus tãtæ rei principium? Ab ipſo Aſtrologiæ exordio. A Chaldæis igitur, & Ægyptiis ad reliquas gentes Aſtrologiam defluxiſſe omnibus compertum, & exploratum eſt. Chaldæos verò, & Ægyptios in obſeruatione ſtellarum, in metiendis earum motibus, in diſpoſitione tabularum, in conſtituendo omni ſpatio, aliiſque pluribus, quibus præſenſiones Aſtrologicæ, & experimenta quæ hanc artem pepererunt innituntur, deceptos eſſe, & Ptolemæus, & Albumazar, & Alchibitius, & Cardanus & Alphõſinæ tabulæ, & Aſtrologorũ natio vniuerſa, & recipit, & profitetur. Ab his quot proſeminati poſtea fuerint errores, difficile eſt aſſequi coniectura. Aſtrologi omnes Principe Claudio Ptolemæo Alexandrino gloriantur, eique Aſtrologiã ipſam acceptam referunt, quem lapſum ſæpius conſtat, & circa Aſtrologiæ principia, quibus Genethliaca omnis diſciplina continetur, deerraſſe in confeſſo eſt; nam permutatione abſidum auctore Cardano Sect. 1. Aphor. 17. Regna & regiones, & religiones mutantur. Errores Ptolemæi de Solis abſide deſcribit idem Cardanus lib. de reſtitutione temporum, & motuum cæleſtium cap. 6. Præterea Aſtrologiam conſtare ſcientia motuum cæleſtium exquiſita, vt docet idem Card. ſect. 1. Aph. 33. at errationes manifeſtas Ptolemæi circa motum Lunæ, Martis, Saturni, leges apud Card. lib. de reſt. temporum & motuũ, c. 7. & 8. vt mirum omnino ſit, eſſe vllum Aſtrologorum, qui Aſtrologicas ſanctiones, & pręcepta veterum experimentis confirmata eſſe aſſerat, cùm conſtet veterum obſeruationes longe diuerſas eſſe ab iis, quæ nunc emẽdato ſyderum curſu ſub alia aſtrorum conſtitutione contingunt.

Denique ſect. 1. Aphor. 71. hæc de Ptolemæo habet Card. [Quatuor ſunt ex quibus contingit errare, falſa ratio, falſa computatio, falſa obſeruatio, falſa temporum enumeratio, his duobus vltimis Ptolemæus errauit, aut altero eorum.]

Proximum à Ptolemæo locum apud Aſtrologos obtinuit Albumazar, qui familiam ducit non ſolùm inter Arabes, ſed inter Latinos etiam, quippe qui & magnarum reuolutionum auctor fuit de quibus infrà, & primus Saturnias

reuolu

reuolutiones inuenit, multáque alia addidit, quibus labantem Genethliacam ſuſtinuit, quemque ipſi Ptolemæo prælatum ſuo tempore ſcribit Albertus Pighius Campenſis Aſtrologus Pariſienſis in Aſtrologica defenſione aduersùs Gaſparum Laerth. Phyſicum Antuerpienſem, alióſque ſui temporis Aſtrologos, qui ex concurſu omnium planetarum in Piſcibus futuro anno Domini, 1524. vniuerſalem totius orbis alluuionem minabantur mortalibus.

Albumazaris autem grauiſſimos errores deſcribit idem Albertus loco citato, his verbis: [Vt paulò (inquit) euidentius faciamus, quàm ingenioſè hi aſtrologentur, qui per magnos hos orbes nobis prædicere conantur euentus mundanos, paulò altiùs exordiendum eſt. Finxerunt quemlibet ex planetis, & vnumquodque item ſignorum mundi imperium tenere annis 360. quibus exactis nouum aiunt incipere orbem magnum cui, & planeta priori proximus, & ſignum quod deinceps hæret ſigno priori, pariter præſunt, atque ita qualis prædominantis ſyderis, atque ſigni natura eſt, talia euenire in eo annorum ſpatio, quamquam nemo ex his ita deliret, vt particulares euentus, & maximè, quæ per ſingulos dies fiunt, aëreas mutationes putet ex his orbibus pendere. Sed hæc quàm fabuloſa, quàm obtuſiſſimis etiam ingeniis confiỏta, ex eo patet, &c.] Iulium quoque Firmicum, qui Genethliacam diſciplinam octo libris complexus eſt, fabulari ſcribit Card. lib. de Iudiciis geniturarum, cap. 6. quod eſt de ſignificatis reuolutionum, & modo iudicandi ex propria ſententia, & lib. de reſtitutione temporum, & motuum cœleſtium, capit. 11. Firmicum allucinatum eſſe grauiſſimè confirmat.

Idem ad lib. 1. Ptol. t. 14. cùm reprehendiſſet Aſtrologos, qui ex leuiſſimis ſignis captant euentuum coniecturas, quod familiariſſimum (inquit) eſt Iulio Firmico; is enim ex minimis cauſis, atque configurationibus, putà acceſſu Lunæ plenæ luminis, ad Iouem, Prouincias, & adminiſtrationes, Regna etiam decernit neſcio an impudentiùs, an ſtolidiùs.] Hæc ille. Et verò digna eſt Aſtrologo commendatio, neque vnquam Cardanus præclariùs.

Ipſum denique Cardanum, qui Aſtrologiæ reparator, & amplificator haberi vult lib. de Iudiciis geniturarum, cap. 26. lib. de reuolutionibus, cap. 1. ad prima principia artis offendiſſe contendant alij ferè omnes. Ipſe verò obſcurè ne prodit inſcitiam ſuam, libr. centum geniturarum, genit. 19. qui in ſuo horoſcopo triginta annis ſe laboraſſe ait? ibidem titulo de parentibus hanc artem à nemine cumulatè tradi, à nemine addiſci pro dignitate ſcribit, libr. de Iudiciis geniturarum, capit. 11. nullam docet eſſe vim eclipſis vel Solis, vel Lunæ. Albertus Pighius Campenſis in apologia illa Aſtrologica aduerſus ſuæ ætatis Genethliacos p. 2. docet defectiones Solares, & Lunares principes exercere vires in res inferiores, idque grauiſſimo Ptolemæi libro 2. Apoteleſmatum cap. 4. teſtimonio confirmat, cuius hæc ſunt verba. [Sol, & Luna rebus inferioribus præſident, & cæterorum vbi principes habentur, ſuntque totius operis etiam cauſæ, veluti, & prædominij ſtellarum, & prædominantium, tum fortitudinis, tum imbecillitatis, &c.] Sed ad intelligendum huius viri peritiam ſatis fuerit legere quæ libr. de reſtitutione temporum, & motuum cœleſtium cap. 11. ſcribit: [Honores (inquit) & diuitias, & quodcumque labile eſt, & vna hora abduci poteſt, hominibus quidem non paruam pariunt admirationem, verùm cauſas vix vllas habent cœleſtes; niſi maxima hæc ſint, & incomparabilia. Quamobrem

ſi de euentibus fortunæ quis iudicauerit ex genitura tantùm,non ſecus ac ſortilegus ex interrogatione pronunciabit, &c.] Idem verò libro de genituris, cap.1. nihil frequentiùs,aut magis affirmatè ex ſtellis pollicetur quàm opes, & honores: & cap.10. eiuſdem libri, totus eſt in opibus,& diuitiis prædicendis, ſed inſcitiam Cardani quadringentis & ampliùs exercitationibus complexus eſt Iulius Cæſar Scaliger.

Sed vtinam paucorum hic morbus eſſet: Vtinam non eſſet ex epidemiis, & popularibus. Cardanus ſanè Aſtrologiæ patronus ſect. 3. Aphor.155. [Aſtrologi (inquit) vt diuinatores, peſſimi homines ſunt, deceptores, ac malorum morum; philoſophi naturales, veritatis ſtudioſi, ac probi, ob hæc Aſtrologus tantùm verax eſt, ac probus, quantùm in ſua diuinatione adhæret principiis Philoſophiæ naturalis.] Et libro de reſtitutione temporum,& motuum cœleſtium cap.11. omnes qui ante ſe hanc artem exercuêre, maxima ſtellarum fixarum inſcitia laboraſſe ait; & cap.9. & 10. veterum omnium inſcitiam caſtigat, quos Lunæ,Saturni, Martis motus tranſuerſos egit, & lib.de Iudiciis, cap.27. Antiquitatis omnis terminos refellit fingitque nouos. Quæ libro de reuolutionibus tradidit tanti ait eſſe momenti, vt ſine illis nihil poſſit ex genituris ſumi coniecturæ,ea verò à ſe reperta,& obſeruata, antiquis fuiſſe ignorata penitus. Idem ſect.1. Aphor. 33. [Manifeſtum (inquit) eſt Aſtrologiam conſtare ex ſcientia motuum exquiſita, & naturali philoſophia, quorum neutrum cùm plerique habeant, & vtrumque ante hæc nemo habuerit, nihil mirum eſt, infamiam arti prædeceſſores noſtros addidiſſe.] O magnum teſtimonium! Ante Cardani ergo tempora nulla fuit Aſtrologia, ſed ſi quæ fuit, mentita quædam larua fuit, non fuit vera Aſtrologia, & affirmant adhuc artem hanc quamuis rationibus parum firma ſit, vetuſtate tamen, & diuturnis experimentis eſſe robuſtam. Rurſus idem libro de Iudiciis geniturarum, capite vigeſimoſexto. [Ex hoc patet cauſa cur ante nos nemo de his quidquam rectè pronunciauit; eſt enim res laborioſa valde, & ipſi volunt leui labore rem ingentem perficere. Ex hoc etiam patet cauſa, cur tot inuenerint nugas, partes, facies, nouenarias, quia non poterant tot rebus, quæ homini eueniunt, ſitu ſolùm ſeptem planetarum ſatisfacere; vnde hæc figmenta inuenerunt,&c.] Vnde noſti,Cardane, hæc ſolùm eſſe conficta, non ea etiam, quæ ipſe capite ſexto tradis ex propria ſententia,quæque libro toto de reuolutionibus, cùm magna cauſarum inopia laborares, primus inueniſti? Vnde noſti commentitias eſſe partes, facies,nouentitias, domos cœleſtes, ſtellarum gaudia, familiaritates, domicilia, ducatus,fines,& terminos, antiſcia, auditum, quibus vniuerſa Aſtrologia referta eſt non eſſe ſomniantium ludibria? Denique ſect.4. Aphoriſm.141. [Cauſa autem (inquit) quòd mille nugas inuenerint Ptolemæo poſteriores, fixas autem reliquerint fuit, quòd plurimi ex his ex Grammatica tranſlati, artem penitus ignorauerunt, vt Firmicus, Albumazar, Albubater, Bonatus, atque Pontanus, &c.] & Aphoriſm. 145. [Antiqui (ait) huius artis ſcriptores adeò opinanter, ac ludibrio artem hanc tractauerunt, vt in eorum libris exempla inuenias, quæ ſyderum lex non admittit, vnde non ſolùm illos fugere decet,ſed qui eorum libris inniti ſe fingunt,artem ignorant, & plerique eorum ſycophantæ ſunt.] Hæc Cardanus de veterum Aſtrologia, de Aſtrologis ſui temporis, ita ſcribit Albertus Pighius libro ſuprà citato parte prima initio. [Vt quàm breuiſſimè oſtendamus (inquit) quæ fiunt in dies annorum progno

prognoſtica minimè Aſtrologica eſſe, ſed meriſſimas eſſe nugas, operæpretium erit venire ad fundamenta eorumdem, vt cùm ea monſtrauerimus inania eſſe, nec Aſtrologiam quidquam in eis recognoſcere, de ſuo commonſtratum ſit id quod propoſuimus. Inuenimus itaque vulgatam horum omnium prognoſticantium viam eſſe ex cœli themate in Solis interitu in punctum verni æquinoctij, quod eſſe autumat, cùm Sol numeratur in tabulis in principio Arietis, hinc anni dominium conſtituunt, qui in themate vires obtinet pollentiores: hinc bella: hinc paces prædicunt: hinc caritatem rerum omnium, fertilitates, peſtes atque infirmitates, tam horrendas nobis comminantur ex ſtatu videlicet domini anni, & planetarum in ea cœleſti figura, & in omnibus his ſupponunt ſemper deuolutionem magnorum orbium, Saturnias deuolutiones, directiones, perfectionéſque à minimis, mediiſque coniunctionibus. Hæc trita eſt via, & Albumazaris, cæterorúmque Punicorum doctrina, quorum fabulis omnes hi ad vnum ſunt inſtituti, quorum vnus ex his, cuius nomen eſt apud Gallos celebre, & primus, præcipuúſque Aſtrologus habetur Gaſpar Laeth Phyſicus Antuerpienſis, in huius anni 1519. prognoſtico, quod ex more edidit, vulgatam hanc viam, quam in omnium præcedentium annorum prædictionibus ſecutus eſt prætermittens, veluti conſcius falſitatis earum omnium, aut quia nouum aliquid afferre voluit, quo à cæterorum prognoſticis ſua internoſcerentur; tantus enim eſt numerus iſtorum diuinaculorum. Præcipuum fundamentum, & rationem ferè totam prædictionum ſuarum ab orbibus magnis deducit,&c.]

Et paulò infrà: [Vt itaque (inquit) paulò euidentius faciamus,quàm ingenioſè hi aſtrologentur, qui per magnos hos orbes nobis prædicere conantur euentus mundanos, paulò altiùs exordiendum eſt. Finxerunt quemlibet ex planetis,& vnumquodque item ſignorum,mundi imperiũ obtinere annis 360. quibus exactis, tunc nouum incipere orbem magnum, cui & planeta priori proximus, & ſignum quod deinceps hæret ſigno priori pariter præſunt, atque ita qualis dominantis ſyderis, atque ſigni natura eſt,talia euenire in eo annorum ſpatio, quamquam nemo ex his adeò deliret; vt particularis euentus, & maximè, quæ per ſingulos dies fiunt, aëreas mutationes, putet ab his arboribus pendere, niſi Gaſpar ille, qui his ſuis ineptiis prolixiùs me agere de his magnis arboribus coëgit: Dicunt inſuper cœpiſſe nouum orbem magnum, quo tempore ea fuit Saturni, Iouiſque coniunctio, quæ cataclyſmum præceſſit annis, vt aiunt, 279. huic autem orbi præfuiſſe ex planetis Saturnum,ex ſignis Cancrum,& ab eo veluti ſupputationis cardine magnos orbes ad nos vſque reuoluunt, ſed hæc quàm ſanè mendacia,quàm fabuloſa, quàm obtriſiſſimis etiam ingeniis confiɛta ex eo patet,&c.]

Hæc Albertus Pighius de inſcitia Aſtrologorum ſui temporis, cui licuit, & integrum librum edere de ignorantia, & erroribus Aſtrologorum, quos etiam ex Alphonſenarum tabularum principiis oſtendit in temporibus æquinoctiorum vernorum, & ſolſtitiorum, plus quàm quinque diebus aberrare. Sed fœlicior hac in re fuit Gaſpar Laeth, qui deprehendit Aſtrologum quemdam duobus menſibus,& vno die in hyberno ſolſtitio aſsignando decrraſſe. Sed quid Ptolemæus de ſuæ ætatis Genethliticis li.1.de Iudiciis,c.2. dicat,audiamus. [Primùm quidem (inquit) intelligendũ,multa errata eorum, qui parũ accuratè in re magnæ,& multiplicis conſiderationis verſentur, dero-

gare

gare fidem ſcientiæ, & facere, vt fortuita videantur etiam quæ veritatē complectuntur. Quod rectè fit; nam hæc imbecillitas non eſt artis, ſed profeſſorum. Præterea bona pars quæſtus cauſa huius ſcientiæ nomen, & dignitatem, alij artibus vaticinatricibus prætendere conſueuēre, qui, cùm fidem apud vulgus inuenerint, illis quidem imponunt, cùm videantur prædicere plurima, atque ea quoque, quibus nulla naturalis ratio ſubſit. Si hæc à Pico Mirandulano Aſtrologiæ oſore, vel à Sexto Empirico ſcientiarum hoſte diceretur iure hæc ars odium teſtium, & infeſtum animum exciperet. Nunc verò cùm Aſtrologi ipſi Aſtrologorum imperitiam teſtatam faciant, quo tandem malo noſtro fato adhuc eos conſulimus, eorum vaticiniis habemus fidem, pretio mereamur mendacia.]

Audiamus quibus inſtructum oporteat eſſe præſidiis Aſtrologum, ne diuinet in incertum; inde enim planum fiet, nullum eſſe Aſtrologum, qui ſuæ artis inſcitia non laboret. [Oportet (inquit Cardanus libr. 1. Ptolemæus de Iudiciis, tit. 13.) eum, qui vult hanc artem profiteri cum honore, & laude, vt has omnes conditiones habeat. Prima, vt ſit valde ingenioſus; Secunda, vt ſit valde memor: Tertia, vt ſit prudens, & boni iudicij; Quarta, vt veritatem omnibus aliis præponat: Quinta, vt ſit bonus Dialecticus: Sexta, vt ſit bonus Philoſophus naturalis: Septima, vt optimè polleat aſtrorum ſcientiam, quæ motus, & loca docet eorum: Octaua, vt ſit bonus arithmeticus: Nona, vt clariſſimos ſui temporis viros audierit, & qui experimenta artis de*ſe egregia, & admiranda dederint, ſimiliter, vt operam iis libris dederit, qui à clariſſimis eius artis auctoribus conſcripti fuerunt: Decima, vt ſit aſſiduus in laboribus, & ſtudiis, atque illi arti fermè totus intentus: Vndecima, vt diu, ac longo tempore operam dederit ipſi arti, multáque per ſe experimenta collegerit: Duodecima, vt agriculturæ, nauticæ, militaris, ac medicinæ artis, tum ſitus locorum habitus hominum, morum illius regionis, legum & religionis, conſuetudinîſque ventorum, & generaliter omnium rerum quamdam habeat mediocrem cognitionem; nam ſi architecto hæc neceſſaria ſunt, teſte Victruuio, qui de Solis ædificiis tractat, & quæ tractat ſub ſenſibus habent, quid de Aſtrologo dicendum eſt, cuius contemplatio eſt de omnibus abſque ſenſus auxilio? itaque quantum, & qualiter peccent, qui hanc artem tractant, & quàm pauci ſint ad illam idonei, manifeſtum eſſe exiſtimo, &c.] Ecce quot, & quanta in Aſtrologo requirit Cardanus, quæ cùm in nullo reperiantur omnia, vt idem teſtatur, omne Aſtrologorum genus magna artis ſuæ imperitia laboret neceſſe eſt.

Magis adhuc declarat Aſtrologorum inſcitiam Cardanus eodem libro 1. Ptolemæi de Iudiciis, tex. 14. [Similem (inquit) hunc errorem præcedenti docet Ptolemæus ex hoc, quòd artificis errores in artem reiici non debent, verùm diſſimilem, quia præcedens error ad negligentiam, aut naturæ defectum pertinet; hic verò ad mores: nam lucri cauſa alias artes malas tractando, illas Aſtrologiæ velamine muniunt, quemadmodum Geomantici, qui primam figuram certo Signo tribuunt, vt gratia exempli, minori fortunæ Taurum, atque inde ſecundæ Geminos, at tertiæ Cancrum, & ita vſque ad duodecimam figuram, & ſimiliter Planetas eis adſcribunt impudentiſſimo mendacio; alij verò, quòd natus ſit in die Martis, vel Mercurij, Luna quinta, vel ſexta, menſe Octobri,

gratia

gratia exempli, fabuloſam texentes hiſtoriam de futuris, artem naturalem, & egregiam infamem reddunt; quidam nomen proprium, & matris in numeros digerunt, & numeris Planetas, & Signa adſcribunt, mendaciis abſurdis artem vituperantes; ſunt & qui, cùm non ſint Mathematici, videri volunt, lucríque ſapiditate artem profitentur, quam vix à limine ſalutarunt, velut de illo refert Haly, qui, quòd vellet egregius Aſtrologus videri, dixit ſe mirari, quòd cor Leonis (ſtella hæc eſt egregia Signiferi) ad quintamdecimam partem Leonis peruenerit, quòd mundus conflagraret, ſtultiſſimam hanc vocem audiens quiſpiam, ab eo, quem peritiſſimum in arte iudicat, præſertim cùm eo tempore, quo fortè fortuna maximè ſæuit hyems, quis (inquit) non irrideat meritò artis tam egregia, & præclara iudicia? Neque id raró euenit, vt rectè Petrus Aretinus ſcurra famoſiſſimus, dixerit, Aſtrologos pulchrè prædixiſſe diluuium anno 1524. menſe Februario, quo menſe nullus vnquam ſerenior extiterit: neque enim Februarius eo anno pluuias dedit, vel etiam ſaltem nebulas, cùm ſoleat reliquis annis pluuioſus menſis eſſe, atque id egregium vaticinium, è ſex errantium ſyderum concurſu (omnibus quippe, præter Lunam, quod mirum eſt, in Piſcibus exiſtentibus) ortum habuit. Tertium genus eſt eorum, qui, quæ præſtari non poſſunt arte, per artem pollicentur, vnde ridiculi cùm euadant, ipſi arti infamiam tribuunt; veluti de quodam recitat Haly, qui in Marte ſecundo loco, volebat propriarum veſtium furtum ſignificari; cùm neque hoc de furtis propriarum veſtium ab Aſtrologo poſſit prædici, quippe nimis ſingulare eſt, nec ſi poſſit prædici ex tam generali cauſa prædicere licebit. Igitur hæc ſupra artem ſunt, quæ tamen lucri cauſa illi præſtare pollicentur. Quartum genus eſt eorum, qui ob eiuſdem lucri cupiditatem res inanes confinxerunt, vt partes, & gradus debilitatis, & putei, aliáque multa, quæ non ſolùm ab Arabibus, verùm neque à Guidone Benato, atque conditoribus Ephemeridarum deſcripta ſunt, atque his, & huiuſmodi rationibus interrogationes, atque electiones finxerunt, quibus pecunias corraderent. Vnde tecum exiſtima, lector, qualem riſum mouerint, qui vendita electione infœliciſſimum illi exitum pepererunt, cùm multi in eadem cauſa, nullo vtentes Aſtrologico conſilio, fœliciſſimè rem peragant, atque, vt ex multis vnum euidentis, atque præclari exitus exemplum referam hominis à me cogniti. Fuerat Princeps Mediolanenſis prouinciæ, Ludouicus Sfortia, qui quæſtuoſum Aſtrologum, qui nihil minùs, quàm Aſtrologiam ſciret (erat enim ex iis, quos meritò Ptolemæus hîc ſuggillat) aleret, eúmque ditauerat egregiè centum, atque plus magnis auri talentis, ab hoc pro tanta mercede tempus pro vnoquoque negotio inchoando præſcribebatur, adeò ridiculè, vt ſapientiſſimus alioquin Princeps cogeretur tempeſtatibus maximis equum conſcendere, totámque aulicam cohortem, & ſtipatores per medios imbres, per cœnum, atque lutum, tamquam hoſtes vel inſequuturus, vel fugaturus, deducere: neſcio an Aſtrologi amentia, an ambitione ſumma, an potiùs irriſione, vt qui Principi ipſi talibus commentis per flagitium illuderet. Atque ei, quod nullis aliis prouinciæ noſtræ Principibus euenit, vt Regno ab inimico Rege ſpoliatus, & captus, miſerè vitam in carceribus, etiã colapho accepto, & in clatrata ferrea dormiens, finierit. Vnaquæque enim ars quanto nobilior eſt, tanto eſt pernicioſior, ſi per ſycophantos adminiſtretur. Quid enim ſanctius Religione? Quid iniquius perdito Sacerdote? Quid melius Iuriſprudentia? Quid deterius improbo Iuriſconſulto? Medicina

vtiliſſima eſt humano generi; venefici & ipſi titulo ſanctiſſimæ artis, peſſima admittunt flagitia. Sextum genus hominum, qui eadem cauſa peccant, eorum eſt, qui ſeruientes Principibus, magnis viris, vt pecuniam extorqueant, leuiſſima quæque, & quæ nullius propè ſunt momenti, fœlicitatis indicia pro maximis, & ſecuriſſimis ducunt, quod familiariſſimum eſt Iulio Firmico: is enim ex maximis cauſis, atque configurationibus, puta acceſſione Lunæ plenæ luminis ad Iouem, Prouincias, & adminiſtrationes, & Regna decernit, neſcio an impudentiùs, an ſtolidiùs; cùm multi talem habentes configurationem vomere terram vertant, aut in parua nauicula operam menſtruam aliis locent. Ptolemæus tamen primi generis tantùm meminit, tamquam notiſſimi, & cuius medio cum cauſa, vt dictum eſt, nota ſit, atque eumdem ſcilicet lucrum alia membra nota fiant, &c.]

Denique nullum omnino exiſtere poſſe, qui hanc artem vel cumulate tradere, vel planè addiſcere queat, teſtatur Cardanus lib. de genituris. [Ideò ſcias, (inquit) lector, quòd hæc ſola ars eſt adeò ſublimis, quòd, vt illa gemmariorum nunquam planè tradi poteſt, ſed præter ea, quæ ſcribuntur in hoc libro, indiget homo ſingulari quodam lumine, magna, & longa experientia, animo veritatis ſtudioſiſſimo.] Quid alios deſideramus teſtes? Ipſi Aſtrologorum Principes, & Antiſtites ſuæ diffidunt arti, eiúſque profitentur imbecillitatem, noua quotidie condunt præcepta, nouas tradunt obſeruationes, damnatis prioribus iam, & receptis, nouos condunt canones, & leges, veterum improbatis placitis, & iactant omnia experimentis eſſe comprobata. Itaque conſtitutiſſimum ſit Aſtrologorum partem maximam eſſe ſuæ artis ignaram, immò omnes incredibili quadam rerum maximarum imperitia laborare, nihílque habere aliud venale, niſi impudentiſſima mendacia, neque id ætatis noſtræ vitium eſſe, ſed omnium temporum, nec vulgi ſolius, ſed Antiſtitum etiam Aſtrologiæ: nullus enim Aſtrologorum eſt, qui Aſtrologis ſui ſæculi non obiiciat otium, oſcitantiam, inertiam, ignauiam, adulationem, quæſtus cupiditatem. Id facit Ptolemæus, vt vidimus: id facit Iulius Firmicus: id facit Bellantius lib. 1. Apologet. aduerſus Picum Mirandulanum: id facit Bonatus paſſim: id facit Albertus Pighius: id facit Cardanus: id facit Auguſtinus Niphus: id facit Gauricus: id facit Cyprianus Leouitius: id facit Hieron. Volphius lib. de Aſtrologiæ vſu: id facit Pontanus: id facit Iunctinus: quibus de ſe quoque ipſis, dum vniuersè loquuntur, teſtimonium ferentibus denegare fidem non poſſumus.

CAPVT TERTIVM.

Aſtrologorum fraudes.

GENETHLIACI omnes non vulgò ſolùm, ſed probis etiam viris malè audiunt, vel quòd inanem, & temerariam profitentur ſcientiam, vel quòd mala fide, quod artis ſuæ eſt exercent: id quod Ptolemæus libro 1. cap. 2. obiicit Aſtrologis ſui ſæculi: aliíque in aliis ſuæ ætatis Genethliacis notarunt: vel quòd inanem, & futilem doctrinam mendaciis, & fraudibus, quibus rudiorum ingeniis ludificantur, ſuſtineant; & ſanè non bona fide Aſtrologos agere declarant abundè, quæ ex ſuperiori capite ex eorum libris deſcri-

deſcripſimus; ſubiiciemus tamen adhuc pauca quædam, quæ fraudulentum horum hominum ingenium ponant ante oculos.

Et vt vnus omnium fraudes declaret Iulius Firmicus, is,cùm rerum omnium ſublunarium, cùm omnium humanarum actionum, cùm totius vitæ noſtræ rationes deducat è ſtellis, de Imperatoris tamen vita, de Reipublicæ ſtatu, à quibus Aſtrologorum fraudes iuſtas pœnas timere ſibi poſſunt, nihil è cælo pronunciari poſſe affirmat. An non idem eſt Imperatoris,cęterorum hominum ortus,& natiuitatis ratio?an non iiſdē conſtant cauſis,& principiis?non iiſdem vtuntur alimentis,& voluptatibus?Quid ſi quis humili loco natus ad imperium peruenerit? Quod de Iuſtino Iuſtiniani Imperatoris affini, aliiſque multis legimus;deſinent aſtra ius in illum exercere? [Caue (inquit lib. 2. cap. vlt.) ne quando de ſtatu Reipublicæ,vel de vita Romani Imperatoris aliquid interroganti reſpondeas: non enim oportet,nec licet, vt de ſtatu Reipublicæ aliquid nefaria curioſitate dicamus; ſed & ſceleratus, atque omni animaduerſione dignus eſt, ſi quis interrogatus de fato dixerit Imperatoris; quia nec dicere poteris de eo aliquid, nec inuenire: ſcire enim te conuenit, quòd haruſpices quotieſcumque à priuatis interrogati de ſtatu Imperatoris fuerint,& quærenti reſpondere voluerint,exta ſemper,quæ fuerint deſtinata, ac venarum ordines, inuoluta confuſione turbent; ſed nec aliquis Mathematicus verum aliquid de fato Imperatoris definire potuit. Solus enim Imperator non ſtellarū ſubiacet curſibus, & ſolus eſt, in cuius fato ſtellæ decernendi non habent poteſtatem: cùm enim ſit totius orbis dominus, fatum eius Dei ſummi iudicio gubernatur; & quia totius orbis terrarum ſpatium ſubiacet Imperatoris poteſtati, etiam ipſe in eorum deorum numero conſtitutus eſt, quem facienda, & conſeruanda omnia diuinitas ſtatuit principalis. Hæc ratio, & haruſpices turbat quodcumque ab iis interrogatum fuerit numinum, quia minoris eſt poteſtatis, maioris poteſtatis, quæ eſt in Imperatore, non poterit explicare ſubſtantiam:cui enim omnia ingenia,omnes ordines, omnes diuites, omnes nobiles, omnes honores,omnes ſeruiunt poteſtates,diuini Numinis,& immortalis ſortitus licentiæ poteſtatem in principalibus ordinibus collocatur. Quare quicumque de Imperatore aliquid quæſierit, nolo vt eum truci, ac ſeuera reſponſione conturbes,ſed eorum docili ſermone perſuade,quòd nullus poſſit de vita Imperatoris aliquid inuenire,vt perſuaſionibus tuis monitus cœptum furorem temeritatis,correcto mentis errore, deponat.]

Et hîc multa deſpicienda ſunt,adulatorium dedecus,multiplex mendacium, fraudulentum ingenium, meretricia impudentia, publicæ poteſtatis timor, concupiſcentiæ ludibria,venale vaticinium,artis improbitas,diſciplina Principibus inuiſa,Reipublicæ pernicioſa,in qua ſi quid contineretur veri, ac ſolidi, ſi quæ eſſent futurorum præſenſiones, ſi non eſſet planè conficta,& tota commentitia, Imperatoribus illa in primis deſeruire deberet,& Reipublicæ:præuiſione enim futurorum maximè iuuaret Imperij adminiſtrationem,& regimen, vt nullum poſſit eſſe aut maius, aut firmius argumentum vanitatis huius artis, quàm quod in adminiſtratione Reipublicæ, in qua præcipuæ eius partes eſſe deberent, nullum habet locum: non enim alia de cauſa vetant quidquam de Imperatore ex huius artis præſcripto pronunciari, niſi quia ſibi conſcij ſunt fictitiæ artis,& ſuarum in prædicendo fraudum, ac mendaciorum; timéntque iure, ne non liceat Imperatoribus, ac Reipublicæ, ſicut priuatis hominibus,

Aa 2 impunè

Digitized by Google

impunè mentiri ; cuius rei teſtem locupletem habemus Cardanum initio centum geniturarum : [Nullus Aſtrologorum eſt,qui Aſtrologos non accuſet, quòd lucri cupiditate,non ex fide,tractent ea,quæ artis ſunt,dolcántque illos alienis potiùs loculis,quàm Genethliacis libris incubare.]

Hieronymus Cardanus,vir in Aſtrologia Princeps, interrogatus de Edoardi VI. Anglorum Regis genitura,his verbis reſpondit : [Vita debilis omnino erit:nam luminaria infra terram ſunt,& Venus,quæ in aſcendente eſt, infœlix eſt. Aſcendens ad Saturnum peruenit in annis 23. menſibus 9. diebus 22. & tunc animi,& corporis languorem patietur. Saturnus quoque ad Martis ſextilem in annis 34. menſ. 5. diebus 20. & ſignificat morbum in cute,& febrem leuem, Sed & ad Lunæ quadratum in annis 55. menſ. 3. diebus 17. poſt quod tempus diuerſis conflictabitur morbis, & erit mors cum ſanguinis profluuio, & feruore maximo.

Cæterùm Edoardo mortuo ætatis ſuæ anno 16. enimverò fraudes, & impoſturæ Cardani enituère,quare vt exiſtimationi conſuleret ſuæ,Epignoſticon edidit de vita Edoardi VI. Regis Anglorum, quo oſtendit ex aſtrorum conſtitutione, & decretis illi migrandum neceſſariò è vita fuiſſe anno ætatis 15. menſ. 8. diebus 28. ſcilicet anno Domini 1553. die 6. Iulij. Sic ludunt Aſtrologi, nobiſque illudunt.

• Quibus fraudibus vſus ſit Paris Cereſarius, magni nominis Aſtrologus , in celeberrimo vaticinio de Pauli III. Pontificatu,ſcribit Cardanus lib.3,Quadripartiti,cap. 14. & Sixtus ab Hemminga lib. Aſtrologiæ refutatæ,genitura 8.

CAPVT QVARTVM.

Aſtrologicæ obſeruationes ridiculæ.

INNVMERABILIVM annorum obſeruationibus artem hanc collectam,& infinitis propemodùm experimentis tempore immenſo comprobatam fuiſſe,ſcribunt Aſtrologi, & à Chaldæis præſertim, & Ægyptiis obſeruata,& ſignificatione euentus animaduerſa,& notata:in patentibus enim campis,cùm ſtellarum motus,vias,diſſenſiones,& cœtus commodè viderent,& iiſdem Signis antegreſſis eaſdem res, & eodem modo euenire animaduerterent,artem effecerunt.

Non erit igitur iniucundũ,quæ de huius diſciplinæ ortu ſcribuntur ridicula, hoc loco percenſere ; ita autem artem hanc à Chaldæis notatam tradit Sextus Empyricus lib. 1. contra Mathematicos,cap. 21. [Noctu(inquit)ſedebat Chaldæus in alto aliquo promontorio ſtellas ſpectans,alius autem aſſidebat parturienti,donec peperiſſet;cùm primùm autem peperiſſet,id ſignificabat magiſtro, qui erat in promontorio. Is autem cùm audiſſet , obſeruabat ipſe quoque Signum, quod oriebatur , tamquam horoſcopum, interdiu autem attendebat horoſcopos, & motus Solis.]

Rurſus infrà : [Quando dicunt (inquit) quòd qui parturienti aſſidet , diſco partum ſignificat Chaldæo aſpicienti ſtellas in promontorio , & ille cælum aſpiciens obſeruat Signum,quod oritur;primùm quidem eis oſtendemus,quòd cùm partus non ſit definitus,ſicut paulò antè monſtrauimus, nec facile ſit cum

diſco

Digitized by Google

diſco ſignificare. Deinde, eſto poſſe comprehendi partum, non tamen eius tempus poteſt perfectè adnotari; accidit enim vt diſci ſonitus, qui poteſt longiori tempore ſenſui diſtribui, moueatur ad promontorium, ſignum autem eſt huius id, quod cernitur in his, qui ligna ſecant in montibus; nam ſatis longo tempore poſtquam inflicta eſt ſecuris, exauditur ictus vocis, vt qui longiori tempore veniat ad eum, qui audit; propterea non poſſunt Chaldæi perfectè ſumere tempus ſigni exorientis, quod eſt horoſcopus. Præterea non ſolùm poſt partum tranſit multum temporis, in quo emittitur ſonus ab eo, qui aſſidet parturienti ad eum, qui aſpicit ſtellas, ſed etiam interim dum ſurſum aſpicit, & conſiderans examinat in quo ſigno ſit Luna, & vnaquæque ſtella euadit diuerſum, quod ad ſtellas attinet, thema motus mundi, qui perpetua circumagitur celeritate, priuſquam horæ eius, qui natus eſt obſeruando affixerit, & accommodauerit ea, quæ cernuntur in cœlo. Et alioquin hæc obſeruatio nutu fortaſſe ſolet procedere Chaldæis, quando cernuntur, quæ ſunt in circulo zodiaco, & ſunt manifeſtæ ſtellarum confirmationes; cùm autem naſcantur nonnulli interdiu, quando nihil poteſt adnotari eorum, quæ priùs dicta ſunt, ſed ſolus Solis motus, ſi is quoque poteſt, dicendum eſt in quibuſdam quidem poſſe procedere methodum Chaldæorum, in quibuſdam verò minimè. Vide autem, num etiam noctu non poſſint certas, & non errantes ſtellarum facere obſeruationes; ſæpe enim nubiloſæ, & caliginoſæ ſunt noctes. Benè autem cum eis ageretur, ſi ablato omni huiuſmodi pretextu, firmum aliquid, & ſtabile inuenirent in diſciplina, tantum abeſt, vt poſſint inuenire, ſi ſit aliquod impedimentum ad perfectam, & abſolutam cœleſtium comprehenſionem. Cùm autem Chaldæorum fregerimus, & aboleuerimus horoſcopum, & paucis oſtenderimus id non poſſe comprehendi tempore ortus; pergamus ad reliquam promiſſi partem, &c.]

Hæc demum ſunt accurata illa, & certiſſima experimenta, quibus hæc diſciplina parta fuit; hæ fœlices illæ, & nunquam errantes obſeruationes, quibus fuit Aſtrologia collecta: hoc fuit orta naturali, quàm incertis orta principiis, quàm ineptis notata hominibus, quàm rudibus, & craſſis obſeruationibus innixa, viderint alij; ego rationem referam, qua Zodiaci ſigna imminuta diuiſère ij, qui hanc artem pepererunt apud eundem Sextum Empiricum lib. 1. c. 2.

Nam cùm non eſſet certa animaduertendi, & inſpiciendi ratio, quod non contemplarentur ſigna ex propria circumſcriptione, ſed ſeptem diſperſarum ſtellarum obſeruatione, venit eis in mentem in duodecim partes totum diuidere circulum. Oſtendentes autem viam, ac rationem, dicunt, quòd cum veteres obſeruaſſent vnam quamdam lucidam ſtellam, ex iis, quæ ſunt in circulo zodiaco, & deinde perforatam amphoram aqua impleſſent, ſiuerunt fluere in alterum vas ſubiectum, donec eadem ſtella oriretur, coniectantes ab eodem ſigno ad idem ſignum fuiſſe circuli circumuolutionem. Rurſus ſumpſerunt duodecimam partem eius, quod fluxit, & conſiderarunt quanto tempore hoc fluxerit, dicebant enim tanto rediiſſe duodecimam partem circuli, & eandem habere reuerſam partem ad totum circulum, quantam habet pars aquæ, quæ fluxit ad totam aquam.

Ex hac relatione duodecimæ partis ſignabant vltimum finem ab aliqua inſigni ſtella, quæ eo tempore ſpectabatur, aut ab aliqua ex iis, quæ ſimul

oriebantur magis Boreales, aut magis Auſtrales. Hoc ipſum faciebant in aliis duodecim partibus,&c.]

Sed non poſſumus prætermittere ea, quæ aduersùs hæc Empyricus eodem loco ſcribit. [Dicimus ergo(inquit) quòd non facilè poſſunt inter ſe definiri, immo ne poſſe quidem perfectè definiri partes ſignorum ; ſit veriſimile exortum ſignum nondum videri eſſe exortum. Neque enim priùs dicta hydriarum ratio poteſt aliquid Chaldæis afferre adiumenti, nam & ex aqua defluente, & ex aëris temperatione fluxus eſt inæqualis tempore , & ea quæ fluxui obſiſtunt ; aquæ enim motionem veriſimile eſt eſſe diſſimilem in principio,quando fluit pura , & poſtea quando eſt limoſa & fluens difficiliùs ; aëris autem temperationem eſt probabile ſi ſit quidem caliginoſus , & paulò craſſior reſiſtere effluxioni eam quodammodo obſtruendo , ſi ſit autem clarus , & ſubtilis , magis adiuuare. Porro autem ipſa quoque amphora non ſimiliter fluet, ſi ſit plena , & ſi ſit inanis , aut ſi ſit in eo, vt exinaniatur , ſed aliquando quidem celeriùs , aliquando verò tardiùs , aliquando verò mediocriter , cùm cœleſtis motus ſemper feratur pari celeritate. Quod eſt autem in omnibus præcipuum , vniuſcuiuſque ſigni non eſt corpus continuum , neque veluti cum præcedenti compactum , coniunctum eſt ; cùm id ſequitur nullo interiecto ſpatio , ſed conſtat è ſtellis diſperſis , & quæ quædam intermedia , & diſcreta habent ſpatia , partim in medio , & partim in fine , vnde cum partibus ſignorum Zodiaci omnino deſcribatur neceſſe eſt, vt ſit error in iis, qui obſeruant à terra ; cùm eos lateat occurrens interſtitium , ſiue ſit finis præcedentis ſigni , ſiue initium aſcendentis. Tumuli autem , ex quibus ſtellæ aſpiciuntur , non ſemper manent iidem , ſed cùm in parte diuerſus ſit , & mutetur mundus , aut imbrium inundationibus , aut terræmotibus , aut aliis huiuſmodi caſibus vexentur. Quo fit , vt ex eorum mutatione non ſint eædem ſtellarum obſeruationes , ſed alia ſit ex loco excelſo aſpicientibus obſeruatio, alia verò ex humili,&c.]

Ecce tibi ſapientes illi viri huius artis Principes , & auctores , qui & aſtrorum congreſſibus ſubtiliter notatis , & animaduerſis euentis , Aſtrologiam certis , & exploratis monumentis conſignarunt , nobiſque Genethliacas præceptiones nunquam fallentes prodiderunt , his inſtrumentis cœlum partiti ſunt , qui Aſtrologiam primi certa ratione , & via tradiderunt : inſtrumentorum autem vitium magnos in Aſtrologia parere errores ſcribit Ptolemæus lib.3. cap.2. [Inſtrumentis (inquit)horarum , quæ per aquarum decurſus adaptantur , euenit ex aquarum retentione , & decurſus differentia , quæ per differentes occaſiones , vel per quamlibet vllam occaſionem & contingentem, ei aduenit , neceſſariò conuenit , vt via , qua gradus circuli ſingulorum , qui ſecundùm naturalem rationem conſecutiua debet eſſe aſcendens deprehendi poſſe iudicemus , &c.] Horum obſeruationibus nituntur quicumque Aſtrologiam profitentur. Quid veri , aut veriſimile effici poſſit his principiis , nemo non videt , vt iam planum ſit quemadmodum id præſtigiarum , atque offuciarum genus homines commenti ſunt, rudes, & cœleſtium, terreſtriúmque rerum imperitiſſimi , ita eas non exercere , niſi ærruſcatores, & nugiuendulos qui cibum,quæſtúmque mendaciis quærunt.

Iam verò quòd Chaldæi iactant quadringenta ſeptuaginta millia annorum monumentis , huiuſmodi obſeruationibus Aſtrologicis comprehenſa ſe habere,

Digitized by Google

bere, mediocrêne eſt mendacium? Incredibilibus hiſce figmentis nos credere iubent? & niſi credamus, iniuriam ſibi fieri arbitrantur? Arbitrentur quodcumque voluerint: nos veris, & veriſimilibus fidem habemus, iis qui nullam præferunt ſpeciem veritatis fidem adiungere, etiam ſi maximè velimus, non poſſumus.

Si quis dicat hæc fuiſſe prima huius diſciplinæ rudimenta, & balbutientis adhuc Aſtrologiæ incunabula, cæterùm ſtellarum poſtea motus, ortus, & occaſus ita numeris comprehenſos, vt Mathematici quo die, qua hora, quo momento earum congreſſus, digreſſus, defectus futurus ſit ſine vllo errore, certiſſimiſque monumentis tradant. Hinc Alphonſi Copernici tabulæ, hinc ephemerides per ſingulos annos, menſes, dieſque ductæ. His verò tempore immenſo notatis, & animaduerſis, obſeruatum quoque quo habitu, qua forma, quâque conſtitutione ſtellarum aliquis naſceretur, tum deinceps vitam, fortunam, mores, & ingenium, & ad extremum finem etiam vitæ, eâque omnia, vt vſu euenerant literis mandata, deprehensúmque fuiſſe, eos qui ſub eodem ſtellarum habitu prodeunt in lucem, parem, vel non admodum diſſimilem fortunam nanciſci, & ita artem hanc eſſe conditam, ſi quis, inquam, ita diſputet, conuinci poteſt apertiſſimi erroris; ſiquidem non eſſe adhuc ab Aſtrologis exactè notatos ſyderum congreſſus, declarant eclipſes, quarum nullam adhuc vidimus eorum tabulis ita reſpondentem, vt non vna aut altera hora à præſtituto tempore deſciuerit. Declarant ephemerides ipſæ variæ inter ſe, & multis horis diſſidentibus. Declarant ea quæ Ticho Brahe de Martis & Saturni motu ſcribit lib. de noua ſtella pag. 648. incertos adeò eſſe Aſtrorum congreſſus, vt tres & quatuor dies à calculo aberrent. Deinde is deſerit inueteratam Aſtrologorum opinionem de artis ſuæ antiquitate, quam, & vetuſtate ipſa robuſtam, & innumeris à Chaldæis, & Ægyptiis experimentis confirmatam fuiſſe tradunt. Deinde quo errore, aut fraude Chaldæos, & Ægyptios, qui primi hanc artem coluerunt, fuſam, & vagam diſciplinam nullo certo fundo conceptam profeſſos eſſe concedit, & à cœlo duxiſſe, quæ à cœlo non dependent, eodem cogitur fateri Aſtrologos noſtrates laborare poſſe, & è cœlo deducere, quæ aliunde proficiſcuntur. Poſtremò cùm conſtet inter Aſtrologos ſtellas, aut nunquam, aut infinito propè annorum interuallo ad eundem locum regredi, quo pacto Aſtrologi notare potuerunt eos qui ſub eodem cœlo nati, aut geniti ſunt, eundem vitæ tenorem ſortitos, quæ tempora ſatis eſſe potuerunt ad obſeruandum, quid aut efficiant, aut præmonſtrent ſinguli aſtrorum congreſſus. Hactenus à Chaldæis, & Ægyptiis artis ſuæ originem Genethliaci repetiuerunt. Claudius Ptolemæus nihil ex propria, omnia ſe ex Chaldæorum Ægyptiorúmque obſeruationibus ſcribere affirmat. Ex eorumdem notationibus Iulius Firmicus, & Albumaſſar huius artis præcepta tradiderunt, nunc ſi Chaldæi, & Ægyptij vera, & ſolida Aſtrologia caruerunt, doceant, vbi, quando, apud quos cœperit vera Aſtrologia; Nos certè non habemus aliam, quàm quæ à Ptolemæo, ab Arabibus, à Latinis, à Græcis tradita fuit, quam ab Ægyptiis, & Chaldæis profectam eſſe conſtat, ſi quæ fuerunt obſeruationes factæ poſt Ptolemæi, & Arabum tempora, diuturnis illæ experimentis confirmari non potuerunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Aſtronomicis experimentis nihil eſſe fidendum.

IN experimentis Aſtrologi ſuorum Apoteleſmatum ſummam, & ferè vnicum poſuère præſidium, experimenti porro vis in ſimilitudine eſt, eorum quæ experimur. [Multæ (inquit Ariſt. in procemio Metaph.) eiuſdem rei memoriæ vnius experientiæ vim efficiunt, quare experientia penè ſimile quid ſcientiæ, & arti eſſe videtur; per experientiam autem ars, & ſcientia hominibus efficitur; Experientia enim, vt rectè ait Polus, artem efficit, in experientia autem fortunam. Fit autem ars, cùm è multis experimentalibus conceptibus vna de ſimilibus vniuerſalis opinio fiat; opinari enim quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conducit ſimiliter Socrati, ac ſigillatim aliis multis experientiæ, quod autem omnibus huiuſcemodi ſecundùm vnam ſpeciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit vtpote pituitoſis, aut bilioſis, aut febre ardente febricitantibus, hoc artis proprium eſt, &c.]

At in aſtrorum iudiciis diſſimillima ſunt priſcorum, recentiorúmque experimenta atque exempla, ipſius quoque Ptolemæi confeſſione lib. 1. de Iudiciis, cap. 2. [Hoc quoque accidit (inquit) vt configurationes, quas veteres tradiderunt, & quibus nos iudicia accommodare conſueuimus, pronunciantes de iis, quæ nunc obſeruamus, vt illi olim. Hæ igitur configurationes, ne ſemel quidem cum noſtris ſimiles, & congruentes repertæ ſunt; nam magis quidem, aut minùs concordare poſſunt, atque id quidem imminentis temporis ambagibus, prorſus autem conuenire nullo modo, cùm omnium rerum cœleſtium ſimul, ac terreſtrium inſtauratio (niſi cui libet, inanitate quadam glorioſa, oſtentare ſcientiam, & perceptionem earum rerum, quarum nulla eſſe poteſt) aut non ſit prorſus expectanda, aut non intra tempus quod humano intellectu comprehendatur; ſi quando igitur in prædicendo erratum fuerit commiſſum ex eo vſu venit, quòd ſubiecta exempla diſſimilia inter ſe fuerint, atque hæc vna eſt in aëris exploratione difficultas, ad quam nulla accedit cauſa comperiendorum motuum cœleſtium.

Iulius Firmicus lib. 8. Matheſeos, c. 5. nouas obſeruationes Græcis & Latinis inauditas, ſe traditurum his verbis profitetur. [Accipies nunc Mauorti decus noſtrum pleniſſimam huius operis diſciplinam, Græcis multis & omnibus fermè Romanis incognitam, ad quam vſque ad hodiernum diem noſtrum aſpirauit ingeniũ, &c.] Rurſus lib. 4. c. 16. [Iſtam rationem (inquit) veteres inuolutã variis obſcuritatibus reliquerunt ne ad hominũ notitiam perueniret, &c.]

Quid Cardanus lib. de reſtitutione temporum, & motuum cœleſtium? nónne veteres omnes in motu Solis, Lunæ, Saturni, Martis, obſeruãdo deceptos eſſe docet, eorum propterea experimenta ſub alio aſtrorum ſtatu, & conſtitutione facta eſſe quam contingant noſtro tempore? Et ſect. 1. Aphor. 27.] Nullus planeta (inquit) in æternum redibit ad priſtinum locum, nec etiam in longiſſimis temporum ſpatiis ſecundùm ſenſum alius à Sole. Quantò id magis de Ægyptiorum, Chaldæorum experimentis fatendum non contigiſſe ſub eodem cœlo, in quod cadunt noſtra ætate?]

Victus

Victus hoc argumento Lucius Bellantius libro de Aſtronomiæ veritate, quæſt. 1. art. 1. fatetur experimentis deeſſe ſimilitudinem perfectiſſimam, ſed eam negat eſſe neceſſariam, cùm de genere vniuerſo iudicent, & prædicant Aſtrologi, de ſingularibus autem non niſi imperfectè, ac timidè, propter cœleſtium configurationum diſſimilitudinem. [Qualis imperfectio (inquit) aliis etiam doctrinis ac diſciplinis accidit, ſed aliis maior, minor aliis.] Hæc Lucius Bellantius, quàm lucidè, quàm bellè, viderint alij: ego multa in his deſidero.

Ac primùm non video, quid diſcriminis inter generalia ponat, & ſingularia: quæ enim vocat generalia, cane quæ non vni hominum, ſed toti cuidam populo, ſeu regioni eueniunt? nam hæc generalia appellat Ptolemæus libro primo de Iudiciis, capite tertio. At hæc quoque pendent, ſi pendent, à ſingularibus aſtrorum congreſſibus, qui ſi nunquam redeunt iidem, vt verè non redeunt, non minùs generalium, quàm ſingularium obſeruationem faciunt inconſtantem, & lubricam. Quare generalium etiam experimenta vacillant, labántque. An aliter generalia intelligit, poſſe nimirum ab Aſtrologo prædici, quod genus, aut ſpecies euentorum impendeat, non poſſe verò definire euentorum circumſtantias, quæ ſingularium complent propriā rationem, ac formam.] Hoc magis ipſe ſignificat artic. 2. ad 3. hoc modo etiam Ptolemæus in centiloquio, can. 1. in generali, non in particulari prædicere poſſe Aſtrologum ſcripſit.

At neque id probare poſſum, quia Aſtrologorum prædicunt ſingulares euentus mortem violentam ex veneno, ex inſidiis: diuitias ex hæreditate, ex induſtria, ex matrimonio, amicitias Principum: cædes fraternas, maternas profitentur, & tempus, & annum, & diem ſingulorum euentuum à ſe præſciri poſſe: pleni ſunt libri: plenæ geniture.

Præterea duo ſunt euentorum genera, quędam ſimplicia, copulata quædam; morietur cras Socrates ſimplex res eſt, huic ſiue quid accidat, ſiue nihil finitus eſt moriendi dies; Philippus gignit Alexandrū ex Olympiade, copulata res eſt, non poteſt dici ſiue fuerit Philippus cum Olympiade, ſiue non fuerit, gignet Alexandrum. Simplicia quæ ſunt non à quocumque aſtrorum congreſſu dimanant, ſed à definito, & indiuiduo, qui ſi nec vnquam idem reuertitur, nec idem ſimplex effectus redire poteſt, nec confici experimentum. Quæ ſunt copulata, &, vt Chryſippus vocabat, confatalia, vnum ſine alio effici non poteſt, vtrumque à certo, & definito ſyderum aſpectu dependet: vbi igitur ſunt generica iſta experimenta?

Adhæc circumſtantias iſtas, & accidentia euentorum, quæ vocas, vel ais eſſe à ſyderum efficientia, vel non. Si ſecundùm rerum partem multò maximam à cœli poteſtate ſubducis, non ſine Aſtrologicarum prædictionum incertitudine, & incredibili ambiguitate. Si ais, & horum experimenta facta eſſe oportet ab Aſtrologis, non generica; eadem enim quæſtio rediret.

Rurſus minima ea ſtellarum commutatio, & quælibet quamquam exigua configurationis variatio, effectuum non ſolùm circumſtantias, ſed & genus euariat; lege Card. libro de Iudiciis geniturarum, cap. 1. 3. & 6. & lib. de reuolutionibus, cap. 7. [Quatuor modis (inquit) planeta iuuat, vel nocet. Primus eſt ex natura propria, ſecundus ex qualitate diſpoſitionis, tertius ex irradiatione.]

Infra: [Ptolemæus (inquit) poſuit Lunam ſignificantem corpus, deinde animi mores, deinde vitam, & vxorem, & natum, & ancillas, & filias, & ſorores. Quomodo ergo erit diſpoſita, cui in partu moritur vxor, & ipſe longæuæ

 vitæ

Digitized by Google

vitæ,& filiæ eius plures incolumes, & ancillæ fugitiuæ, & mater mortua citò, & corpus ſalubre,& intellectus inconſtans, & malus? propter hæc in capitulo ſequenti ſubiiciam vnam,aut alteram figuram.]

Idem eodem libro capite quinto. [Quinta, & Venus, & Luna dant filios, Mars cum nona, & Luna dant itinera, Luna Venus diſpoſitores dant, matris fortunam, Luna Mercurius,& tertia dant fratres,& conſanguineos,&c.] Multa itaque & genere diuerſa ,,cùm ab eodem aſtro pro vario congreſſu cum aliis aſtris proueniunt : eadem verò cœli conſtitutio redeat nunquam, quamuis enim annis triginta Saturnus, Iupiter duodecim, Mars duobus, Sol, Mercurius,Venus vno, Luna viginti ſeptem diebus , & octo horis abſoluant ſuum curſum, Ptolemæo auctore, ad eamdem tamen conſtitutionem, eo temporis ſpatio non reuertuntur, vnde Aſtrologi deſumpſerunt experimenta, quibus ſuam diſciplinam fulcire ſolent,vnde hauſerunt obſeruationes quas adeò munificè iactitant.

Agè verò, vndenam duxit hanc differentiam Bellantius? ſtellarum ſanè conſtitutiones in ſchemata vel recurrunt, & ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm accidentia ſimilia, vel vtroque modo diſſimilia, vel vno modo ſimilia, diſſimilia altero.

Si vtroque modo ſimilia,id primò aduerſatur Ptolemæo,id aduerſatur omnibus,qui aſtrorum motus numeris,& ratione complexi ſunt. Deinde vtraque obſeruari potuerunt,& generalia quæ ſunt,& priuata, & in artem redigi, nam licèt euentus alicuius circumſtantias operoſius ſit notare, quàm genus, præcipuarum tamen circumſtantiarum notatio non ſuperat periti ac ſolertis Aſtronomi diligentiam, nam & hiſtorici ſæpe pleraſque circumſtantias complectuntur in bello quopiam, ſeu pace,ſeu fœdere, ſeu fame deſcribenda, ſi vtroque modo diſſimilia ſunt neque generalia,neque ſingularia, & quæ accidentibus circumſcribuntur ſub experimentum veniunt. Sin tandem ſubſtantia ſimiles, diſſimiles accidentibus ſunt ſtellarum congreſſus, quamnam, obſecro, intelligit ſubſtantiam? aſtrorúmne? verè quidem, ſed nihil ad rem ; id enim ſi ſatis eſſet idem genere ſemper cœlum præſtaret. An aſpectuum , & virium quæ pro vario aſpectu ſtellis inſunt? nihil his variabilius, nihil minùs conſtans, in errantibus præſertim, quæ nunc in ſextilem conueniunt, aliàs in trigonum recurrunt, mox in quadratum cedunt, aliàs ex altera parte ſibi reſpondent, quam inconſtantiam abundè declarat effectuum varietas quos ſingulis momentis fundunt, declarat geminorum partus qui breuiſſimo temporis interuallo contrariis temperamentis,contrariis moribus prodeunt. Sed fac vel vna hora non mutari cœli efficientiam,vnde deduces diuerſam eorum naturam qui eo tempore oriuntur? vnde rerum varietatem incredibilem, quæ per id tempus prodeunt in lucem? An ſigna dicit Bellantius, vel domos ſimiles eſſe ſubſtantia? nihilo meliùs; cùm enim aſtrorum tardiora quædam,velociora ſint alia, modò in his, modò in aliis, modò in vno, modò in alio gradu ſibi obuiant; vbi, Bellanti, pones tuam illam generis, ſeu ſubſtantiæ ſimilitudinem? Denique cùm varientur ſigna,& ſignorum gradus,congreſſus, ſtationes,retrogradationes,directiones,ortus,occaſus,omnia denique, ex quibus ſimile quoddam genus fingi poteſt, vbi tandem exiſtet iſta ſimilitudo?

Ex hac re duo conſequuntur neceſſariò; vnum quidem ſyderum omnes congreſſus cùm infiniti propemodum ſint,obſeruari non potuiſſe,nec eſſe,neq; fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe vllos Aſtrologos, qui ſui ſæculi quotidianos congreſſus aſtrorum, eorúmque effectus obſeruauerit; vt prorſus oporteat hanc ſcientiam eſſe mancam, deſtitutam nimirum experimentis innumeris,& notationibus quæ ſæculo quolibet,immo quolibet anno & die fieri potuiſſent,& facta non ſunt; vnde ſequitur omnes obſeruationes fallaces,incertas,ambiguas,dubias eſſe: cùm enim non fuerint ſemper obſeruati aſtrorum concurſus, incertum oportet eſſe an eoſdem ſemper effectus,an verò aliquando hos, aliquando contrarios fundant.

Alterum, experimenta quæ facta ſunt (ſi vlla tamen ſunt facta) non dare ſcientiam aut generalem rationem, qua in poſterum pronunciari quidquam poſſit, aut prædici; quia nullæ ſunt aſtrorum configurationes aliis prioribus ſimiles,ex quibus generalia ſumi poſſint ſcita,& pronunciata,quæ ad iudicandum de aliis,& ſimilibus iuuare poſſint.

CAPVT SEXTVM.

Tria Aſtrologorum ſuffugia.

TRIPLICI via huius rationis vim declinare poſſunt Aſtrologi. Primò quidem docendo, non indigere Mathematicos congreſſuum ſimilitudine, ſcire ſe Solem eſſe calidum, frigidum Saturnum, Lunam humidam, ſiccum Martem, & ſic de reliquis. Deinde ex opticæ præceptis commodè diiudicari poſſe, quantum maioris, minoriſve diſtantiæ, & propinquitatis ratio valere poſſit,vt aſtrum vnum vim alterius,aut retundat,aut exacuat, in mutuis congreſſibus.Quare poſito quolibet aſtrorum interuallo,non ægerrimè coniici poſſe,quid ex his, & iis viribus parũ, multúmque ſemotis aptum ſit conſequi.

Exiſtimare ſecundò poſſunt Mathematici accidere quidem his obſeruationibus, ac menſuris diuerſitatem, & errorem aliquem, non magni tamen momenti, ſatiſque eſſe Aſtrologo paulò plus, minúſve verum attingere, quod & Bellantio viſum eſt,quæſt.citata diluente ſecundum argumentum.

Tertiò contendunt plerique nihil opus eſſe anxiè diſquirere qualibus experimentis Aſtrologia parta fuerit experimenta, qualia oportebat fieri, facta iam eſſe,idque conſtare, tùm Aſtrologorum omnium vnanimi conſenſu, tum quotidiana prædictionum veritate; videmus hæc prædicta nunquam ferè ementientia, quod non eueniret, niſi legitimis experimentis Aſtrologorum ſcita collecta fuiſſent. Quamuis ergo cognitioni hominum obſcura ſit ratio, qua hæc animaduerſa,& notata ſunt, notata tamen eſſe, & obſeruata, vt oportuit, perſpicuum eſt. Ita ferè fugiunt Aſtrologi,nos ſequamur fugientes;nondum enim argumenti, quod propoſuimus, vim declinarunt, immo nec declinare poſſunt. Sed vt certo ordine diſputatio procedat, oſtendendum eſt non potuiſſe planetarum vires Aſtrologos experiri.

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

Non potuiſſe Aſtrologos Planetarum vires experiri.

Q VONIAM planetarum præcipuè viribus confidunt Aſtrologi, eaſque totius Aſtrologiæ quaſi fundamenta conſtruunt, placet ab his initium ducere, planúmque facere, non potuiſſe eorum vires experimentis notare. [Saturni ſtella (inquit Ptolemæus libro quinto de Iudiciis, cap. quarto) maximè frigidifica eſt, ſed & nonnihil arefacit; Stella Iouis temperatæ naturæ eſt; media enim fertur inter frigidificam Saturni, & æſtuoſam Martis: Martis ſtella, & arefacit, & vrit, ſicut congruit igneo ipſius colori: Stella Veneris eoſdem habet effectus, quo ad temperationem, quos Iupiter, ſed ratio eſt diuerſa; nam quòd vicina eſt Soli non nihil calidifica eſt, ſed multò vehementiùs humectat: Mercurij ſtella ferè quidem non minùs aliquando arefacere quàm humores abſorbere, propterea quòd non longè à Sole recedat; aliquando tamen & humectare deprehenditur cùm ſuperpoſita ſit terræ proximè orbi Lunæ, ſubitarum autem mutationum in vtramque partem effectrix eſt inflata quaſi celeritudine comitatus ſolaris, &c.]

Quid Cardanus libro de ſupplemento Almanachi, capite decimooctauo? [Saturnus frigidus eſt, maximè Orientalis, ſiccus maximè Occidentalis. Iupiter calidior, quàm humidior: calorem auget Occidentalis, humiditatem Orientalis. Mars ſiccior longè quàm calidus, Orientalis calorem, Occidentalis ſiccitatem auget. Sol calidus valde in paſſiuis paululùm declinat ad ſiccum. Venus humida plurimùm, maximè Orientalis calida paululùm, magis tamen Occidentalis. Mercurius ſiccus, plus tamen Occidentalis, temperatus in actiuis, Orientalis tamen modicè calidus. Luna humida vehementer maximè Orientalis, id eſt, poſt Solem calida paulùm, magis tamen Occidentalis.]

Tantum autem Genethliaci Planetarum viribus tribuunt, vt reliquarum omnium ſtellarum virtutes ad eas reuocent; quare Ptolemæus libro primo de Iudiciis, capite octauo. [Stellæ in capite Arietis (inquit) effectus habent commiſtos ex viribus Martis, & Saturni, quæ in ore ſunt, idem poſſunt quod Mercurius, & nonnihil quod Saturnus, quæ in poſteriori pede Martiæ, quæ in cauda Venereæ ſunt. Vbi Tauri ſignum quaſi amputatum cernitur, ibi ſtellæ ſunt naturam ſapientes Veneris, & Saturni, at Vergiliæ Lunam, Martémque referunt in capite inter ſucculas vna luce rutila excellens, quæ & facula dicitur Martia eſt. Geminorum ſignum in pedibus ſtellas habet, quarum natura ſimilis eſt naturæ Mercurij, & nonnihil Veneris. In femoribus lucidæ ſtellæ Saturniæ ſunt, in capitibus duæ nitent, quarum prior Mercurialis eſt cognomento Apollinis, poſterior Martia cognomento Herculis, percuſſit denique omnes Zodiaci ſtellas, deinde omnes ſtellas fixas, eáſque aut Saturnias, aut Iouias, aut Martias, aut Mercurias, aut Venereas, aut Lunares, aut Solares facit.] Ptolemæum ſequuntur minorum gentium Aſtronomi, & ad ſeptem planetas reuocant cæterarum omnium ſtellarum vires, & efficientiam. Quo fit, vt ſi probatum fuerit, non potuiſſe Aſtronomos experiri vires Plane-

tarum

Digitized by Google

tarum, Aſtrologiæ vniuerſa, & Genethliaca omnia ſcita vocentur ad certiſſimum interitum; nam aſtrologia non habet alia præcepta, quàm quæ experimentis ſancita & collecta ſunt, itaque ſi probatum fuerit, eius dogmata nullis niti experimentis, artem totam fabuloſam eſſe, & fictitiam conſtabit.

Agite ergo, ſi placet, in ipſam Aſtrologiæ arcem expediamus arietem; non leui, ac ludicra de re diſceptatur, ſed de diſciplina, quæ certis, & indubitatis experimentis orta, aucta, confirmata dicitur, quæ rerum maximarum, vtiliſſimarum, difficillimarum certam ſcientiam profitetur.

Principio itaque ſciſcitari libet, vndenam Aſtrologis primis innotuerint, Saturni frigiditas, ſiccitas Martis, aliæque aliorum Planetarum priuatæ vires? Experimentis, inquies; bene eſt, & quidem de Solis calida, de Lunæ humida vi, inter omnes meritò conuenit, ex quotidiano, perpetuóque ſenſu, de aliis quæro. Saturnum, gratia exempli, nemo ſolùm vidit in cœlo, vnde ſibi conſtet de eius frigiditate. An quia ſentimus frigus? quid ſi frigiditas, quam experimur, non ſit Saturni, ſed aliorum ſyderum, quæ cum Saturno feruntur in orbem? Experimur, inquies, ſemper gelidum aërem præſente Saturno, licèt aliis, & aliis ſemper ſtellis cõſocietur. Nihilne ergo faciũt ad frigus reliquæ ſtellæ, quas tu dicis habere naturam Saturni, naturáque frigidas eſſe? Quo pacto probas frigus à Saturno defluere, non ab aliis aſtris? Nonne quotidie ſiue noctu, ſiue interdiu, noſtrum hemiſphærium Saturnus pertranſit? nónne rapitur diurno motu ſupremi cœli? num ſentimus quotidie frigus? etiámne furente Leone, etiam latrante Canicula? annon id ais, ſed ais tunc quoque minùs æſtuare cœlum, quando maximè æſtuare videtur, obſiſtente Saturno Leonis, & Caniculæ calori? vnde id noſti? an Saturni abſentiam de cælo vidiſti? & tunc maiorem calorem expertus es? non inquies. Vnde igitur probas minus nunc eſſe in mundo caloris, quàm eſſet, ſi Saturnus cœlo abeſſet? quibus leuum caput id probas certis experimentis?

Vt paucis rem conficiamus, bipartitam facio quæſtionem, ac interrogo, Habéſne huius frigiditatis experimentum perpetuum, & numquam interruptũ, an quorumdam dumtaxat temporum? Si perpetuum, hoc aliunde non poteſt deduci, quàm ex eo quòd cùm perpetuò Saturnus è cœlo fulgeat, qualibet hora frigidiorem reddit mundum, quàm eſſet, ſi Saturno cœlum careret; at id nullam vim habet, niſi apud eos qui ſibi iam perſuaſere frigidum eſſe Saturnum; alij enim id inficiabunt, & experimentum requirent. Quî igitur detrahes Saturnum de cœlo, vt experimentum exhibeas frigiditatis, quã ſub Saturno, & ſine Saturno mundus vtitur?

Sin quorundam temporum affers experimenta, & non continua, quorũnam? quatuor, inquies, potiſſimùm: nam intereſt primo cum quibus aliis ſtellis congrediatur: ſecundò, interdiu, an noctu fulgeat: tertiò, quam hemiſphærij noſtri partem, ſeu ſitum occupet: quartò, quantum denique per Zodiacum ad nos accedat, vel recedat. At nihil horum certam Saturno frigido fidem faciunt.

Et de primo quidem experimento nihil in præſentiarum laboramus, conuenit enim nobiſcum, variabiles eſſe congreſſus aſtrorum, nunc autem ſimilia quærimus, & vniuſmodi non varia, & inconſtantia, quæ ad ſecundum effugium pertinent, de quo ſuprà diſſeruimus, & cap. ſequenti redibit diſputatio.

Digitized by Google

Deinde vel Saturnus quibuſcumque iunctus ſtellis fundit frigus, vel cum quibuſdam ſolùm, non cum aliis. Non primum: non enim cum Sole, non cũ Canicula, non cum Leone, non cum Marte, vt ſatis conſtat ex capitulo præcedenti. Dices, cum his quoque exhibere frigus, ſed tenue, & vix ſenſile: nugæ. Experimentum quærimus ſenſibile, & certum. Affirmabis ab his aſtris eius efficientiam impediri; rectè quidem, ſed non habes adhuc experimentum quod proferas quod inquirimus. Vnde enim noſti illum natura ſua frigefacere, ab aliis aſtris impediri, ne fundat frigus?

Cum quibuſdam verò aſtris ſi Saturnus frigefacit, non cum aliis. Primum quidem tam poſſum Saturno frigus, quod è cælo defluit, tribuere, quàm tali ſyderum compoſitioni: nam, ſi eadem redire poſſet compoſitio abſente Saturno, redargueretur fortaſſe; nam ſi ſemoto Saturno aliorum aſtrorum conſus frigefaceret, nihil certiſſimo comprobares experimento à Saturno potiùs, quàm ab aſtrorum congreſſu frigus proficiſci; quo enim ſeparato nihil fit, conſtat in eo aliquid eſſe cauſæ, cur res fiat. At ſyderum compoſitio cum Saturno, qua poſita expertus ſum frigus, non eſt ſeparabilis à Saturno, nec redire poteſt ſine Saturno, quomodo igitur redargues eos, qui contendunt non à Saturno, ſed à congreſſu ſtellarum frigus delapſum eſſe, quod proferebas? quo experimento ſuadebis Saturnum eſſe frigidum? Saturnus verò ſeparatur quidem, & redit, ſed cum aliis ſtellis, ſub quo congreſſu, vel experimur frigus, & redargui nequit, qui id tribuit nouæ conſtitutioni aſtrorum, ſicut, & priori, & non Saturno, vel nihil ſentimus frigoris, & experimentum deſtruit potiùs quàm aſtruat Saturni frigiditatem. Deinde, vel Saturnus cum quibuſcumque ſtellis tantundem fundit frigoris, vel cum vnis aliquid, cum aliis plus, plurimum cum aliis; non primum, quia volunt modò plus, modò minus frigeſcere mundum, volunt variabiles, & inconſtantes eſſe aſtrorum vires, nec poſſet deprehendi à Saturnóne an à coniunctione ſtellarum promanaret frigus; ſi cum quibuſdam nihil vis, cum quibuſdam aliquid, cum quibuſdam plus, cum quibuſdam plurimum Saturnum efficere frigoris, probandum tibi erit hanc frigoris inconſtantiam non proficiſci à varia ſyderum conſtitutione, & proferendum experimentum, quod concludat à Saturno, non autem à cõfiguratione ſtellarum, hanc varietatem prouenire, quod experimentum quia non reperies ſuccumbas neceſſe eſt probando per experimenta Saturni frigiditatem. Video quid acutè alicui venire poſſit in mentem: dicet nõ poſſe quidem Saturni ſeorſim vim, & efficientiam concludi, probari tamen ſtellarũ congreſſu & conſtitutione frigeſcere hæc ſublunaria; ne id quidem. nam ſub eadem conſtitutione ſtellarum, non experimur idem frigus noctu, & diu, æſtate, & hyeme, quo modo itaque oſtendes frigus illud à ſtellis dilabi, non ab aliis cauſis propter quas plus frigoris experimur noctu, quàm interdiu, hyeme, quàm æſtate, in montibus, quàm in aliqua planitie.

Ad ſecundum quod attinet, ſi contendas noctes, vel dies frigidiores eſſe præſente Saturno, quàm eodem abſente, res tibi erit cum Aſtrologis tuis, non enim poteſt aliter abeſſe Saturnus, niſi quia dum nox noſtro hemiſphærio incubat, ille infra Orizontem oberrat, vel dum nos dies luce perfundit, Saturnus infra terram commoratur. At Aſtrologi ſtellas ſub alio hemiſphærio dum ſunt, ſuas exercere vires volunt; nam alias nocturnas, diurnas alias faciunt, quod nocte nobis dominentur quædam vbi eo tempore exiſtant aliæ

diu

Digitized by Google

diu quocumque tandem loco fulgeant, & Lunam certis noctium, dierúmque interuallis docent concitare maria, morborum humores, arborum temperamentum; conchylia vbicumque illa ſint, & cùm alicui ſyderi dominationem in annum tribuunt, non cùm interrumpunt per noctis, & diei vices, denique cùm natalitiam alicuius configurationem diſcutiunt errantium omnium ſtellarum per domos diuiſarum, & ſignorum ſtatum, ſiue ſupra nos, ſiue infra contemplentur, omnibúſque aſtris, ſiue in noſtro ſiue in altero hemiſphærio ſuas tribuunt vires.

Rurſus ſi noctes, dieſve frigidiores eſſe aiunt, cùm noſtrum decurrit hemiſphærium Saturnus qui è propinquo efficaciùs agit, id quidé affirmare poſſunt, experimentis comprobare non poſſunt: cùm enim Saturnus quolibet anno ſex menſes noctu, totidem menſes interdiu, noſtrum percurrat hemiſphærium, atque hi menſes iidem ſemper non ſint ſed aliquando æſtiui, aliquando hyberni, aliter oporteret nunc ſex menſium dies, nunc ſex menſium noctes ſubitò eſſe frigidiores; id verò quis notauit aut notare poſſit, in tanta præſertim temporum mutabilitate, vt quolibet etiam menſe experiamur nunc noctem, nunc diem magis minúſque frigidam, ſeu calidam?

Aliorum dices Aſtrorum vi impeditur Saturnus, ita vt aliquando frigefaciat minùs, aliquando penè nihil, crederem id ſanè libenter, ſi iam probaſſes eſſe per ſe frigidum; tunc enim conſequens eſſet quando non fundit frigus ab aliis impediri, id verò nondum probaſti, immo nec probare potes; nam vel impeditur ſemper, & eius vis ſub experimentum nunquam cadet, vel aliquando, & ab aliquibus: à quibus igitur, ab iiſdem, an à diuerſis, non ab iiſdem, quia nunquam Saturnus bis eodem modo congreditur; non à diuerſis, ſeu iiſdem diuerſo modo compoſitis, quia nondum feciſti experimentum, ac proinde tam liberum eſt mihi negare Saturno frigus, quàm tibi concedere.

Quæro præterea an velis à ſolo Saturno fieri frigus, an ab aliis etiam cauſis? Et Auerr. quidem lib. 2. cœli tex. 94. infima elementa terram, & aquam ait frigida eſſe, quia plurimùm à cœlo diſtant: remotio enim à motu (inquit) dat grauitatem, quietem, frigiditatem, id quod fuſiùs proſequitur Iacobus Zab. libro 1. de qualitatibus elementorum, capite vltimo lib. de regionibus aëris, c. 6. & 7. quin & Ariſtot. lib. 1. Meteor. ſum. 1. c. 4. [Oportet (inquit) intelligere ſic, & hinc cum incœperimus, quod enim ſub ea quæ ſurſum eſt circulatione, corpus veluti materia quædam exiſtens, & præſentia calida, & frigida, & ſicca, & humida, & quæcumque alia has ſequuntur paſſiones, fit talis; & eſt à motu & immobilitate; cuius cauſam, & principium diximus priùs, in medio igitur & circa medium eſt grauiſſimum, & frigidiſſimum ſegregatum terra & aqua, &c.] Alij terram & aquam natura ſua frigidas eſſe contendunt, ab extrinſeco interdum calefieri, vel igitur ſolo Saturno tribuis frigus, vel aliis præterea cauſis. non prius: quo enim experimento efficies nullum eſſe aliud niſi Saturni frigus? non ſecundum: quo enim experimento oſtendes ſi noctes aliquas, vel dies ſentias frigidiores, id Saturno auctore fieri, non aliis cauſis? nemo quidem metiri poteſt dierum, noctiúmque frigus, & ita inter ſe Saturnias noctes cum iis quæ Saturno non ſubſunt conferre, vt certò poſſit affirmare has illis eſſe frigidiores

(ſed

(ſed largiamur Aſtrologis quod probare non poſſunt) quanam ratione efficient non ob aliam cauſam niſi ob Saturni efficientiam eſſe frigidiores?

Mutant ſine dubio Aſtrologica omnia experimenta,& in vtramque partem claudicant,omniáque adhuc ambigua ſunt & incerta, quod planius faciet ſequens argumentatio.

Poſtremò Saturno deſunt ea quæ Solis,& Lunæ experimentum facile reddunt,& certum, auctore Ptolemæo lib. 1.c. 2. nam Sol diurnus ſemper nobis eſt, dies verò noctibus calidiores experimur quouis anni tempore. Saturnus modò eſt diurnus, modò nocturnus, nec proprium vllum ſibi vendicat tempus, ex cuius perpetuo temperamento eius vis deprehendi poſſit. Interdiu quoque cùm lumen Solis diſtinctè poſſit ab aliis ſecerni luminibus, acceſſu ad ipſum periculum de eo facimus, calemus enim eò magis, quò magis applicamur, cùm in vmbram ſecedimus frigemus,ideo vis Solis non ignauis, & ambiguis, ſed certis & exploratis experimentis comperta eſt. At Saturni ſiue lumen,ſiue arcana vis,cùm ſeorſim ab aliis ad nos non perueniat experimenti incapax eſt. Conueniunt eadem in Lunam: nam diſtinguimus eius lumen ab aliis,& crebro recurſu manifeſtam vim prodit, conſpicuíſque acceſſionibus, & deceſſionibus afficit maria, arbores, conchylia, & alia id genus humida. Saturni tardiſſimus eſt motus, lumen exiguum, & minimè ſenſibile, alia virtus abdita, & arcana, vnde itaque deſumas experimentum, habes nihil.

Quoad tertium ſi contendas deprehendi Saturni frigidam naturam ex vario eius aſcenſu per partes hemiſphærij noſtri,eamdem tibi rationem obiicio: Solem enim quo magis ad noſtri cœli verticem accedit, ſentimus feruentiorem quotidie, propterea calidam vim Soli addicimus; nihil tale de Saturno proferre potes: quotus enim quiſque obſeruauit horas nocturnas diurnáſque ſolito magis frigeſcere quoad cœli meditullium proprius Saturnus aſcendit, planè ſi eius ad nos propinquior acceſſus maiorem afferret frigiditatem per ætates, & fere quotidianas vices ex vario ſitu, & partibus hemiſphærij, quas occupat, magnum frigiditatis ſumeretur experimentum, quod modò nullum planè eſt,quod ſenſu ſaltem deprehendatur, quia incrementa frigiditatis non fiunt quotidie per maiorem Saturni ab Oriente diſtantiam.

Poſſumus & eodem modo quartum diluere experimentum ex acceſſu & receſſu à Tropicis,& motu Saturni:nam Sol quia in reditu ad Cancrum, Zonámque noſtram auget anni calorem menſtruis ferè incrementis, quæ paribus propè interuallis deferueſcunt, & abſceſſu, quapropter animaduerte re poteſt etiam vulgus, qui ſit fons, & origo caloris quem ſentimus. Iam verò Saturnus, qui totos quindecim annos conſumit verſus Cancrum progrediendo, totidémque reuertendo ad Capricornum, quod aut quale præbet experimentum ſuæ frigiditatis? quis vnquam diſtinxit quindecim annos frigidos à quindecim calidioribus, quibus ad nos propiùs Saturnus accedit, quis notauit frigiditatem gradatim creſcẽtem per quindecim annos, & ſenſim decreſcentem per alios quindecim? ne cogitatum quidem fuit vnquam de huiuſmodi incremento,& decremento;addo nec potuiſſe cogitari, quia inter annos quindecim, quibus Saturnus prope nos circumfertur, multi ſunt calidiores iis annis,quibus idem longiùs à nobis agit, & multi anni, quibus longiùs à nobis diſtat frigidiores nonnullis, quibus prope nos moratur,interturbante alio

aliorum ſyderum congreſſu, conſtantem vnius ſyderis obſeruationem. Multis aliis cauſis augeſcente calore eo tempore, quo Saturni frigus experiendum eſſet. Dormitaſſe, aut etiam ſomniaſſe Bellantium oportet loco ſuprà citato, diluendo decimum argumentum; qui ait, ex conſortio aliarum ſtellarum magis clareſcere vim Saturni, ſeu alterius in ſua actione perſiſtentis, locum, & aſpectum aliis ſubinde commutantibus: quomodo enim in eadem perſiſtit actione, in tanta temporum inconſtantia, quantam experimur quindecim annis, in tanta annorum varietate, quantam videmus inter huiuſmodi temporis interuallum; quo experimento probas Saturnum perſiſtere in ſua actione, an contra omnium Mathematicorum ſcita negas vnius aſtri vim poſſe ab aliis ex contrariis debilitari, frangi, impediri? ne Sol quidem Saturni frigus retundere valet? quod promis rei incredibilis experimentum? & quidem triginta annos, quibus quindecim Saturni frigus mundus algere magis dicitur, quàm alij quindecim, quis memoria complecti poteſt, & conferendo perpendere, qui frigidiores ſint; idque ſi ſemel in vita, aut bis fecerit nimium quantum eſt, at non vna, aut altera eiuſdem rei memoria, ſed multæ, auctore Ariſtotele in proœmio Metaphyſic. ad experientiam requiruntur centies. Verſa igitur centies, aut millies Saturnum, deinde proferes eius frigiditatis experimentum. Mathuſalem anni tibi non ſatis eſſent, vt Saturni frigoris caperes certum experimentum.

Quæ de vno Saturno dixi, de aliis Planetis intelligi velim: multo enim maiorem hæc vim habent aduerſus Iouem, cuius natura temperata dicitur, & actio exigua, ac procliuis ad aliorum efficientiam, multò verò magis hæc quadrant in Venerem, & Mercurium, quorum hic non longiùs à Sole, quàm vnius Signi interuallo, ſiue illum antecedat, ſiue ſubſequatur, illa nunquam à Sole duorum Signorum interuallo longiùs abeſt, & antecedens, & ſubſequens: nam cùm tam parum à Sole diſcedant, dignoſci vix poteſt quid ipſi, quid Sol efficiant. Vidit hæc Cardanus quoque ad lib. 1. Ptolemæi, cap. 10. [Syderum aliorum (inquit) quàm Lunæ, ac Solis opera obſcuriora ſunt tribus de cauſis: Prima, quòd propter tarditatem non adeò frequenter licet obſeruare earum actiones. Secunda, quòd tempus acquiſitum non adeò licet habere declinationis, aut coniunctionis, aut cùm primùm operari incipit, propter motus tarditatem, vnde certa ſit obſeruationis ratio. Tertia, quia eadem tarditate fit, vt opus ipſum ſenſim fiat; quod autem ſenſim fit, occultius eſt, quàm quod ſtatim, etiamſi longè ſit maius, veluti de motu Solis in cælo, & lapidis proiecti in aëre, ſi alter ad alterum comparetur, liquet.] Hæc ille. Addere poſſum quartam: ea enim, quæ tardè, & longo temporis tractu fiunt multarum cauſarum interuentu, aut præpediri, aut promoueri poſſunt, vt non liceat diſpicere, à qua potiſſimùm cauſa promanent. Concidit igitur primum Aſtrologorum effugium, quod nitebatur ſolertia, ſtudióque obſeruandi, quid ſtellarum per ſe vnaquæque valeret, vt inde daretur poteſtas coniiciendi, quantum longa, breuique diſtantia cæterarum impediri quælibet poſſet, aut iuuari. Concidit & Aſtrologiæ primum, & maximum fundamentum experimentis compactum: ſi enim ſtellarum priuatæ vires non potuerunt ſub experimentum venire, neque potuerunt communes.

Cc CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Errores, qui contingunt Aſtrologis, in ſyderum obſeruationibus, eſſe maximi momenti.

EX tribus effugiis, in quæ Aſtrologi recipiunt ſe, quoties diſſimilibus aſtrorum congreſſibus vrgentur, primum iam deiecimus,

Et ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & vmbroſæ penitùs patuêre cauernæ.

Aliud ſupereſt, quo aiunt errores, qui in ſyderum obſeruando congreſſu contingunt, non eſſe magni momenti, nec quidquam officere Aſtrologiæ, aut experimentis, aut obſeruationibus, aut prædictionibus, aut ſcitis. [Leuis (inquiunt) fit euentuum commutatio ex priorum, poſteriorúmque configurationum diſſimilitudine: nam cùm hæc diſſimilitudo perexigua, & notatione indigna paruam effectuum variationem facit, quæ Aſtrologicarum prædictionum veritati nihil detrahit.]

His tria ego oppono. Primum, ſi quid euenit, exempli gratia, ſub coniunctionem Solis, & Iouis in primo gradu Libræ, non inde continuò fieri, vt propter huiuſmodi coniunctionem id euenerit. Quid enim ſi id accidat vi aliarum cauſarum, quæ minùs obſeruatæ fuerunt? cùm præſertim libro 1. demonſtratum ſit ſublunarium cauſarum effectrices facultates inſtrumenta cæli non eſſe, ſed efficere quod ſuum eſt, aliquando ſine ope cæli, aliquando cum cælo quidem, ſed pro ipſarum, non pro cæli conditione, & ſtatu, vt omnis effectuum varietas principiis debeatur proximis, non cælo.

Qua igitur temeritate, quóve cæco caſu eam effectuum varietatem Soli, & Ioui in Libra conſociatis tribuimus, quæ ex tot, támque diſſimilibus ſuperiorum, & inferiorum efficientiis accidere poteſt? quid magis arduum, quàm in tanto cauſarum concurſu deſpicere, quid vnaquæque efficiat? quid difficilius in tanta multitudine euentuum vni cauſæ priuatim, ac certò tribuere? Id planè facere non poteſt, niſi qui ſæpiùs obſeruauerit eumdem effectum ſequutum eſſe, Sole, & Ioue in eadem cæli parte agentibus, quamuis aliò alij Planetæ diuertiſſent, id verò obſeruare poteſt nemo.

Secundò, ne id quidem, quod modò dixi, ſatis eſſe, vt conſtet effectum à Sole, & Ioue in Libra exiſtentibus eſſe profectum, niſi conſtet iterum atque iterum Solem, & Iouem recurrentibus in Libram idem eueniſſe, quod prius etiam variato cæterarum ſublunarium cauſarum ſtatu: ſi enim eædem cauſæ inferiores perſiſtant, iure dubitabitur, ſitne id, quod tunc accidit, profectum à Solis, & Iouis coniunctione ſimili, an ex aliis proximis cauſis ſimiliter affectis, an ex illarum, harúmque mutuo congreſſu. Quare, niſi ſeiungantur ea, quæ rei cuiuſpiam cauſa eſſe poſſunt, experiri nequimus quid quidque rei illi conferat, vel non conferat.

Poſtremò, aio ſolum hoc experimentorum genus infirmum eſſe, non modò propter concurſum ſublunarium cauſarum, ſed etiam (quod magis ad rem noſtram facit) ob ſyderalium configurationum maximam diſſimilitudinem: modica enim diuerſitas, quam Aſtrologi nobis obtendunt, & qua ſe tuentur,

rarò; permagna verò frequentiſſimè contingit, vt obſeruationes priores nihil à poſterioribus iuuentur, neque poſterioribus quidquam roboris accedat à prioribus, nec ex vtriſque poſſit quidquam vniuerſi colligi, quo ars comparetur, vel præcepta rectè iudicandi, quam ſanè rem nobis declarant.

Primum, orbis Aphanis conuerſio ab Occaſu in Ortum, ex quo ſæpiſſimè contingit non redire in idem Signum aſtrorum concurſum. Audiamus noſtræ ætatis Mathematicorum iuratum Principem Chriſtophorum Clauium ad cap. 1. Sphæræ Ioannis de Sacro Boſco: [Diſtantia ſtellarum fixarum (inquit) à punctis ſolſtitialibus, æquinoctialibus, non manet eadem ſemper, ſed creſcit, & augetur ſecundùm ſucceſſionem Signorum, id eſt, verſus Orientales partes progrediendo; ita vt ſtellæ, quæ verbi gratia antiquo tempore fuerunt ante puncta ſolſtitialia, æquinoctialia modò reperiantur poſt ipſa puncta ſolſtitialia, æquinoctialia, vt ex obſeruationibus antiquorum, & recentiorum liquidò conſtat, &c.] Itaque ſi qui Planetæ ſub æquinoctij verni puncto quondam conuenire, cùm Aries eidem puncto ſubiaceret, retrocedente mox Ariete ex Occidente in Orientem, fit æquinoctij vertex Occidentalior, quàm Aries, in eiúſque locum ſubeunt Piſces, auctore Ptolemæo in Almg. diſt. 7. cap. 2. Quare quæ aſtra coïerunt olim ſub æquinoctium, in Ariete ſi iterum conueniant ſub æquinoctio, non Arieti, ſed Piſcibus ſociabuntur. Vnde vna coniunctio differet ab alia bifariam, abſceſſu prioris Signi, & aduentu noui: plurimum verò intereſſe, in Arieténe, an in Piſcibus coitiones fiant, patent ex horum Signorum diuerſitate maxima. [In capite Arietis (inquit Ptolemæus libro 1. de Iudiciis, cap. 8.) ſtellæ effectus habent commixtos ex viribus Martis, & Saturni, quæ in ore ſunt, idem poſſunt, quod ſtella Mercurij, & nonnihil, quod Saturnus, quæ in poſteriore pede Martiæ, in cauda Venereæ ſunt.] Quid de Piſcibus? [Stellæ (inquit) in capite Piſcis Auſtrales, Mercurij vires repræſentant, habéntque Saturni quippiam in huius corpore ſtellæ Mercuriales, & Iouiales ſunt, quæ ſunt in cauda, & filo Auſtrali, cùm naturam referant Saturni, accedunt ſenſim tamen ad Mercurium, quæ ſunt in corpore, & ſpina Piſcis Septentrionalis, Martiæ ſunt, valent tamen & Venereum quiddam; quæ in filo Septentrionali, Saturniæ ſunt, & Iouialis illa in nodo ſplendida Martis naturam, & Mercurij quoque nonnihil habet.

Quid his vtriuſque Signi ſtellis diuerſius? quid magis diſſitum? quid ex congreſſu Solis, & Iouis in Ariete, & ex coniunctione eorumdem in Piſcibus colligi, aut ſtatui poteſt? vnúmne experimentum præbent coitiones adeò diuerſæ, quando erunt diuerſa experimenta? quando diuerſa configuratio ſtellarum, ſi hæ non ſunt diuerſæ, vnde tanta effectuum varietas, multitudo, contrarietas, diſcrepantia, ſi coniunctiones in Ariete, vel Piſcibus factæ, nihil afferunt varietatis: congredi verò Planetas eoſdem in Signis diuerſis, quotidianum eſt propemodùm in iiſdem terrarum: id enim aliis non conuenit, niſi poſt annos ferè duos, vt Soli, & Marti, Marti, & Saturno; aliis poſt annos viginti, vt Saturno, & Ioui; aliis poſt annos 199. vt Saturno, & Ioui ex trigono in trigonum; aliis poſt annos 795. vt Saturno, & Ioui in Signo Arietis; aliis poſt tantum temporis, vt multi congreſſus in eodem Signo, (multis enim opus eſt ad experimentum) vix ſub humanam cadant obſeruationem.

Digitized by Google

Vultis hæc eadem ex ipſis Aſtrologiæ magiſtris audire? Referam verba Hieronymi Cardani lib. de Iudiciis genitur. c. 11. [Neque enim eadem ad vnguem ſignificant (inquit) fixæ, vel erraticæ, vel cæli partes, quæ Romanorum temporibus: nam nec in eis vera erraticæ locis ſunt, nec æquali motu mouentur, nec erraticas eodem modo excipiunt: aliæ enim latitudinem erraticæ, aliæ longitudinem variam ſuſcipiunt. Hæc eadem in erraticis motis abſidibus, & ſigniferi rurſus, alia natura eſt: nam calidæ, & vehementes, quæ aliàs in Leone erant, nunc ſunt in Virgine, vnde vtraque figura temperatiora, &c.] Quàm mira prædicant Aſtrologi de coniunctionibus Planetarum, ſub idem Signum, nec minùs aſſeueranter, quàm ſi ea quotidie experirentur, non minùs conſtanter, quàm ſi obuium id cuique eſſet experiri. Vix primus Ptolemæus priſcorum collatis obſeruationibus Planetarum coniunctiones, & ſitus conſtabiliuit in Almageſto. Quid igitur antiquiores, à quibus manu traditam Genethliacam accepimus, obſeruare potuerunt, de Planetarum ſitibus, de euentis ex variis Planetarum conſtitutionibus, & congreſſibus modò cum his, modò cum illis pendentibus.

Non pudet adhuc Genethliacos de admirandis harum coniunctionum poteſtatibus inflare buccas? onerare aures? implere libros? quibus hæc ſcribuntur? rudibus opinor, & rerum cæleſtium imperitis. Iſtæ nimirùm ſunt artes, quas ſuprà commemorabamus Aſtrologorum, circumuenire ignaros, imponere rerum inſciis. O artem excogitatam non in commodum, ſed in fraudem, & captionem mortalium! Quid Cardanus? lib. 2. Ptolem. text. 54. mira, & inuſitata quædam futura denunciat ſub coniunctionem capitis Arietis octauæ ſphæræ cum capite Arietis nonæ, quæ fieri non poteſt, niſi poſt triginta ſex millia annorum. Hæc ſunt experimenta Mathematicorum, hæc obſeruata tempore immenſo; hæc ſignificatione euentus animaduerſa, & notata. Pudeat aliquando mendaciorum. Et in cuius, niſi in Cardani caput Arietes hi duo octauæ, & nonæ ſphæræ concurrerunt? Quid iuuat quod Cardanus idem eodem libro ſecundo Ptolem. text. 63. ait non loqui ſe de experimentis, omnibus numeris abſolutis, & quæ recta ratio præſcribit, ſed rudi quodam experimentorum genere, quod vulgò circumfertur, experimenta nos quærimus, eáque recepta, & probata, & omnino qualia ipſi iactant ſe habere, quando experimentis hanc artem conſtare affirmant. Ea experimenta requirimus, quæ inficiari non poſſint, qui huic arti denegant fidem. Hæc ſi promere non poſſunt, fateantur aliquando, nec ratione, nec experimentis Genethliacam conſtare, ſed rudi quadam perſuaſione, & voluntaria otioſorum quorumdam hominum aſſeueratione.

CAPVT NONVM.

Syderum configurationes Aſtrologis perſpectas non eſſe.

QVOD generatim docuimus ignorare Mathematicos aſtrorum ſitus, & conſtitutiones, illuſtri exemplo, & Aſtrologorum irrefragabili teſtimonio confirmare licet. Nam cùm à vernali illi æquinoctio ducant

ducant temporum, annorúmque initia, ſi probatum fuerit eos nunquam potuiſſe verum æquinoctium notare, effectum erit neque cæterorum aſtrorum ſitus perſpectos habere. Vernum porrò æquinoctium ignorari adhuc Mathematici omnes recipiunt, & profitentur hinc annorum inconſtantia, hinc caſtigatio temporum toties repetita, hinc delapſus ſacrorum dierum, à Concilij Niceni veterúmque Patrum conſtitutione; qua de re ita diſputat Albertus Pighius Apologia pro Aſtrologia, p. 2. Quicumque vernum æquinoctium tenere ſe putant, exiſtimant introitum Solis in punctum æquinoctij contingere, cùm in tabulis Alphonſinis vel aliis Sol conſtituitur initio Arietis: ſed quàm falſum id ſit, & quantùm in ea re fallantur, tametſi euidenter demonſtrare poſſumus ex ipſamet Alphonſina Theorica, & modernorum omnium, de qualitate motus octauæ ſphæræ, quæ Alphonſinarum, imò omnium noſtrarum tabularum fundamentum eſt, & qua negata omnes ſimul noſtræ tabulæ de ſtellarum motibus inueniendis corruunt, ſicut & alibi id demonſtrauimus euidenter, pro nunc tamen ne prolixior ſim, hoc enim tractationem requirit prolixiorem, ſufficit id oſtendiſſe auctoritate Georgij Burbachij tract. vlt. Theor. Planetarum, de qualitate motus octauæ ſphæræ, cui nunc omnes Aſtronomi moderni conſentiunt. Hic poſt expoſitam ibidem Alphonſi, & modernorum omnium Theoricam, de qualitate motus octauæ ſphæræ, ex ipſa inter alia plura hoc infert, quòd variationem ſectionis eclipticæ, octauæ ſphæræ, & Æquatoris reſpectu Arietis primi mobilis, neceſſariò ſequatur æquinoctia, & ſolſtitia continuè diuertificari, ob id non ſemper cùm Sol in capite Arietis primi mobilis fuerit æquinoctium occidere, ſed ſtare ipſum præceſſiſſe, aut ſubſequi. Hæc ille. Conſtat autem in tabulis Alphonſinis, & aliis omnibus loca Planetarum in ecliptica nonæ ſphæræ, aut primi mobilis, quod idem eſt (nam vel nona ſphæra primum mobile eſt, vel ſi aliud eſt, eorum tamen eclipticæ ſemper ſibi vniformiter reſpondent) computari, non autem in ecliptica octauæ ſphæræ, quæ mobilis ecliptica ab Aſtronomis appellatur, ad quam ob ſui mutabilitatem nullæ tabulæ perduraturæ fieri poſſent; ſi itaque non ſemper æquinoctium eſt, cùm Sol in capite Arietis primi mobilis fuerit, hoc autem eſt, veluti diximus, cùm Sol in tabulis in capite Arietis numeratur, ſequitur manifeſtè, non ſemper Solem ingredi punctum verni æquinoctij, quando in tabulis initio Arietis computatur, ſed ſtare ipſum æquinoctium, vel præceſſiſſe iam, vel adhuc futurum eſſe. Si quis fortè inter iſtos paulò arguitur, reſpondeat verum id quidem eſſe, quòd cùm Sol in tabulis initio Arietis computatur non ſemper ſit in puncto verni æquinoctij, quemadmodum dicit Burbachius, ſed tamen differentiam eſſe perexiguam, & ob id, tametſi non ad punctum, ſaltem prope, verùm ipſos annuæ conuerſionis tempus introitum videlicet Solis in Verni æquinoctij punctum, & cœleſtem harmoniam, quæ eo tempore viget, ſemper attingere per introitum Solis in caput Arietis primi, vt in tabulis computatur. Quibus id dicimus in primis, quòd nemo eſt eorum, qui ſciat quanta ſit differentia, magnáne an exigua? deinde, quòd non parua ſit, ſed magna differentia, manifeſtè demonſtraui in tractatu quodam, quem de ignorantia, & erroribus Aſtrologorum noſtræ tempeſtatis conſcripſi, in quo demonſtraui ex ipſis Alphonſinarum tabularum principiis, noſtros Aſtrologos omnes in temporibus vernorum æquinoctiorum, & ſolſtitiorum pluſquam quinque diebus aberrare. Demonſtraui

Digitized by Google

ſtraui inſuper in eodem tractatu, non eſſe ea Planetarum, & ſtellarum loca in vero ſignifero quæ in tabulis Alphonſinis, & aliis numerantur, immò hoc tempore quinque gradibus,& amplius à veris earumdem locis diſcrepare,quo fit vt nec coniunctionem, nec eclipticam, loca vera tametſi tempora ex tabulis aſſequantur.

Sed à quo audire hæc libentiùs debemus, quàm à Cardano Aſtrologorum noſtrarum magiſtro, & Aſtrologiæ reſtauratore? Sect. 1. Aphor. 21. [Quædam (inquit) ſecantur perfectè, vt circulorum aſſenſiones, quædam propinquo modo, vt Solis reuolutio, quædam ſciri poſſunt, & ſi non ſciantur, vt reuolutio ſuperiorum, quædam ſub ſcientia ſunt, ſed nunquam ſciri poterunt, vt ingreſſus Solis in æquinoctij punctum, quædam nec ſciuntur, nec ſciri poſſunt,vt mixtiones ſyderum,ac vires.

Nemo maiori cura ac ſolertia aſtrorum curſus obſeruauit quàm Ticho Brahe. is verò libro de noua ſtella, pag. 648. ita ſcribit. [Satis mirari non poſſum Appianum non ſaltem diem ſed horam atque minutum huic coniunctioni præfiniſſe, cùm Martis præſertim motus, vt de Saturno nunc nihil dicam hactenus non ita ſit exploratus quod intra tres vel quatuor dies, eorum copulationem è calculo præſertim Alphonſino, quo ille vſus eſt, imò ne quidem Copernico, hoc paulò exactiore, notam reddere tutò liceat.] O perſpectas Aſtrorum congreſſiones!ò congreſſionū notatas vires! ò virium cœleſtium certa, & explorata experimenta! Ita igitur, qu[illegible] vnaquæque ſtellarum ad alias relata efficere poſſit, Aſtrologi notarunt. Ita domorum,finium, terminorum, graduum, minutorum Zodiaci animaduerterunt.Ita ſingulorum ſignorum decanos, dominos conſtituerunt! Nec cùm mecum ipſe reputo, mirari ſatis non poſſum, eſſe homines, quos non pudeat ſcribere, diſciplinam hanc certis experimentis collectam. Qui potuerunt ſtellarum efficientiam per ſingula Zodiaci ſigna, per ſingulas ſignorum partes,&minuta experiendo notare, qui ignorant Planetarum ingreſſum in ſigna,& in gradus ſignorum? Apud rude vulgus iactent Aſtrologi experimenta,quæ ſapientes viri iamdudum exſibilarunt.

CAPVT DECIMVM.

Syderalium configurationum alia magna diſſimilitudo.

VERVM eſtò recurrant aliquando errantes ſtellæ aliquæ ſaltem nouo congreſſu in idem ſignum, & rarò in eumdem ſigni gradum, nunc ante, nunc poſt conuenient quatuor, ſexdecim, quindecim, viginti gradibus, quæ non leuis, ſed magna eſt diuerſitas duabus de cauſis. Primum, quia variis eiuſdem ſigni gradibus variæ ſtellæ ſunt inſitæ, quarum quædam Saturni, quædam Iouis; aliæ Solis, Martis aliæ, aliorum ſequuntur naturam. [In cancri oculis, (inquit Ptolem. libro 1. de Iudiciis, capite 8.) ſtellæ duæ effectum ſimilem habent Mercurij,

Digitized by Google

curij, & aliquantum Martis in brachiis ſtellæ Saturniæ ſunt, & Mercuriales, illæ verò in pectore quaſi gyrus nebuloſus perſequi cognomento Martius, & Lunaris eſt, iuxta quem vtrinque poſiti, vt vocantur, Aſini Martij ſunt; & Solares duæ ſtellæ in Leonis capite idem poſſunt, quod Saturniæ, & paulatim accedunt ad Martem, in ceruice tres Saturniæ ſunt, & aliquantulum Mercuriales, at illud in corde lucidum ſydus, regulum vocant, æquale eſt Marti, & Ioui, aliæ in illo ex vna in cauda ſplendida Saturniæ, & Venereæ, aliæ in femoribus Venereæ, & non nihil Mercuriales ſunt.] Pergit verò & aliarum ſtellarum, quæ in aliis ſignis inſunt vires explicare, in quibus vix reperias duas, aut tres, quæ conſentiant, quare ſi multum refert ſub Saturnône an ſub Ioue quis naſcatur, multum etiam interſit, neceſſe eſt ſiátne coniunctio ſyderum cum eiuſdem ſigni ſtella Saturnia, aut Iouia, vel cum alia Martia, aut Venerea.

Deinde quia multi ſimul gradus Zodiaci, licèt in eo ſigno multùm variare poſſunt Aquilonarem, aut Auſtralem Planetarum declinationem, facta præſertim comparatione cum terra, in qua quilibet gradus cœleſtis occupat, auctore quidem Fernelio Ambiano in ſua Coſmatheoria 68. milliaria, auctore Ptolemæo Aſtrologorum magiſtro 62. Ex recentiorum obſeruatione, qui non ſemel Oceanum traiecerunt 53. prorſus vt denis quibúſque gradibus reſpondeant plus quàm quingenta milliaria, quo interuallo, quæ diſtant ciuitates ſub eodem meridiano, diuerſiſſimas experiuntur mutationes aëris; argumentum ſanè maximum valde referre in quoto gradu declinationis Auſtralis, ſeu Borealis fiat Planetarum coniunctio: nam in aëris qualitate conſtituenda, variandáque poſitas eſſe ſtellarum efficientias docet Ptolemæus libro 1. de Iudiciis, capite 2. & 3. & nos planè cumulatè perfecimus libro 1. capite 3. & 5. Quia Ptolem. libro 1. de Iudiciis, capite 10. capite 16. libro 2. capite 2. 3. & 4. præcipuam in prædictionibus, & genituris rationem habendam eſſe præcipit declinationis Planetarum. Hinc Planetarum exaltationes, & caſus, altitudines, & eleuationes, ex quibus omnem mortalium fœlicitatem deducunt Aſtronomi. Ptolem. libro 1. de Iudiciis, cap. 18. Card. libro de mutatione aëris, capite 12. Iulius Firmicus libro 2. cap. 3. & reliqui Aſtrologiæ ſcriptores, quibus vel leuiter euariatis maximas his inferioribus fieri commutationes contendunt. Audiamus Cardanum libro de Iudiciis geniturarum, capite 26. [Ex quo patet quomodo quod à multis quæſitum eſt nati eadem hora, eodem momento, habent diuerſam fortunam, nam cùm loco diſtant reuolutiones, & comparationes ad verticales ſtellas, ſunt neceſſariò diuerſa, &c.] Pertinet ergo maximè ad rem, de qua agimus, Aſtrologorum quoque ſententia, quilibet maior, minor, minimus ſtellarum acceſſus, vel abſceſſus à verticali. Quare Cardanus libro de mutatione aëris, capite 12. [Saturnus (inquit) in Ariete ſignificat aëris corruptionem, ſi ſit Borealis, ſi Auſtralis, frigoris magnitudinem. In Tauro Borealis præter ſtellas ſiccitatem & tranquillitatem aëris, Auſtralis corruptionem aëris, in Geminis Borealis terræmotus facit, & ventos, Auſtralis corrumpit aërem & calefacit ad tempus, &c.] Firm. loco cit. [Tunc verò (inquit) homines infœlicitatum infortuniis opprimuntur, quoties ſtellarum pars maxima in iis partibus conſtituta fuerit, in quibus

bus humili deiectione multum de ſua poteſtate demittunt, altitudines autem dictæ ſunt ab hoc quod cùm in ipſa parte fuerint ſtellæ, in qua exaltantur in opportunis ſcilicet geniture locis homines faciunt beatos, deiectiones autem earum homines faciunt miſeros, pauperes, ignobiles, inopes, &c.]

Quid ergo ais? quamuis non in eodem ſigni gradu conueniant Planetæ leues eſſe euentuum commutationes, itáne? quinquaginta, & tria, vel ſexaginta, & duo milliaria exiguam efficiunt mutationem? at diuerſarum ciuitatum longè minùs diſtantium, diuerſas aëris conſtitutiones, diuerſos ciuium mores ex diuerſo climate deducitis, eorum qui eadem hora in eadem vrbe naſcuntur contrarij mores, propenſiones, naturæ ex diuerſitate loci quamquam minima naſcuntur apud Aſtrologiæ peritos, & nunc nihil ad euariandos affectus valet integer gradus, & magnum locorum interuallum; amoto tandem quæramus ſeria ludo: faceſſant aliquando nugæ.

Huc accedit, ſi raro in eumdem gradum ſigni recurrunt coniunctiones, multò rariùs in idem eiuſdem gradus minutum, quod quia ſexagies eſt in quolibet gradu, minutorum numero non parum ſyderum declinatio variatur. Conuenerit aliquando Sol & Iupiter in Arietis primo gradu, primóque eius gradu minuto, & ex eo loco Romæ naſcentes affecerint. Rurſus in minuto decimo quinto, vigeſimo, vel 29. congrediantur pluſquam quindecim viginti, aut viginti & quinque miliaribus vna coniunctio quàm altera ab vrbe diſtabit. Quare poſterior non afficiet genituram, vt prior, ſed tanquam ſi tranſlatum fuiſſet multis miliaribus versùs Auſtrum, aut Boream, at intercapedo quindecim, vel viginti, vel vigintiquinque miliarium non modicas parere ſolet apud Aſtrologos differentias, & quinque interdum aut ſex millia paſſuum faciunt aëris,morum, valetudinis,ingeniorum diſſimilitudinem maximam.

Hanc rationem vrget Phauorinus Philoſophus apud Aulum Gellium libro 14. capite 1. his verbis: [Si Principes Chaldæi, qui in patentibus campis colebant ſtellarum motus, & vias, & deceſſiones & cœtus intuentes, quid ex iis efficeretur obſeruarunt, procedat hæc ſanè diſciplina, ſed ſub ea modò inclinatione cœli, ſub qua tunc Chaldæi fuerunt, non enim poteſt ratio Chaldæorum obſeruationis manere, ſi quis ea vti velit ſub diuerſis cœli regionibus; nam quanta partium, circulorúmque cœli ex diuergentia, & connexionibus mundi varietas ſit, quis non videt? Eædem igitur ſtellæ, per quas omnia diuina, humanáque fieri contendunt, ſicútne vſquequaque pruinas, aut calores cient, ſed mutant, & variant, tempeſtatéſque eodem tempore alibi placidas, alibi violentas mouent, cur non euenta quoque rerum, ac negotiorum alia efficiunt in Chaldæis, alia in Getulis, alia apud Danubium, alia apud Nilum? Per autem conſequens ipſum quidem corpus, & habitum tam profundi aëris ſub alio, atque alio cœli curuamine non eundem manere, in hominum autem negotiis ſtellas iſtas operari idem ſemper oſtendere, ſi eas in quacumque terra conſpexeris.] Hæc ille, & diſertè; quis enim non videt, quantum momenti ſit in natura loci ad moderandos cœli influxus, ad concipiendum calorem, frigus, ventos, nebulam? Præclarè & Tullius lib.2. de diuinatione, [Quæ tan-

ta

ta(inquit)dementia eſt,vt in maximis motibus,mutationibúſque cœli nihil interſit, qui ventus, qui imber, quæ tempeſtas vbique ſit? quarum rerum in proximis locis tantæ diſſimilitudines ſæpe ſunt, vt alia Tuſculi, alia Romæ eueniat ſæpe tempeſtas. Quod qui nauigant maximè animaduertunt cùm in flectendis promontoriis, ventorum mutationes maximas ſæpe ſentiant. Hæc igitur cùm ſit tum ſerenitas, tum perturbatio cœli, éſtne ſanorum hominum, hoc ad naſcentium ortus pertinere non dicere, quod non certè pertinet?] Hæc Tullius. Quare cùm modò hoc,modò illo naſcentium naturas, & ortus aſtra temperant, adhuc deſideramus ea experimenta, quorum tantam apud ſe copiam aiunt eſſe Aſtrologi; niſi enim aſtra ad idem planè minutum redeant, qui potuerunt eorum vires experiri, aut quid effectura alio loco ſint, certò ſtatuere?

CAPVT VNDECIMVM.

Epicyclis, & eccentricis euariari ſyderum conſtitutiones in vno, eodémque ſigni minuto.

SI quando in idem minutum ſeſe recipiunt errantes ſtellæ, quod vel rarò vel nunquam cótingit, obſeruántne id Aſtrologi aliis etiam rebus intenti frequentiùs, quàm aſtrorum congreſſibus? Deponúntne vnquam è manibus Quadrantes, & Aſtrolabia? Quomodo ergo obſeruant omnia minuta? noctu, diéque, hyeme, æſtate, ſereno & vdo cœlo.Sed nihil illis aliud ſit negotij, vigilent noctu, nec dormiant diu, an habent paratos mulierum vteros per ſingula momenta, qui ea hora, atque puncto temporis fundant partum, quo ipſi egent ad experimentum? Nugæ iſtæ ſunt attellanæ. Sed hæc omnia mittamus,concedamus ad eumdem ſigni gradum, idémque minutum aſtra redire, idque ab Aſtrologis obſeruari poteſt,tamen earum epicyclus, vel eccentricus abſidem habere non ea parte in qua priùs:Quare humiliora, vel altiora erunt, quàm priori coniunctione, & nihil experiri poteſt Aſtrologus: id enim adeò permutat Aſtrorum congreſſus, vt contrarios planè effectus excutiat.

Duplex enim aſtri vicinitas eſſe poteſt; vna, quando Tropicum Cancri repetens, aut ex Oriente conſcendens rectiores radios demittit ad nos; altera, qua ex ſublimiori ſui orbis parte delabitur ad infimam terræ propinquiorem. Atque harum quidem ſi ambæ pari fiant gradu, efficacior eſt poſterior. Quare ſi prioris habenda eſt ratio, vt docent Aſtrologi, multò maior habenda eſt poſterioris, quæ multò plus valet ad diſſimiles naſcentium temperationes, maximè verò ſpectandum eſt, quando Aſtrum vtroque modo, aut diſtat, aut appropinquat; quare ſi hæc omnia expetenda ſunt Aſtrologis, vt experiantur Aſtrorum vires, caneſcent ſine dubio expectando.

Neque verò contendendum eſt diſcrimen, quod oriri poteſt ex latitudine

Digitized by Google

Zodiaci, quæ cùm duodecim pateat gradibus, etiamſi redeant eorumdem ſy-derum congreſſus in idem minutum longitudinis, poteſt tamen à priori diſſi-dere ſex, vel octo, vel decem,& ampliùs gradibus latitudinis, quæ cùm mul-tò nobis viciniorem, vel ſeiunctiorem faciunt ſtellam, multò aliter efficiet eorumdem Aſtrorum congreſſus partum nunc quam prius; fieri enim poteſt, vt ait Cardanus ad librum primum Ptolemæi de iudiciis, t.15.vt quæ in Gal-lia circa Religionem ſignificabantur in priori congreſſu, ſignificentur ſupra diſcordias in poſteriore, & quæ eadem ſunt obiecto,vt putà circa Religionem in Palæſtina per primam coniunctionem, in Gallia per ſecundam expectare oporteat.Idem lib.de Iudiciis, c.8.[Minima coniectura ex Aſtris in Gallis ſi-gnificabit adulteram,maior in Italia erit neceſſaria,maior etiam in Germania, & Hiſpania,&c.]

Quamquam non ex pluribus modò Zodiaci, ſed multò magis ex numero Planetarum,qui conueniunt,grauis oritur diuerſitas,in eumdem ſanè confluūt locum modò duo,modò tres,modò quatuor,modò plures, ſi duo in pari gradu latitudinis, in diuerſo alij,& ſi tres longitudine conſentiunt,vnus diſcrepabit, aut plures, quæ ſanè res tot modis variari poteſt,& pro eorum multitudine & varietate hæc omnis ars, vel nullis, vel pauciſſimis pateat experimentis.

CAPVT DVODECIMVM.

Non poſſe Aſtrologos vires ſtellarum ſæpius experiri in vna, eademque materia.

VICIMVS,ni fallor,non potuiſſe Aſtronomos obſeruare omnes Aſtrorum in quolibet Zodiaci gradu & minuto congreſſus: nunc largiamur illis quidquid è cœlo notari poteſt eſſe obſeruatum ſine errore.quid tum? niſi cum cœleſtibus conſentiant ſublunares cau-ſæ, ex quarum nihilo minus, quàm ex Aſtrorum opera ſtabiliuntur euentus, nonne inanis eſt omnis experiendi labor, nónne omnium Aſtrologorum ex-perimenta aceſcunt, ſecundæ nauigationis exitum ſi quis exiſtimet ex vento dumtaxat nulla nauis, & nautarum habita ratione, quos illum nauigandi ca-nones conditurum putamus? vehemens incumbit Auſter, oneraria nauis reſi-ſtit ſua mole, quin & nautarum ſolertia ita viciſſim velum obuertit, laxauit, continuit,erexit,vt ad nauigationis celeritatem potiùs,quàm ad periculum vl-lum ea vis Auſtri pertinuerit?ſanciatur inde præceptum Auſtro ſæuiente fœli-citer, & ſine periculo nauigari.experiantur illud naues aliæ, licèt onerariæ,ſed nautarum peritia deſtitutæ, experientur cymbæ, quarum nulla firmitas eſt ad obluctandum ventis, ſuóque malo diſcent nauigandi præcepta non eſſe ſolo vento metienda.

Quid toti è ſuperiori pendetis Aſtrologi?quid occinitis collecta experimē-ta hoc, vel illo ſyderum congreſſu?ſub eadē Aſtrorū conſtitutione fuitne eadē etiam materia, fuitne idem ſublunarium cauſarum concurſus? fuit idem pa-ter, eadem mater, eodem modo affecta,eiuſdem ætatis, & roboris, idem ſe-men quod variari ſolet in humano corpore ſingulis momentis?Si quid ex his defuit

deſuit (& non poſſunt adeſſe omnia) omnia experimenta concidunt. Dicam euentorum quæ obſeruaſtis cauſam, non aduentum ſolùm, ſed multò etiam magis ad nautas,& nautarum pertinuiſſe induſtriam.

Reſponſuri eſtis veteres experiendo contuliſſe cauſis cum cœleſtibus ſublunares, & examinatis vtrarumque ponderibus, artis præceptiones condidiſſe.Non credimus,& magna ratione non credimus; nam & qui nũc vigent Aſtrologi,ſtellas obſeruant, præterea nihil,quod & Cardanus ingenuè profitetur:quin ſi dicant ſe nihil experiri, ſed priſcorum experimentis niti, qui poſſunt veterum experimentis vti, quæ ex ſupernarum, infernarumque cauſarum concurſu deſumpta ſunt,niſi poſt obſeruatum cœli ſtatum perquirant etiam,num ſublunarium ſtatus is ſit, quem veteres experiendo ſeruarunt, & antiquiores,vt Bonatus, Albumazar,Alchibitius, & huius farinæ alij, non tradunt, quæ ſtellarum vires ſublunarium cauſarum effectionibus intercipi poſſint,aut promoueri, ſed cœli ſolùm cardines obambulant: de cæteris ſcribunt nihil, nec aliquid in hoc genere memorant ſe accepiſſe à prioribus,at neque obſeruare hæc veteres potuerunt, nec fœtus expectat Aſtrologos, vt prodeat in lucem, nec ex Aſtrologorum præſcripto concipiunt matres, nec elementa, tempeſtatéſque aëris audiunt Genethliacos. Quomodo ergo inferiora attemperarunt Aſtrorum congreſſibus, vt experirentur quid illa virium haberent in hac, quid in illa materia?

Verùm enimuerò,ne quis rem totam ad priſcos illos reuocet,ij ſanè vel Ægyptij,vel Chaldæi fuere; apud hos enim hæc ſyderalis ſcientia orta eſt. Quid de Ægyptiis? ex illis hauſiſſe præceptiones ſuas,Iulius Firmicus, & Manilius affirmant,vt quis vnquam in toto Firmico,vel Manilio legit vllum verbum de ſupernis infernіſque cauſis in effectum aliquem conſociandis.Iam verò Chaldæos, qui apud Tullium lib 1.de Diuinatione cccclxx. millia annorum monumentis comprehenſa continent; nunquam de ſublunaribus cauſis fuiſſe ſollicitos perſpicuè declarant,quæ idem auctor libro 2.de Diuinatione his verbis ſcribit: [Quid? cùm dicunt id, quod iis dicere neceſſe eſt, omnes omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quæ incolatur, eoſdem eſſe, eademque omnibus, qui eodem ſtatu cœli, & ſtellarum nati ſunt, accidere neceſſe eſſe, nónne eiuſmodi ſunt, vt ne cœli quidem naturam interpretes iſtos cœli noſſe appareat? cùm enim illi orbes, qui cœlum quaſi medium diuidunt, & aſpectum noſtrum definiunt, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur, à nobis finientes rectiſſimè nominari poſſunt, varietatem maximam habeant, aliique in aliis locis ſint: neceſſe eſt ortus,occaſúſque ſyderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quòd ſi eorum vi cœlum modò hoc,modò illo modo temperatur, qui poteſt eadem vis eſſe naſcentium, cùm cœli ſit tanta diſſimilitudo?In his locis, quæ nos incolimus, poſt ſolſtitium Canicula exoritur,& quidem aliquot diebus apud Troglodytas, vt ſcribitur, ante ſolſtitium: vt, ſi iam concedamus aliquam vim cœleſtem ad eos qui in terra gignantur pertinere, confitendum ſit illis; eos,qui naſcuntur eo tempore,poſſe in diſſimiles incidere naturas, propter cœli diſſimilitudinem. Quod minimè illis placet; volunt enim illi, omnes eodem tempore ortus,qui vbique ſint nati, eadem conditione naſci,&c.]

Quare à cœlo ſine dubio voluerunt priſci Aſtrologi ita hæc inferiora effici,vt eius efficientia à nullo præpediri, aut aliò,quàm eius natura ferat, trahi

 poſſit.

Digitized by Google

poſſit. Nullam ergo inferiorum cauſarum rationem habuerunt, nec aliud experiendo ſpectarunt, quàm conſtitutionem ſyderum.

Quid reliquum eſt? Ab Ægyptiis & Chaldæis profecta eſt omnis hæc Aſtrorum præſaga vis, & qualem illi proximis cauſis deſtitutam collegêre, talem ſuis tradidere Gentilibus, qui eam poſtmodum in Græciam, in Italiam, totumque orbem terrarum diſſeminarunt, inferiorum cauſarum præſidio planè deſtitutam.

Vnus Ptolemæus, qui pro ſingulari ſua modeſtia, & ingenij perſpicuitate rem, de qua nunc agitur, ſapienter intellexit, & ſub initium lib. 1. grauiter ſuæ ætatis Aſtrologis ſuccenſet, quòd artis exiſtimationem obſcurarent negligentia, & ignoratione cauſarum, quæ ſub cœlo ſunt, quamquam & ipſe rei difficultate ſuperatus, & quia nihil de his acceperat à maioribus, de iis breuiſſimè, & vniuerſim diſſerit, nec poſtea canones iudicandi, quos illis quatuor libris ſanxit, tradit rationem qua illi variari poſſint cauſarum diſſimilitudine, quæ apud nos ſunt, ſed totus ipſe quoque in tradenda arte cœlo defixus eſt. Itaque in tenebris ea res tota delituit, nullis veterum experimentis, nullis illuſtrata præceptis, nulla recentiorum animaduerſione comprehenſa. Tametſi quid miramur factum non eſſe, quod fieri non potuit? nam ne proximarum cauſarum vires comprehendantur, efficiunt multa circumſtantiarum diuerſitas, & multitudo, quarum quidem genera ſi ſpectes, paucæ ſunt, ſin cuiuſque generis partes, inexplicata varietas quot in ſæculo anni, menſes in anno, hebdomadæ in menſe, in hebdomada dies, ex tot diebus, quis vnum alteri planè ſimilem vidit? quid de locis dicam? mitto Europam, Aſiam, Aphricam, Nouum orbem terræ, partes primarias; nihil de nationibus, quas ſermonis, & linguæ diſcrimen internoſcit; prætereo prouincias, regna, ditiones. De vna aliqua loquor ciuitate, oppido; quot tribus, viciniæ, fora, theatra, officinæ, templa, curiæ, domus, prata, campi, lacus, colles, valles? ex iis aliqua duo, ſi quis inter ſe conferat, quàm diſſimilem comperiet eſſe ambarum faciem, altitudinem, planitiem, latitudinem, temperiem, feracitatem, cœli vim, celebritatem opificum, ornamentum, opportunitatem?

Iam verò quid de perſonis, & adiunctis perſonarum dicam? quorúmnam vnquam duorum omni ex parte conſenſerunt, conceptus, ortus, mores, vires, ingenia, ordines, fortunæ, vultus, ſtudia, amicitiæ, propinquitates, temperationes, valetudo, procliuitates? Sileo circumſtantias alias, in quibus diſſenſiones & diſſimilitudines nihilo minores quàm in ſyluarum fundis, in animantium pilis, in maris arenis reperies, vt illarum nequidquam expeditior, quàm harum obſeruatio ſit. Diſtingue mihi horum omnium rationes, & Aſtrologicis experimentis præſtabimus fidem; niſi enim omnia vocata fuerint ad calculum, fallax eſt experimentum, & multis expoſitum erroribus.

Quid attinet (inquies) tot proſequi minutias, præcipua rerum capita obſeruaſſe ſatis eſt, ad experimentum. nihil minus eſt, & in minutiis mira vis, & poteſtas commutandi res humanas: dum obambulas vrbem, ecce tibi repentè præteruolat grauis trochus contortus à ludentibus, ſi dextrorſum vno amplius digito pedem poſuiſſes, actum fuiſſet de vita, oppreſſit alterum prætereuntem, qui ſi paulò lentiùs ingreſſus fuiſſet, ſeriùs ad periculum perueniſſet, & incolumis. Dum ad Syphacem ex Hiſpania P. Scipio nauigat,

ſi ſemi

Digitized by Google

ſi ſemihorula tardiùs ſubiiſſet portum, in Aſdrubalis poteſtatem veniſſet. In C. Cæſarem ſexaginta, & ampliùs conſpirarant, viginti & quatuor vulneribus in curia confoſſus vnum dumtaxat lethale accepit à Bruto. Quot inter coniuratos in vno Bruto? inter tot vulnera quantum momenti in vno fuit? vnus ſi Brutus abfuiſſet, vno ſi minus vulnere cæſus fuiſſet, vigintiquatuor ſcias, ſexaginta ſicarios eluſiſſet? quàm leui ex ictu fortuna Antonij, Octauij Reipub. Rom. Imperatorum orbis terrarum pependit! Quid de Alexandro Magno? Concidit telo confoſſus, & ſi paulò maior fuiſſet in iaculante vis, ad cor Regis telum penetraſſet. Quid? dum telum à medico extraheretur, ſi Rex, qui vinciri noluit, leuiter ſe commouiſſet imprudens, & nolens, telo cor pupugiſſet. In leuiſſimo igitur impetu, & motu ſalus Regis, & Monarchia Perſarum tanquam in parua lance pependit. Plenæ ſunt iis euentis hiſtoriæ gentium. Quid hiſtorias dixi? quotidie & in horas cernere eſt, quantum ad vtramque fortunam valeant tenuiſſimæ circumſtantiæ, quæ quamlibet diligentiam fugiunt, nec ad experimentorum leges reuocari queunt.

Neque circumſtantiarum numerus ſolùm, earúmque vis eludunt facilè experientis induſtriam, ſed multò etiam magis earumdem abditiſſimæ cauſæ, & humanis vel ſenſibus, vel rationibus incomprehenſæ penitus, & inacceſſæ, tegula diu pependit, ex impluuio, decidit tandem in Ariſtippi caput: cur caſura foret tunc potiùs quàm antè, vel poſtea? cauſam præſagiri quis poſſit? In campo dum applicaretur Sophocles iam ſenectute caluus, an aliquis præſentire valuit eò potiùs quàm aliò volaturã aquilam, & ſub id temporis potiùs, quàm aliàs teſtudinem rapiendam, & in ſenis potiùs caluitium quàm in ſaxum deiiciendam? Cùm cæſim ferires Calliam grauiſſimo ictu auriculam, ſolum abſcidiſti, ſi paulò magis ſiſtrorſum vibraſſes enſem, caput medium ſecaſſes ad mortem, an aſtra ictum vltro citroque librarunt ad numerum? an potuit quiſquã notare ſtellarum conſtitutionem, quæ cauſa fuit, vt ictus ne lato quidem vngue in alteram partem deflexerit? Horum ſimiliúmque cauſas ſi quis deprehendiſſe ſe putet, is etiam omnem fortunæ, omnem caſus temeritatem ſuis ſe legibus obſtringere poſſe confidat. Vaniſſimum igitur eſt omne in ea re ſtudium. Quod ſi latent noſtriſque ſe abdunt experimentis rerum ſublunarium & humanarum in primis actionum cauſæ, quantò obſcurior erit earumdem cauſarum cum cœli ſyderúmque effectionibus comparatio; at ea ſublata fluctuat omnis matheſis, vt vidimus, & non ſecus Aſtrologus, ſine harum cauſarum peritia & obſeruatione nihil præuidere, ac præſagire poteſt, quàm venator nihil conſequi prædæ qui ſagittam habeat, ad collimandum arcum non habeat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Suffugium tertium refellitur.

EXPERIMENTORVM, quibus hanc diſciplinam Mathematici ortam contendunt, nullam eſſe fidem luce palam, cùm oſtenditur, nihil dicere ſolent opus eſſe anxiè diſquirere qualibus experimentis Aſtrologia parta ſit Aſtrologorum quotidianam veritatem in prædicendo

Digitized by Google

Aſtrologicis præceptionibus fidem amplisſimam aſtruere, à veteribus experimenta pro vt oportebat facta iam eſſe; hoc enim erat, vt vidimus cap. 6. tertium Aſtrologorum ſuffugium, &c, vt ait ille:

Dirarum nidus domus opportuna volucrum.

Cæterùm volucri fortaſſe opportuna, de qua idem Poëta:

Quæ quondam in buſtis, aut culminibus deſertis
Nocte ſedens ſerum canit importuna per vmbras.

Aſtrologiæ verò opportuna parum, ſi enim veteres non potuerunt ſyderum vires experiri, quod hactenus docuimus, quo tandem modo recentiores experiuntur eorum obſeruationes reſpondere euentis? ſi nequiuerunt veteres certis experimentis ſtellarū vires notare, nec obſeruatione certa huius artis præcepta condere; propterea quòd nec eadem omnino aſtrorum inſtitutio redeat vnquam, quod neceſſarium eſt ad longam obſeruationem, & ad experimētum, nec ſi redeat eamdem offendat materiam, in quam agat, nec vlla ope ſubiici illi poſſunt eædem prorſus inferiores cauſæ, aut diſpoſitiones, quibus effectus mirificè euariari ſolent, quo tandem pacto Aſtrologi noſtrates veterum obſeruationes reſpondere euentis animaduerterunt? an his aliter aſtra decurrunt, quàm antiquis? an materia, quæ priſcis Aſtrologis obſtitit, his parit ad nutum? an redeunti aſtrorum configurationi hac tempeſtate præſtò ſunt iidem parentes, eodémque modo affecti, idque non bis, térve, ſed ſæpius, vt eodem planè temporis momento coëant, nec coëant ſolùm, ſed etiam concipiant, quod priſcis temporibus contigit nunquam? Iam verò, ſi non poteſt ſine errore notari aſtrorum ſitus, quo quis naſcitur, vel gignitur, intereſt autem plurimùm non ſolùm, quo quis anno, aut menſe, ſed etiam quo die, immò qua hora, & ineunte hora, an media, an exeunte ortus ſit, momentum verò illud, quo quis aluo matris fuſus, ſpiritum primò duxit, nec parentes, nec obſtetrix ſubtiliter notare poſſint, quo pacto Aſtrologus experitur veras eſſe Aſtrologicas obſeruationes? quæ non indefinitæ ſunt, ſed certæ aſtrorum configurationi aſtrictæ, hæc verò per ſingula ferè momenta diuerſa ſit & varia?

Hoc loco venit mihi in mentem Sanctus Baſilius homilia ſexta in Geneſim. [Genethliacæ artis inuentores (inquit) cùm in temporis amplo ſpatio complures figuras ſuam ipſorum conſcientiam fugere perceperint, in anguſtum admodum temporis contraxère menſuras; vt minutiſſimo quoque, & ſubitaneo articulo, quale eſt, quod Apoſtolus dicit, in momento temporis, in ictu oculi, plurimum differentiæ ſit inter natiuitatem, & natiuitatem, vt is quidem, qui hoc in momento genitus eſt, tyrannus ſit, Rex ciuitatum, populorúmque Princeps, locupletiſſimus, præpotens: Is autem, qui natus eſt temporis ſequentis momento, pauper quidam ſit futurus, aut mendicus circulator, vel præſtigiator, ex oſtiis oſtia permutans, quotidiani conſequendi cauſa victus. Quamobrem eo orbe, qui ſignifer appellatur, duodecim in partes diuiſo, cùm in triginta dierum ſpatio, partem Sol eius globi tranſeat duodecimam, quem inerrantem appellant, triginta in portiones ſingulas illas duodecim partes ſecuerunt. Tum ſingulis portionibus illis in ſexaginta minuta diuiſis, minuta hæc ſingula horum ſexaginta rurſum in alia ſexaginta modo ſimili diuiſère. Poſito igitur enixu eorum qui in lucem eduntur, videamus obſecro ſi hanc exactiſsimam temporis diuiſionem auctores hi ſibi valeant conſeruare. Nam ſimul atque editus puſio eſt, mas an fœmella

mella ſit, obſtetrix explorat, tum vagitum expectat infantis, nimirum iudicium vitæ eius qui natus recens eſt. Quot hoc tempore vis ſexageſima prætereiiſſe minuta? Dicit obſtetrix deinde Chaldæo partum, qui editus eſt, quot minutiſsima momenta vis, interea dum obſtetrix loquitur, prætercurriſſe? præſertim ſi forte fortuna fuerit non in conclaui mulierum Chaldæus ille præſens, ſed in ædium atrio, aut veſtibulo tempus horámque reponens. Et cùm eum, qui definiturus eſt diligenter tempus, ac horam exploratoria nimirum horarum percipere oporteat inſtrumenta, ſiue diurna ſint, ſiue nocturna, quot minutorum hoc quoque tempore quæſo præteruolat, præteritque examen? Compertam enim eam eſſe ſtellam, qua tempus, horáque ſit exploranda, non ſolùm quanta in parte ſit duodecima, ſed etiam quàm iuxta duodecimæ portionem partis, in quotóque minuto ſexageſimæ eorum, in quam, in quæ diuidi diximus portionem: aut vt exactiſsimè comperiatur, quoto in ſexageſimo eorum, in quæ ſubdiuiſa ſunt ſingula ſexageſima illa prima, neceſſe eſt. Atque hanc tamen adeò tenuem, ſubtilémque temporis inuentionem quamquam attingere nequeunt ſingulis in ſtellis errantibus, faciendam eſſe neceſſariò dicūt, vt qualem ad adhærentes cœlo fixáſque ſtellas ipſæ diſpoſitionem habitudinémve haberent, qualiſque ipſarum eſſet inter ſeſe figura, cùm in lucem ederetur fœtus, compertum ſit tandem, ac exploratum. Quæ cùm ita ſint, ſi fieri non poteſt, vt tempus illud exactiſsimè quiſquam attingat, variationéque, vel breuiſsimi temporis fit, vt tota via penitus aberretur, deridendi profectò non mediocriter eſſe videntur, tam ij, qui ſtudio huius indulſerunt artis, quam in ratione rerum nunquàm eſſe conſtat, quàm ij, qui hiantes ab illorum ore pendent intenti perinde quaſi omnia illi ſcire poſsint, quæ ipſis ſunt euentura.] Hactenus Baſilius.

Cùm res ita ſe habeat, vrgent Aſtronomi multa Aſtrologica prædicta certiſſimis euentis confirmata, quæ ſanè veritatem conſequi nō potuiſſent, niſi præcepta artis ritè fuiſſent conſtabilita, & hæc aiunt eſſe experimenta illa, quibus artem ſuam quotidie confirmari contendūt, quæ calumniādo velle peruertere, genus quoddā affirmant eſſe inſaniæ. Quibus nos viciſsim innumera eorumdē prædicta, quæ quotidie re, & euentis refelluntur obiicimus. Quare cùm aliqua veræ, innumera falſæ diuinationis exempla, Aſtrologis quoque fatentibus, promere liceat, cur quæſo aiunt veras ex certis obſeruationibus eſſe, falſas cur negant eſſe ex vanitate artis? an quia notationes Aſtrologicæ certæ, & exploratæ ſunt fidei, ideóque ſi aliquando peccatur, in artem peccatur, ars verò ipſa errat nunquam? Id dubium eſt; id demum eſt, quod iam dudum inquirimus. Vnde id probabunt? experimentis? redeunt eædem ambages. an quia id tradunt veteres Aſtrologi? vidimus neque illis conſtare potuiſſe de veritate Aſtrologiæ. An quia ita perſuaſum eſt omnibus Aſtrologis? id ſcire auemus cur ſibi perſuaſerint? An quia id ſupponendum eſt tanquam primum principium naturæ ipſi notum? at multis, & ſapientiſsimis viris, quos nemo dicet naturali lumine orbatos, tam falſum eſt, quàm quod falſiſsimū. Cur ergo veras prædictiones volunt eſſe ab arte, falſas ex aliis cauſis? cur falſas nō tribuūt artis inanitati, quam oſtendimus nullis potuiſſe experimētis comparari, veráſque aliis cauſis? quales oſtendemus c.31.32.33.34.35. reddi per accidens interdum præſenſiones veras.

Huc accedit quòd Ptolemæi, & recentiorum ferè omnium Aſtrologorum confeſſione cœli efficientia, à cauſis ſublunaribus, & proximis impediri poteſt, & quo

& quoquo verſùs trahi. Quare & Aſtrologicarum prædictionum veritatem non ſolùm à cœlo, & iis, quæ ab euentu longè diſſita ſunt, ſed à coniunctis etiam cauſis pendere fatendum eſt neceſſariò; à duplici igitur cauſarum genere cœleſtium, & ſublunarium prædictiones cùm dependeant, cur veras auctore cœlo, veras eſſe, falſas proximis cauſis impedientibus, falſas eſſe contendunt: affirmantes præſenſiones veras à proximis cauſis mutuari veritatem, falſas à falſis Aſtrologiæ præceptionibus falſitatem haurire: quomodò redarguent? ô mira artis vanitas! ô leuiſſimam diſciplinam! Aliqua in ea vera, innumera ſunt falſa: ſed id vitio illi non vertimus, illud ſciſcitamur ſolum, cur vera quæ ſunt, non ab aliis cauſis, ſed aſtrorum vi vera ſint? & quod reſpondeant habent nihil. Quid opus eſt amplius vannis has paleas agitare? Nihil ſubeſt tritici, nihil firmi, ac ſolidi, tota hæc ars eſt extra aream diſciplinarum.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Experiendi difficultas ex Cardano.

QVAM arduum ſit aſtrorum vires, ſi quas habent, experimentis aſſequi, intellexit ipſe quoque Cardanus Aſtrologorum noſtratum coryphæus: Libro ſiquidem de Iudiciis geniturarum, cap. 22. diſſerens de electionibus, difficiles eas eſſe docet quatuor de cauſis. [Prima (inquit) ob multitudinem negotiorum, vni non poſſumus eſſe intenti, nec etiam illam eligere facilè, quæ ſit excellentioris conditionis. Secunda, quia non eſt facile eligere ex ſignificatoribus, quid propriè decernat; nam iam pluribus annis, ſicut in quinquageſima genitura, aliquid magnum, vt in tua pollicebamur, & ſperabamus, quale autem hoc futurum ſit, planè fateor, me vix aſſequi poſſe. Tertia verò, quæ maxima eſt, ea eſt; quòd congreſſus rerum perpendere non poſſumus: præceſſit enim primò trini Solis ad Lunam acceſſus, tum illico oppoſiti Solis ad aſcendens iter ſignificans. Poſt hæc autem ſimul Mercurij ad Solis corpus auctionem dignitatis decernentis, erat autem ſimul, & reliqua paulò poſt cor cœli, trinus Solis attigit, & Martem Solis quadratus. Itaque iam peracta re facile eſt cauſas, & etiam naturales inuenire, ante difficillimum, nam niſi fiant congreſſus, non perficiuntur res, congreſſus autem temporum rationem ſupponunt. At longiſsimus eſt hic labor, tum magis me aliis in rebus, etſi non dignioribus, attamen mihi neceſſariis, intento: hæc enim ars plurimum, & negotiis vacuum, vt quiſque hîc ſcripta aſſequatur poſtulat. Quarta, quæ omnibus aliis adhuc difficilior eſt cauſa, quòd quantitatem rerum attingere non poſſumus, atque in hac omnes fermè laborant artifices, qui coniectura vtuntur, vt medici, nautæ, imperatores exercituum, veterinarij, tamen eò magis quòd non minùs in hac arte quàm in aliis accidunt diuerſitates ex regionibus, & ciuitatibus, & legibus, & temporibus. Neque enim eadem ad vnguem ſignificant fixæ, vel erraticæ, vel cœli partes quæ Romanorum temporibus, nam nec in eiſdem erraticæ locis ſunt, nec æquali motu mouentur, nec erraticas eodem modo excipiunt, aliæ enim latitudinem erraticæ, aliæ longitudinem va-

riámque ſuſcipiunt. Hæc eadem in erraticis motis abſidibus, & Signiferi alia natura eſt; nec calidæ, & vehementes ſtellæ, quæ aliàs in Leone erant, nunc ſunt in Virgine, vnde vtraque Signa temperatiora. Ergo rerum initia à genitura pendent tribus modis, vel ab ipſa, vel à directione, vel à reuolutione; hæc verò generalibus cauſis comparari debent. Cæterùm electio in his aliquid facit, ſed quis ſcit eligere? indicat tamen ſatio, & inſitio prodeſſe electionem, in rebus tamen voluntariis parum prodeſt, & difficillima eſt, cùm iam ad genituras reſpicimus fauſtis temporibus, id eſt, annis, magnum aggredi bonum eſt: non enim aſtra, quantum neceſſe eſt, impellunt, &c.]

Quod ſi adeò difficile eſt experiri quid aſtra valeant in electionibus, quæ ſunt in noſtra poteſtate, & in iis rebus, quas ſingulis diebus pro arbitratu licet aſtris ſubiicere, & obſeruare quid in iis iuris exerceant, quanto difficilius fuerit notare aſtrorum vires, quas in generationibus obtinent, & ſæpe nolentibus nobis peraguntur, & optantes, ac votis omnibus expoſcentibus deludunt?

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Electiones, quas vocant inanes, ex Aſtrologorum confeßione, & Ludouici Sfortiæ exemplo.

QVICVMQVE res omnes, quæ terra, maríque, quæ mundo vniuerſo fiunt, cælo auctore fieri ſibi perſuaſerunt, auſpicatò volunt negotia quælibet ſuſcipienda eſſe, & obſeruanda ſydera apta ad vnumquodque negotium fœliciter peragendum: intereſſe enim aiunt plurimùm, quibus aſtris præſidibus vnumquodque negotium ſuſcipiatur, qua cæli conſtitutione adeatur Princeps, agatur iter, ſuſcipiatur bellum, nubatur, accedatur ad mercaturam, ad ſtudia literarum, ad vrbem, ad aulam: eligenda idcircò tempora vnicuique negotio peragendo accommodata: Ex huiuſmodi enim electionibus rerum omnium euenta pendere: illum enim, qui bonis aſtris iter ingreditur, fœlici euentu ad ſua rediturum; contrà illum, qui ſe viæ dat dominantibus malignis ſtellis, difficili, ac periculoſo itinere vſurum. Tradunt hæc aſtrorum intimi conſiliarij, quæ nec ipſa per ſe cohærere, nec conſentire cum iis, quæ de natalitiis aſtris ijdem ſcribunt, planum eſt: nam vel rem, quam aggrederis, fœlicem tibi, & ex voto natalitia aſtra pollicentur, vel infœlicem, & inauſpicatam, vel nihil natalis horoſcopus de ea habet. Si primum, quocumque aſtro rem aggrediaris, proſpero, ſecundóque exitu negotium tractabis. Si ſecundum, nullæ ſtellæ aduerſus natalitia decreta rem tibi proſperabunt; ſi res ad genitalia ſydera non pertinent, perit omnis Genethliaca diſciplina, quæ ex aſtris, quæ conceptui, & ortui præſident, res omnes deducit: nam ex rebus etiam minimis, vt ſuprà planum fecimus, rerum omnium, & publicarum, & priuatarum momenta dependent. Quare ſi ſingula negotia natalitia aſtra effugiunt, pendéntque ex horarum, & dierum electionibus, quibus ſuſcipiuntur, nihil certi ex genituris intelligi, aut coniici poteſt. Quòd ſi negotium vnum ex aſtrorum dominatu eximis, eximere cogeris & alterum, & tertium, & quartum, & omnia; quo admiſſo, genitalium aſtrorum vis eludetur omnis: nam

res ex rebus,& euenta ex euentis naſcuntur,vt ſuprà dicebamus.Vnde commutatis vel leuiſſimis rerum momentis, maximarum quoque ſeriem perturbari neceſſe eſt, omniáque contrario curſu fieri, quàm natalitia aſtra ſponderent. Nihil verò iuuat Cardanum,quod ipſe ait lib. de Iudiciis geniturarum,cap. 22. non ſemper natale ſydus inclinare mortales, quantum neceſſe eſt; ideò iuuari genituras electionibus, & fauſtis ſtellis aggredienda ea, ad quæ genitura propendet: nam ſi non ſatis ſunt ad negotia peragenda ſydera, quæ genituræ præſunt, quod ex iis colligere poſſimus, habemus omnino nihil; omnia ex electionibus petenda nobis ſunt, in quibus rerum omnium rationes continentur,quas cùm nullus fermè obſeruare ſoleat,conſequens eſt,nihil ex aſtrorum præſcripto mortalibus accidere.

Sed faciamus eo cæli habitu aliquem iter capeſſere, quo ad iter auſpicandum nihil deſiderari poſſit magis fauſtum, huiuſmodi cæli conſtitutio perdurátne toto longiſſimi itineris tempore? ſtare igitur oportet cælum, quamdiu homines mouentur; quis feret huiuſmodi deliria? an tempus dilabitur? quo tandem modo ſoſpitabit multorum dierum, aut etiam menſium longum iter? an dicturus es afflari hominem ab aſtris, quando primò equum conſcendit, cúmque afflatu ſoſpitabilem perdurare toto viæ tempore, fauſtitatémque præſtare? itáne verò? qui iter facit, nónne quotidie equum aſcendit? cur non aliis,& aliis quotidie aſtris efficitur, quæ ſibi ſuccedunt in rerum ſublunarium dominatu? iam verò ſi variè ſingulis diebus, immò ſingulis horis afflatur, quid prodeſt fauſta, aut infauſta itineris auſpicatio? Nec illud explicabunt Aſtrologi,quomodo iter agenti ſtellæ ſternant viam,abigant à via latrones,diſcuſſis nubibus temperent Solis ardorem, ſuſtineant equos, ne offendant, exæquent montes,valléſque:quæ omnia præſtare debet cælum,ſi proſperum iter præſtat.

Quanta verò ſuperſtitione, & quàm inani, nedum ridicula, huiuſmodi electiones obligent mortales,declarant ea,quæ de Ludouico Sfortia Mediolanenſium Duce ſcribit Cardanus ad text.14.Ptolemæi de Iudiciis.[Atque vt ex multis (inquit)vnum euidentis,ac præclari exitus exemplum referam hominis à me cogniti:Fuerat Princeps Mediolanenſis prouinciæ Ludouicus Sfortia,qui quæſtuoſum Aſtrologum, quíque nihil minùs quàm Aſtrologiam ſciret, (erat enim ex his, quos Ptolemæus hic meritò ſuggillat) aleret, cúmque ditauerat egregiè, centúmque, atque ampliùs magnis aureis talentis, ab hoc pro tanta mercede tempus vnicuique negotio inchoando præſcribebatur;adeò ridiculè, vt ſapientiſſimus alioquin Princeps cogeretur tempeſtatibus maximis equos conſcendere, totámque aulicam cohortem, & ſtipatores per medios imbres, cœnum, atque lutum, tamquam hoſtes vel inſequuturus, vel fugaturus deducere. Neſcio an Aſtrologi amentia,an ambitione ſumma,an potius irriſione,vt qui Principi ipſi talibus commentis per flagitium illuderet, atque ei, quod nullis aliis prouinciæ noſtræ Principibus contigerit vnquam, euenit, vt regno ab inimico Rege ſpoliatus, & captus, miſerè vitam in carceribus, etiam colapho accepto,& in cłatatra ferrea dormiens,finierit,&c.]

De quo Ludouico idem Cardanus libro centum geniturarum, genitura 9. ſcribit: [Ruente regno,bello ſpoliatus,fraude captus, mortuus autem in carcere, vt fama etiam quinquageſimoquarto ætatis anno, cùm ſeptem annis miſeram in latomiis tranſiſſet vitam.]

En exitus fœliciores Aſtrologicarum electionum, id demùm aſſequutus eſt

clariſſimus

clariſſimus Princeps obſeruando apta negotiis aſtra,& non intelligimus adhuc huius artis varietatem,non intelligimus Aſtrologorum ludificationes.

Scio multis Aſtrologorum non probari electiones, rem inutilem, & confictam ad corradendam inſipientium Principum pecuniam. Legi enim quæ aduerſus hanc Aſtrologiæ partem ſcribit Haly Ptolemæi interpres; vidi quæ ſcribit Cardanus lib.de Iudiciis geniturarum,cap.12. [Cæterùm electio in his aliquando facit, ſed quis ſciet eligere? indicat tamen ſatio, & initio prodeſſe electionem,in rebus tamen voluntariis parum prodeſt,& difficillima eſt; cùm tamen ad genituras reſpicimus fauſtis temporibus,id eſt,annis,magna aggredi bonum eſt: non enim ſemper aſtra, quantum neceſſe eſt, impellunt; dierum autem, & horarum electio abſurdiſſima eſt, niſi naturalibus deligentur perpetua Lunæ ratione; quandoquidem nec eò perfectionis deuenimus, vt dierum decreta poſſimus attingere, &c.]

At ſi electiones commenta ſunt Aſtrologorum, cur non & geniturae? an comminiſci potuerunt Aſtrologi electiones,genituras non item?an fallere voluerunt,qui electiones inuenerunt,non ij,qui genituras?cur ita? an qui ſingula negotia à ſtellis auſpicantur, non bona fide artem tractant, Genethliaci ſine fraude exercent artem? quis credet?cur credet? an decipiuntur errore magno, qui negotia ſingula ex aſtris aptè deduci poſſe exiſtimant? qui ex iis aſtris, ſub quibus ortus quis eſt, iudicant de rerum omnium euentis, non decipiuntur? quibus id perſuadebis? an hi certò vident ſe artem tenere? at illi quoque videntur ſibi rem acu attingere, an hi experimentis nituntur, non illi? vtrique experimentis artem ſuam tuentur, ſed vera experimenta vtrique deſiderant; an Genethliaci vera,qui electiones ſectantur,falſa effantur? ſempérne vera? an ſemper falſa?vtrumque falſum:an vtriſque veræ, & falſæ prædictiones contingunt? cur electionum diſciplina commentum dicitur eſſe, ad ludificandum mortales excogitatum, quæ genituras tradit omnes veritatis numeros habere? Quare concludamus, ſicut electiones ipſorum quoque Aſtrologorum teſtificatione fictitiæ ſunt, ita Aſtrologiam vniuerſam commentum eſſe omni veritate deſtitutum.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Pugnantes Aſtrologorum ſententiæ de Alfridariis.

NON ægrè ferent Aſtrologi, ſi Hieronymi Cardani rationem Alfridariorum deſcribemus prius, quàm Ptolemæi: nam neque natura ſemper incipit à perfectioribus, &, vt verum fateamur, explicatius neſcio quid hæc contineat,quàm illa, propter quod non incongruè à faciliori auſpicamur. Cæterùm, ne vlla ſit impoſturæ ſuſpicio,quæ in tam apertis nugamentis euitari vix poſſet, verba ipſa, & Ptolemæi, & Cardani deſcribere non grauabimur. [Alfridaria (inquit Cardanus lib.de Iudiciis geniturarum,cap.1.) experimento,& ratione cōſtant,anni ſeptem primi Lunæ,tunc corpus molle,& conuulſioni paratum,licèt Princeps dicat ad quintum vſque tantùm.Septem ſequentes,vſque ad quartumdecimum Mercurij, tunc fit agilis, & rationis capax. Septem alij ad vigeſimumprimum Veneris,tunc fit formoſus,& Veneris potens.Septem alij vſque ad vigeſimum-

octauũ Solis,creſcere deſinit ob ſiccitatem honoris agit curam,robur creſcit. Septem alij ad trigeſimumquintum Martis,tunc ad laborem,audaciámque vertitur,ſtatúmque roboris aſſequitur. Septem alij Iouis vſque ad quadrageſimumſecundum, tunc conſilium, ſapientia,& cura rei familiaris ſuperuenit. Septem alij ad quadrageſimumnonum vſque ſant Saturni,tunc ſollicitudine,& timore, & auaritia vexantur homines. Pòſt reuertitur ad Lunam vſq; ad quinquaginta, & ſex,& incipiunt repueraſcere. Vnde attonitus morbus maximè, à quadrageſimoſecundo ad quinquageſimumſextum aduenit, Luna, vel Saturno dominante. Et qui in genitura fœlicem habet Planetam,fœliciùs aget,dum ſub illius cuſtodia anni labuntur,meliùs verò,ſi per reuolutiones rectè ſe habuerit, vt in decimanona genitura,à quadrageſimoſecundo ad quadrageſimumnonum mediocriter ſub Saturno, à trigeſimoquinto ad quadrageſimumſecundum bene ſub Ioue, à quadrageſimonono ad quadrageſimumſextum, malè ſub Luna. Horum igitur Alfridariorum ſi genitura diurna ſit,primus annus Soli,ſecũdus Veneri, tertius Mercurio, ſícque deſcendendo,vt vltimus Martis ſit: ſi autem nocturna, primus Lunæ, ſecundus Mercurio, atque ſic aſcendendo, donec Saturnus vltimus ſit,dedicatur; quamobrem vltimi climatrici ſemper ſunt infortunarum Saturni in nocturna, Martis in diurna, vt ſeptimus, decimuſquartus, vigeſimuſprimus,& alij deinceps,vnde fit quinquageſimuſſextus in nocturnis genituris propter frigiditatem Saturni duplicatam, & ſexageſimuſtertius in diurnis ob ſiccitatem Mercurij, & Martis, vtroque ſubſcribente iam ætate frigida,& ſicca maximè periculoſi ſint; ſi tamen Saturnus in nocturna, aut Mars in diurna dominentur principalibus vitæ locis, nunquam meliùs ſe habebunt, quàm his temporibus. Si autem quis moritur in climatrico Saturni, frigida aliqua cauſa comes eſt morbi,etiamſi calidus ſit,qui in climatrico Martis cauſa aliqua calida. Vnde plerumque in his cauſa in diuturnam verſa, in aliis ex diuturna, cui vita coniuncta eſt,moriuntur. Cùm verò ambo domini generalis,& proprius bene diſpoſiti fuerint,natus bene viuet, etiamſi directio mala occurrat,& quæ mortem ſignificet: poterit enim anno integro produci vita. Sunt autem bene diſpoſiti,vel geniture tempore,vel reuolutionis,directio autem non immutat Planetas,ſed ſolùm loca eorum,plurimùm autem poteſt in vita,valetudine,honoribus,ducenda vxore,& filiis procreandis, & moribus, minimùm autem in diuitiis. Alfridaria igitur ingenij ſunt à ſeptimo ad vigeſimũoctauum annum, medij tamen à decimoquarto ad vigeſimumprimum ſunt debiliores, quia Veneris, & eſt tempus res voluptatum. Alfridaria honoris à vigeſimoprimo ad trigeſimumquintum; ſed generationis filiorum à vigeſimooctauo ad quadrageſimumſecundum, & hoc intellexit Plato ſubobſcuris verbis. Alfridaria diuitiarum à trigeſimoquinto ad quadrageſimumnonum: tunc enim Iupiter, & Saturnus dominantur, à quadrageſimoſecundo ad quadrageſimumnonum eſt propriæ aſtutiæ,& conſilij,&c.]

Hæc Cardanus de Alfridariis. Contraria planè ſcribit Ptolemæus lib. 4. de Iudiciis,cap. 9. [Hæc autem via, (inquit) ſiue ordo à primis annis, & à ſphæra nobis affiniori, ſcilicet lunari, ſumit exordiũ, & in extremis annis ab vltima Planetarum ſphæra, quæ Saturni dicitur, explicatur. Sciendum eſt etiam ſingulis annis res accidere cum illius Planetæ natura, qui in illius anni decreto fuerit, ſimilitudinem ſortientes. Huius autem obſeruatio rei neceſſaria eſt ad generalis horum vniuſcuiuſq; temporum qualitatis cóprehenſionem,quorum

differentiæ

differentiæ particulares ex eis in habentibus proprietatibus cognoſcentur. Nam quia Luna ad plus quatuor primorum annorum, infantis diſpoſitioni dominatur, quo numero per quem quatuor primos annos intelligimus aſſimilatur infans ſui corporis teneritudinem, & infirmitudinem, feſtinúmque excrementum ſuſcipit, cuius etiam maior, & frequentior eſt aquoſa cibatio, eiuſdémque formæ leuis alteratio, necnon ipſius anima debilis, imperfectáq; tenetur, ſecundùm quod ex his, qui propter opificem infantis animæ partem accidunt conueniens eſt. Et quoniam ſecundus Planeta, qui Mercurius appellatur, dominus exiſtit diſpoſitionis decem annorum ſequentium, qui & pueritiæ ſunt, & ſecundi nominantur, propter hoc, inquam, quod numeri medietatis viginti annorum ipſe dominus eſt, infra hoc annorum ſpatium effectum intellectus, & ratiocinationis animæ manifeſtum puer ingreditur, veluti ſi quaſi eruditionis planta, & qualitatum animæ radices in eo plantarentur. In his etiam annis ex eorum, quæ aptantur proprietatibus, caſtigatio, nec non & doctrina ſplendeſcit, & ad primi exercitij modos expergefactos inſurgit. At quia diſpoſitioni ſubſequentium annorum octo, qui & adoleſcentiæ ſunt, & tertij nominantur, Venus dominando præſidet, & qui numero annorum eius propriè circumuolutionis æquantur motus, decurſus ſpermatis, eiuſque multitudinis adunatio ſumit initium, & ad actus vſque Venereos adoleſcens ipſe mouetur: hoc autem tempus eſſe dicimus, in quo animæ quaſi boliſmi ſimilitudinem ſortiuntur, & vix minimam abſtinentiæ portionem tangentes, ad plurimúmque cupidinis impetum in omnibus ex rebus Venereis contingere poſſibilibus peruenientibus tempeſtuoſam lunariam deceptionem, mentiſque cæcitatem in optanti omnibus incurrunt.

Et quia Sol medialis ſphæræ dominatur diſpoſitioni annorum viginti, qui quarto loco notati & ordine ſunt medij, & iuuentuti deputati, præeſſe dicitur in operibus potentiæ, & fructuoſa diſpoſitione vitæ, nec non eiuſdem directione ſollicitudine iuuenilem habere animam ſancimus, & ex qualitatibus decretoriis, ludicris, & deceptibilibus ad animæ ſalutem pudoriſque conſeruationem, ac honoris affectum eam adulterari dicimus.

Poſt Solem autem quia Mars quindecim annis, quinto loco conſtitutis dominatur, qui ſunt anni roboris, atque vigoris, numero propriæ rationis ipſius æquantur vitæ grauitas, ac impedimentum, & aduerſitas incumbunt; animæ verò cum corporibus anxietates, & impedimenta ſuſtinent, & corporis declinatio ferè ſentitur, & intelligitur; operabitur etiam homo grandia; vnde ſibi ſummus labor euenit, quorum explicationem ante ſuæ mortis acceſſum expetit. Deinceps autem Ioui ſentiloci ſenem vindicanti ſenectutis annos duodecim ſuæ propriæ circumuolutionis æquales aſſignamus, in quibus homo ab operibus corporis, & laborioſis, necnon ab anxietate manum retrahit, animámque ſuam deinde periculo non committat: pro quibus omnibus ſanum mentis habitum induens bonæ conſeruationi ſtudebit, & præ ſua magnanimitate turpia negligens in omnibus rebus deſiderando prouidus, necnon ſermocinatur conſolator habebitur: In hoc etiam tempore circa libertatem, & honorificentiam, bonámque famam cum pudore, & reuerentia maximè ſollicitabitur. Poſt hos autem anni Saturni, veluti in extremo poſiti, qui ſunt ſenij, nec ante vitalis loci egreſſum terminati, ordinati eueniunt: Nos frigidior, corporiſque motus grauedo delectationis, & aſpectus di-

minutio,necnon & naturæ feſtina declinatio comitantur.Hæc autem qualitas vitam hominis exuit impedimentum, & triſtitiam, modicúmque rerum ſuſtentationem propter ſuorum motuum debilitatem imprimit. Hæ ſunt igitur qualitatum temporum proprietates, quæ ſecundùm generales res naturæ apparent.Particulares verò temporum proprietates quoniam non niſi ex natiuitatis proprietatibus obſeruare debemus id quod in eis vniuerſale apparuerit nobis ab Aſtri leg.dominatrice conſiderabimus, &c.]

Hæc Ptolemæus,hæc Cardanus. Ab vtroque diſſentit Firmicus lib.2. c.29. [Initium(inquit) temporis in diurnis genituris Sol accipit,in nocturnis Luna, nec aliam rationem admittas; quia hæc ab omnibus approbatur. Cum itaque Sol dominus temporum fuerit, tenet dominatum annos decem, menſes nouem; ſimili modo, & Luna, cùm domina temporis fuerit, tenebit annos decem, menſes nouem; in diurna igitur genitura primum decennarium Sol accipit; ſecundum, qui in genitura per ſignorum curſum in ſecundo loco fuerit inuentus; tertium qui poſt ſecundum fuerit, & ſimili modo cæteri, quod vt manifeſtiùs intelligatur, hoc docemus exemplo. Si in diurna genitura Sol in Ariete fuerit inuentus, ipſe erit decennij dominus, ſic & in quocumque alio ſigno fuerit. Quicumque ita in Tauro fuerit, ipſe erit in ſecundo loco; qui poſt Taurum fuerit, ipſe erit tertius, & ſic in cæteris hocmodo,& etiam in nocturnis genituris à Luna inchoantes faciemus,&c.]

Deus Optimus Maximus benefaciat Genethliacis, qui tot, & tam manifeſtis mendaciis artem ſuam onerarunt, vt nihil in ea niſi fictum, nihil niſi commentitium appareat.Huius generis eſſe Alfridaria, de quibus agimus non ſolùm declarant contrariæ, & pugnantes de eis Aſtrologorum ſententiæ, ſed etiam illud quòd cum præcipuis Aſtrologiæ placitis non cohærent.

Eamus per omnem Aſtrologiam,decurramus Domos, Antiſcia, Fines, Horoſcopos, Cardines, Signa, Configurationes, Triangula, ſtationes, directiones, retrogradationes, irradiationes, currus, carpenta, reperiemus ſine dubio varias eſſe Aſtrorum vires, pro varietate ſignorum, domiciliorum, triangulorum, antiſciorum, cæterorúmque,quæ recenſuimus. Et Iulius quidem Firmicus lib.3. Matth. ſingulorum Planetarum poteſtatem, quam per ſingulas cœli ſtationes obtinent, accurate perſequitur: Lib.verò quinto eorumdem decreta per ſingula Zodiaci ſigna tradit, totúſque in reliquis libris eſt in eo, vt doceat varias Aſtrorum vires in variis cœli partibus, variiſque domiciliis.

Ptolemæus verò lib.1.cap.21. [Atque hoc fermè modo(inquit)ſe habent familiaritates ſtellarum, locorúmque duodecim. Dicuntur autem ſtellæ, & ſuas quaſi perſonas gerere, quod videre facie ad faciem vulgus vocat, cùm ſingulæ eo modo cum Sole, aut etiam Luna configurantur, quo domicilia ipſorum cum domiciliis luminum, vt verbi cauſa, Venus in ſexangula configuratione, cum luminibus, ſed cum Sole veſpertina, cum Luna matutina eſſe debet, pro eo atque etiam domicilia collocata ſunt, ſuis autem quaſi in regiis curribus,& carpentis inuehi, & ſoliis inſidere, & in huiuſmodi excellentiis tunc eſſe dicuntur cum duobus, aut pluribus nominibus declaratis in ſuperioribus familiaritatis ius exercuerint in iis locis ſtellæ in quibus inſtiterint. Nam quia tunc maximè efficaces eorum vires fiunt propter conuenientiam, & ſimilitudinem, & quaſi collatam operam duodecim locorum, ideo ſoliis ſuis conſidere & illuſtres dicuntur. Gaudere etiam volunt cùm loca, in quibus ſtella fuerit,

rit, non ipſi ſed alteri ſuæ conditionis obnoxia, quæ quidem ſatis è longo congruitatis ratio dicitur, ſed ſimilitudo illum efficere putatur. Contrà autem ſi in locis alienis, & contrariis conditionis ſuæ inueniatur, valde diluitur peculiaris ipſarum vis, diuerſarum naturarum confuſione propter diſſimiles ſignorum conſtitutiones.] Pergit cap. 22. [In vniuerſum (inquit) intelligimus applicari præcedentes ſequentibus, defluere autem præcedentibus ſequentes, ſed non oportet longum eſſe interuallum, idque intelligitur in corporeis congreſſibus, & configurationibus illarum. Niſi quòd in corporeis congreſſibus applicationis, & defluxus etiam latitudines conuenit notari, nam non niſi eos, qui in linea per media ſigna ducta exiſtunt admittere conſueuimus, quod in configurationibus obſeruare ſuperuacaneum fuerit, cùm radij vniuerſi eodem, id eſt, in terræ punctum tendant, atque ita vndecumque exiſtit ſemper concurrant. Ex quibus omnibus euidens ſit, habitudines ſtellarum ſingularum exquirendas cùm ex propria natura earum, tum ex natura ſigni in quo fuerint, necnon ſecundum configurationem ad Solem, & cardines, quæ cuncta à nobis indicata ſunt, ſed vires aſſumunt, primò ſi Orientales ſint, & curſum ſuum intendant, tum etiam plurimum poſſunt; ſicut minimum, ſi occiduæ ſint, & remittentes curſum ſuum. Deinde propoſito ſuo, & reſpectu erga finitorem: nam in medio cœlo, aut ſuccedente illi loco, potentes maximè, ſed potentes etiam ſunt in ipſo finitore, & ſuccedenti loco, plurimum autem poſſunt in finitore Orientali, contrà verò vicinus in imo cœlo, aut alio conformi finitori Orientali loco, ſed extra hæc omnia reperti imbecilles, & prorſus infirmi habentur.] Hæc Ptolemæus, nec vllus diſſentit Aſtrologorum.

Reuertamur ad rem noſtram. Qui aiunt Lunam primis quatuor, aut ſeptem annis ab ortu præeſſe, non docent, opinor, eo toto tempore affixam illam eſſe vni cœli parti, aut ſeruare eandem ſemper conſtitutionem cum reliquis Aſtris, ſed admittunt aliquando ex ſua, aliquando ex aliena domo, terras ſpectare, aliquando proprio curru vehi, nunc vnum, nunc aliud Zodiaci ſignum occupare, nunc Orientalem, nunc eſſe Occidentalem, & quod hinc neceſſariò fit fatebuntur iis annis, quibus pueris præeſſe dicitur, interdum maiorum, interdum minorum, interdum nullarum eſſe virium. Quid igitur aiunt, quando aiunt Lunam primis ſeptem annis à natiuitate puero dominari? Aſtra his inferioribus non alio, quàm actionis iure dominatur, actio Lunæ ſingulis momentis varia eſt. Quid ergo eſt dominium iſtud, quod illa ſeptem integros annos in puero obtinet? nonne eundem ſequentibus annis, & menſibus retinet curſum eandémque conſtantiam? Cur igitur primi anni Lunæ tribuuntur potiùs quàm reliqui? Cæteri Planetæ interim ceſſántne, an aliquid agunt? non otiantur domi, præſertim ſuæ, in ſuis ſoliis, in finitore, & ſuccedente loco, in finitore maximè Orientali, vbi præcipuè ſuas exercent vires auctore Ptolemæo. Agunt igitur non minùs, quàm Luna: plus etiam, ſi Luna in iis locis exiſtat, in quibus minimum, aut nihil obtinet virium; alij verò Planetæ, vel in ſuo domicilio, vel in finitore ſunt, alióque loco, ex quo in hæc inferiora vehementiùs cogere ſolent, aliarúmque ſtellarum efficientiam impedire: pugnare inter ſe Aſtra, & nunc hæc, nunc illa ſuperare pro varia conſtitutione, & ſitu, primum eſt Aſtrologiæ principium: ſingulis diebus, ſingulis horis, ſingulis tranſuolantis temporis momentis variantur Aſtrorum

congreſ

congreſſus,& conſtitutio. Quid ergo eſt iſte Lunæ dominatus in puerum per ſeptem integros annos? qualem exercet poteſtatem, quam non exerceat reliquo vitæ tempore? quid iuris obtineat primis annis, quid non obtineat in ſequentem ætatem. Nugamenta hæc ſanè ſunt,& ludibria puerorum bullas cœlo toto ſectantium. His accedit, quòd cum ſingulis diebus alij pueritiam, alij adoleſcentiam,alij virilitatem, alij ſenectutem ingrediantur, ſi Alfridaria ſtarent, oporteret pugnantes ſtellas vno eodémque tempore, decani, ducatus, domini,iura obtinere contra omnia Aſtrologica decreta.

Dicent fortè, non idcirco Lunam præſidere pueritiæ,quia toto eo tempore inter reliqua omnia ſydera Imperij iura obtineat; ſed quia, cùm ea ætas humida in primis ſit, humor verò à Luna præcipuè defluat, Luna illi ætati maximè cenſeatur ſalutaris,& accommodata; idémque de Saturno, reliquiſque exiſtimandum, quæ aliis ætatibus præeſſe dicuntur. Argutè hi quidem diſputant,ſed non ſoluerunt adhuc modum difficultatis,non ſolùm enim humore,ſed etiam calore, & multò magis,auctore Ariſt.lib. de Iuuentute,& Senectute,c.14.ætas illa continetur,Soli igitur tribuēda potiùs,quàm Lunæ.Quin ſi pueritia abundat humore,ſiccitate potiùs indigebit,& Saturnum agnoſcet principem, non Lunam;humorem enim à ſe,non à Luna,ſiccitatem à cœlo, non aliunde obtinet. Præterea ſolâne pueritia redundat humore?non ſanè, toto adoleſcentiæ tempore, quod minimum viginti,& vnum annum continet,exuberare humore,ſcribit Ariſt.lib.de Iuuentute,& Senectute;quin & Cardanus lib.de Iudiciis geniturarum, cap. 2. qui circa 21. annum tradit ceſſare augmentum propter ſiccitatem, ſupponit non ſeptem primis annis,ſed viginti,& ampliùs redundare humiditatem.

Quid Ariſtoteles? [Oportet (inquit lib. de Longitudine,& Breuitate vitæ, c.5.)accipere quòd animal eſt natura humidum,& calidum,& ipſum viuere tale eſt,ſenectus autem frigida,& ſicca,& quod mortuum videtur enim ſic. Materia autem corporum exiſtentibus hæc, calidum, & frigidum, ſiccum, & humidum. Neceſſe igitur eſt ſeneſentia exſiccari,&c.] Tota igitur vita dominari oportet Lunam, non ſolùm in primis annis, ſi foret humidum radicale. Iam verò quod aiunt Venerem præeſſe ab anno decimo quarto ad vigeſimum primum, quòd eo præſertim tempore genitale ſemen oriri ſoleat,quantum continet leuitatis? nónne ad quinquageſimum,& ſexageſimum annum humor hic perdurat?cur & eius vis ad eam vſque ætatem non perdurat?

Denique quæ Genethliaci tradunt de chronocratore, & temporum moderatore,nónne funditùs Alfridaria euertunt?[Initium temporis(ait Firmicus lib. 2.Matheſeos, c.29.) in diurnis geniturís Sol accipit, & cæteris diuidit; in nocturnis Luna, nec aliam rationem admittas, quia hæc ab omnibus probatur; cùm itaque Sol dominus temporum fuerit,tenet dominatum annos decem, menſes nouem;ſimili modo,& Luna cùm domina temporis fuerit,tenebit annos decem,menſes nouem. In diurna itaque genitura primum decennium Sol accipiet,ſecundum qui in genitura per ſignorum curſum in ſecundo loco fuerit inuentus, tertius qui poſt ſecundum fuerit,&c.] Qui fit vt primum decennium Soli ſubſit, ſi Luna ſibi ſeptem primos annos vendicat?nimirum, vt in prouerbio eſt, oportet mendaces eſſe memores. Si faceſſant fabulæ, & commenta, tota hæc diſciplina tanquam inane figmentum euaneſcet. Sed nos Alfridariis relictis,ad reuolutiones veniamus.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Magnas reuolutiones confictas eſſe Aſtrologorum teſtimonio probatur.

IN quamcumque Aſtrologiæ partem incido, infinitas fabularum inanitates, & commenta offendo: ab Alfridariis degreſſus magnas ſtatim reperio reuolutiones, rem commentitiam planè, & omni chimæra magis inanem.

Verùm quos excitabimus huius rei teſtes, aut iudices? Non alios quàm Aſtrologos ipſos, & Aſtrologiæ Magiſtros, & Albertum Pighium Campenſem, & per ſe, & Auguſtini Niphi Aſtrologiæ reſtauratoris teſtimonio, Mathematicum clariſſimum. In Apologia enim, quam pro Aſtrologia edidit anno 1518. parte prima. Vt itaque paulò euidentiùs faciamus quàm ingenioſè hi aſtrologentur, qui per magnos orbes nobis edicere conantur euentus mundanos, paulò altiùs exordiendum eſt. Finxerunt quemlibet ex Planetis, vt vnumquodque item ſignorum, mundi imperium obtinere annis 360. quibus exactis nouum aiunt incipere orbem magnum, cui, & Planeta priori proximus, & ſignum quod deinceps hæret ſigno priori pariter præſunt, atque ita qualis dominantis ſyderis atque ſigni natura eſt, talia euenire eo annorum ſpatio; quanquam nemo ex his vſque adeò deliret, vt particulares euentus, & maximè quæ per ſingulos dies fiunt veras mutationes putet ab his orbibus pendere, niſi Gaſpar ille, qui nobis his ſuis ineptiis prolixiùs agere de his magnis orbibus coëgit. Dicunt inſuper cœpiſſe nouum orbem magnum, quo tempore ea fuit Saturni, Iouiſque coniunctio, quæ præceſſit annis, vt aiunt, 279. huic autem orbi præfuiſſe ex Planetis Saturnum, ex ſignis Cancrum, & ab eo veluti ſuppputationis cardine magnos orbes ad nos vſque reuoluunt. Sed hæc quàm ſint mendacia, quàm fabuloſa, quàm obtuſiſſimis etiam ingeniis conficta, ex eo patet: nam auctores huius figmenti Albumazar, Aomar, & reliqui dicunt, ſicut poſt eos Alphonſus, fuiſſe ab initio ad diluuium annos 2228. à coniunctione autem illa, cum qua nouus ille cœpit orbis, annos 1947. ex quo numero, quinque orbes conflari neceſſe erit, adhuc annos ſupereſſe 147. ſexti orbis imperfecti, & ita neceſſe erit, vel mundi creationem non cum nouo orbe cœpiſſe, aut præteriiſſe orbis primi 213. annos antequam eſſent anni, hoc eſt, ante ipſius mundi primordia. Quare quid poteſt eſſe delirius, aut amentius? Deinde vt Saturnum, Cancrùmque orbi illi præfecerunt, qui cœpit ab ea Saturni, Iouiſque coniunctione, quam dicunt præceſſiſſe diluuium, ea ratione, vt cauſam in cœlo haberent, à qua inundationem illam deducerent, ita quia conſonum videbant, vt gubernationem mundi à Sole inter Planetas, ab Ariete inter ſigna exordirentur, Solem mundi Planetam fecerunt, Arietem autem ſignum. Hæc enim ſcribunt Haly Habenzagel, & Albumazar lib. 1. de magnis coniunctionibus, tamen hæc manifeſtiſſimè inuicem pugnant, atque contradicunt: nã cùm ſint ante orbem diluuij ad mundi initia iuxta eorum computationem, orbes quinque perfecti, ſex autem imperfecti, veluti antè diximus, ſiue quinque, ſiue

ſex numeremus,neceſſe eſt orbem diluuij,aut ſextum,aut ſeptimum fuiſſe;ea-
propter ſi primo orbi Aries dominetur, ſexto, aut ſeptimo, qui diluuij eſt,non Cancer, ſed aut Virgo, aut Libra neceſſariò præfuerit; & ſi primũ rexit orbẽ, Solare ſydus,orbi diluuij,non Saturnum, ſed aut Iouem,aut Martem præfuiſſe neceſſe erit.Quàm igitur ſibi ſit conſona iſta de magnis orbibus fabula,imo quàm obtuſiſſimo ingenio eius fuerint auctores,vel ex hoc cuilibet euidentiſſimum eſſe poteſt,quòd tot repugnãtia includat; Qui etenim ingenioſè mentiri volunt, ſaltem mendaciorum ſuorum memores eſſe debent, ne ſibi ipſis contrarij inueniantur. Poſtremò videamus quàm ingenioſè,ac diligenter hos orbes reuoluat iſte, qui illos orbes tam efficaces nobis adducit: Putat enim hunc, qui nunc reuoluitur, decimum quartum eſſe ab orbe diluuij, & agi annum eius 221. ſed cùm à diluuio ad Chriſtum ſecundùm ſacras Hebræorum hiſtorias anni ſint 2300. erunt ab orbe diluuij ad annũ præſentem anni 4098. Hos autem annos, ſi per annos magni orbis partiaris, inuenies orbem præſentem duodecimum eſſe, non decimum quartum, nec Leonem cum Luna, ſed potius Geminos cum Venere nobis præeſſe. Et ita manifeſtum eſt,etiam ſi eſſent aliquid hi magni orbes, falſum tamen neceſſariò eſſe oportere quidquid iſte,& ſui ſimiles ex iis nobis prædicere contendunt:ſed nimis multa conteſtatur clariſſima voce Aſtrologia,nihil horum omnium pro ſuo ſe recognoſcere, ſed teratiſſimata hæc eſſe,nugamentaque, Syracuſanis illis vaniora; quemadmodum & ea,quæ dicũt Albumazar,& cæteri hi fabulatores de maximis,quas appellant coniunctionibus Saturni,& Iouis,quibus tam pollentes effectus tribuunt,dogmata,ſectas,Religiones,Regna,diluuia,portenta,& omnia miracula ante Chriſti aduentum,fines religionum omnium. Sed vtinam verum prædixiſſet Albumazar,de termino impiiſſimæ ſuæ ſectæ Mahometanæ,quæ iam longo tempore vltra terminum ab eo præfixum perdurat.

Adhæc & Chriſtum coniunctionibus his ſubiiciunt, & ipſam noſtram ſanctiſſimam Chriſtianam religionem, ipſum etiam diluuium vniuerſale, quod Deus ob hominũ peccata induxit, &, ne parũ impij Chriſtiani ſint, ipſa etiam Chriſti miracula,quæ hoc ipſo miracula eſſe deſinunt. Hæc,& multa alia impiiſſima contra Deum,& noſtrã ſanctam Religionem, blaſphema fabulantur. Inter quos maximopere admiror Dominum Petrum Aliacenſem Cameracenſem Cardinalem,qui his tam impiis fabulis in ſua ſenectute, & iam Epiſcopus Cardinalis factus ſubſcripſit: ſed his omnibus Aſtrologia conſtantiſſimè contradicit,neque vnquã tam impiis iſtorum fabulis contra Deum,& Religionem Chriſtianam,ſe cõſenſiſſe palàm proteſtatur, falsò ſibi hæc adſcripta;paratum ſe ab omni hæreſeos ſuſpicione purgare, ſi quid præter communem naturæ curſum fiat,vel in peccatorum vltionem,vt illud diluuium,vel in veritatis alicuius ſupernaturalis confirmationem,ea ſe libenter Deo permittere qui cœlorum legibus non conſtringitur,in his nihil ſe velle vindicare,& ſi quid eorum ab impiis hominibus iniuſtè ſibi tribuatur, ſe donationẽ illam minimè ratam habere. Quæ autem de maximis coniunctionibus iſti fabulantur, quorum effectus in tam multa ſæcula extendunt, è quibus orbes magnos, & Saturni reuolutiones confingunt per omnes cœlos, deierat; ſe omnino ignorare, imo omnino ſe non intelligere, quod hi loquantur,vt qui ſe ipſos non intelligunt, ingenuè confitetur nihil poſſe ſcire,niſi quod obſeruatione deprehendi poteſt: Obſeruationem omnium Apotelesmaticarum, aut Aſtrologicarum veritatem

vnicum

vnicum principium eſſe, quod niſi præceſſerit, fabuloſum eſſe quidquid dicitur, & fictitium neceſſe eſt. At conſtellationem aliquam cœleſtem (accipiant quam voluerint) poſt tamen multa tempora aliquid efficere, vt eſt à ratione alieniſſimum, ita nec aliqua experientia aut obſeruatione deprehendi poſſibile eſt. Conſtat enim & teſtatur Ariſtoteles experientiam, obſeruationémve non niſi ex pluribus ſingularibus effici. Quis autem hominum, imo qui plures homines tanto vixerunt tempore, vt multas eiuſmodi ſingulares obſeruaſſent, ex quibus talem aliquam v. g. vniuerſalem deducere potuiſſent? maximam videlicet coniunctionem, quam vocant Saturni, & Iouis, ſi cum Solari aliquo deliquio fortè acciderit, in tria, aut quatuor millia annorum ſuum effectum extendere? ſed do eis ampliùs vnum, ſcilicet hominem tribus, aut quatuor millibus annorum vixiſſe, imo ſi volunt, à mundi initio ad præſens vſque, impoſſibile tamen erit, vel vnicam huiuſmodi ſingularum obſeruationum veram deprehendere. Qui enim certificari poterit ea, quæ nunc videt accidere, ab aliqua coniunctione prouenire, quæ hos mille annos præceſſerit, & non potiùs à præſentibus conſtellationibus, quas fortaſſe ipſe ignorat? potiſſimum cùm medio interim tempore tot coniunctiones, conſtellationéſque extiterint primæ illi contrariæ, & repugnantes, quæ aut mutauerunt quidem, aut ex toto irritauerunt, quod à prima illa ſignificabatur. Manifeſtum itaque eſt, hæc ſomnia eſſe, & anilibus fabulis inaniora.]

Hæc Aſtrologię Magiſter, & Patronus. Vtinam reliquas huius diſciplinę fabulas perſecutus fuiſſet, pro ea auctoritate, quã apud Aſtrologos obtinuit maximã; facilè eos ab inani hac arte reuocaſſet, magno humani generis bono: laboraremus enim minùs Aſtrologorum impoſturis, minúſque mortales paterent Aſtrologiæ fraudibus; vt enim ſumus abditarum rerum ſcientiæ immodicè appetentes, ita neſcio quo modo iis etiam, quæ inconſtanter, & incredibiliter dicuntur, non denegamus fidem, & quamquam ſingulis diebus mentientes ſtellarum vates deprehendamus, vix tamen quotidianis experimentis, vix ſenſibus ipſis credimus vanitatem huius artis.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Videntium, & audientium ſtellarum fabella.

SPERABAM Aſtrologos aliquando à fabulis redituros ad ſapientum hexedras, ſed ſpes egregiè me feſellit: fabulantur adhuc, quæque aſtra ſe videant, aut non videãt, audiant, aut non audiãt, impudenti ore narrant.

[Nunc quæ ſtellæ (inquit Iulius Firmicus) alias videant, & quæ audiãt, breuiter explicabo. Aries Leonem non videt, ſed audit, Leo autẽ Arietem videt, ſed nõ audit. Aries Cancrũ videt pariter & audit. Cancer autẽ Arietem non videt, ſed audit. Taurum & videt Leo pariter, & audit. Similiter Leo, Aries, Gemini, Virginem vident leuiter, & audiunt. Virgo Geminos leuiter videt, ſed pleniſſimè audit. Cancer Libram, & videt pariter, & audit, Leo Scorpium nec videt, nec audit. Scorpius verò Leonem videt pariter, & audit. Virgo Sagittarium ex obliquo reſpicit, ſed eum nõ libenter audit. Sagittarius Virginem, & audit pariter, & videt. Libra Scorpium, & audit pariter, & videt, atque à Capricorno auditur pariter, & videtur. Scorpiũ Aquarius nõ videt, ſed audit, ſimili modo &

Ff 2 Aqua

Aquarium Scorpio non videt,ſed audit. Sagittarius Piſces nō videt,nec audit. Piſces verò Sagittarium, & vident pariter, & audiunt. Piſces Geminos non vident, ſed audiunt. Capricornus, & Aries, nec audiunt ſe, nec vident. Aquarius, & Taurus ex obliquo ſe reſpiciunt,& audiunt. Gemini Libram vident pariter, & audiunt. Similiter Libra Geminos audit pariter, & videt Sagittarius, & Leo ſe pariter vident, & audiunt. Virgo Capricornum quidem reſpicit, ſed non audit. Libra Aquarium videt, ſed ipſa ab Aquario non videtur,audiunt ſe tamen inuicem.Et pariter Scorpio quidem Piſces videt,ſed non audit, Piſces ſimiliter Scorpium vident,ſed non audiunt. Sagittarius,& Aries ita ſunt collocati,vt nec videre ſe, nec audire queant. Capriconus, & Taurus, nec audire ſe poſſunt, nec videre. Aquarius & Gemini vident quidem ſe, ſed omnino ſeparantur auditu. Piſces, & Cancer, non ſe quidem vident, ſed audiunt. Vt enim formas integras ordinationis acciperes,& ſcires quatenus ſint in Zodiaco circulo ſigna diſpoſita, hac ex cauſa,iſtius rei ſecreta tractauimus, neque enim certo ordine, & gradu,hæc duodecim ſigna ſunt collocata, nec ſic ſunt poſita, vt quæ poſteriori loco oriuntur præcedentia, vel ſequentia ſigna ſemper aſpiciant. Nam vt non argumentis, ſed re ipſa hoc tibi oſtenderem, tractatum iſtum ex Abrahæ libris excerptum edimus, vt ea, quæ diximus, ſermo noſter manifeſtis tibi interpretationibus intimetur.] Hæc ille.

Lymphaticas quaſdam plantas eſſe legeram, quæ hominem mente primum mouent,tum audire, & videre faciunt incredibilia quædam, at ij quorum in mentibus Aſtrologia inſedit, ſydera ſibi audire, & eorum intereſſe ſermocinationibus videntur. Aſino illi Apuleio fabulæ,quibus nihil non permiſſum eſt, non ſunt auſæ tribuere loquelam, Aſtrologia, & Arietes, & Tauros, & Cancros, & Leones, & Scorpios, &, quod maius eſt, mutos Piſces facit loquentes. Et quomodo vna ſtella audit alteram niſi loquatur, aut ſonum edat aliquem? Fac voluiſſe fabulas narrare, non tradere Genethliaca præcepta, quid fabuloſum magis excogitari poterat, quàm aſtra audire, & audiri, blandè, toruéque aſpicere, gaudere, lætari? Sileat iam quercus Rodonea, de qua Lucianus in Micillo; Argus Carina, de qua Apoll. in Argonauticis; Vlmus Gymnoſophiſtarum, quæ Apollonium ſalutaſſe fertur; Caucaſus fluuius, qui auctorem Philoſophiæ Pyctharum allocutus dicitur; Achillis equus Pegaſus; ſola loquantur aſtra, ſolus Cancer, Capricornus, Aquarius audiatur. Quid audit ſtella, quando alteram dicitur ſtellam audire, & non videre? qua lingua loquitur Aries quem Cancer audit, non audit Leo? aut quid loquitur ſtella, quæ dicitur audiri? qui ſit vt ſtella vnam ſtellam videat,non videat alteram? quo experimento Aſtrologus rem eſt aſſecutus tam abditam, tam ab humano ſenſu ſemotam, tam miram, támque incredibilem? cur vna dicitur ſtella audire, non videre, alia contrà videre, non audire, alia audire vnam, ſed eam non videre, rurſus alteram videre non audire, alia nec audire, nec videre, alia toruè, alia blandè videre, alia leuiter, alia plenè audire? Quomodo in aſtris intelligis diſtinctum ſenſum oculorum,& aurium, quomodo diſtinguis leuem, & plenum auditum, blandum, & toruum viſum? Midæ illi fuiſſe aures oportuit, qui quid ſydera audiant, aut non audiant, hauſit è cœlo.

* *
*

CAPVT DECIMVMNONVM.

Duodecim locorum ſignificationes.

DVODECIM locorum vires ex Iulio Firmico referemus lib. 2.c.12. tum rationes ſubiiciemus, cur ita de locorum facultatibus à Mathematicis putatum ſit; etſi enim non eodem modo omnes de locorum vi cenſeant, nos tamen ea ſolùm referemus, quæ magis recepta, & communia ſunt, quare vt ad rem veniamus.

[Primus locus (inquit Firmicus) eſt pars illa in qua horoſcopus eſt conſtitutus. In hoc loco vita hominum, & ſpiritus continetur: hic locus ab ea parte in qua fuerit horoſcopus, vires ſuas per reſiduas partes triginta extendit; eſt autem cardo primus, & totius geniture compago, atque ſubſtantia, quæ reliquis auditum præbet.

Secundus ab horoſcopo locus in ſecundo loco conſtituitur, & accipit initium à trigeſima horoſcopi parte, & vires ſuas per triginta reſiduas partes extendit. Ex hoc ſigno ſpei, ac poſſeſſionis incrementa noſcuntur. Eſt autem piger locus ab horoſcopo alienus, ideo & inferna porta appellatur, quod nulla cum horoſcopo radiatione coniungitur, nec aliquo miſcetur aſpectu.

Tertius locus eſt, qui in tertio ab horoſcopo ſigno conſtituitur, qui à ſexageſima ab horoſcopo parte initium accipiens in nonageſima deſinit. Ex hoc loco de fratribus, & amicitiis cuncta dicemus: huic loco Rea nomen eſt, eſt autẽ peregrinationis locus, hic primus cum horoſcopo tenui ſocietate coniungitur; reſpicere enim horoſcopum de hexagono videtur.

Quartus ab horoſcopo locus, id eſt, imum cœlum, in quarto ab horoſcopo conſtituitur ſigno, cuius initium à parte nonageſima profectum vſque ad partem centeſimam vigeſimam peruenit. Hic locus oſtendit nobis parentes, patrimonium, ſubſtantiam, fundamenta, mobilia, & quidquid ad latentes, vel repoſitas patrimonij pertinet facultates. Eſt autem hic geniture cardo imum cœlum, ideo dicitur quòd in diametro medij cœli conſtituitur. Sed hic locus cum horoſcopo maxima ſocietate coniungitur, quia de quadrato horoſcopum reſpicit, & per quadratum aſpectum ab horoſcopo videtur.

Quintus locus ab horoſcopo in quinto ab horoſcopo ſigno conſtituitur; quia à centeſima vigeſima parte ab horoſcopo initium accipiens, vſque ad centeſimam quinquageſimam extenditur. Ex hoc loco filiorum numerus, & generis æqualitas inuenitur; appellatur autem bona fortuna, quia locus eſt Veneris, &c.

Sextus locus in ſexto ab horoſcopo ſigno conſtituitur, qui à centeſima quinquageſima parte initium accipiens, vſque ad centeſimam octuageſimam extenditur. In hoc ſigno cauſam vitij ac valetudinis inueniemus, qui locus mala fortuna appellatur, ab hoc, quòd locus eſt Martis, &c.

Septimus locus in ſeptimo ab horoſcopo ſigno collocatur, quia à centeſima octuageſima parte profectus ad ducenteſimam decimam extenditur, & illis deſinit. In hoc loco alius eſt cardo geniture; appellatur autem occaſus à

Ff 3 nobis.

nobis.Ex hoc loco qualitatem, & quantitatem quæramus nuptiarum, ſed & hic locus violenta cum horoſcopo ſocietate coniungitur, & de diametro ab horoſcopo videtur.

Octauus locus in octauo ab horoſcopo ſigno conſtituitur. qui à ducenteſima decima parte ab horoſcopo profectus vſque ad ducenteſimam quadrageſimam partem extenditur.Eſt autem piger locus, quia nec ipſe aliqua cum horoſcopo ſocietate coniungitur. Ex hoc loco mortis qualitas inuenitur; ſcire autem nos conuenit quòd nulla in hoc loco gaudent ſtella,niſi ſola Luna, ſed nocturnis ſolummodo genituris,&c.

Nonus locus in nono ab horoſcopo ſigno conſtituitur,cuius menſura à ducenteſima quadrageſima profecta vſque ad ducenteſimam ſeptuageſimam partem extenditur; eſt autem diei, ac Solis locus. In hoc loco hominum ſectas inueniemus, eſt autem de religionibus, & peregrinationibus, &c.

Decimus locus in decimo ab horoſcopo ſigno conſtituitur, qui à ducenteſima ſeptuageſima parte initium accipiens vſque ad trecenteſimam partem extenditur; ſed hic locus principalis eſt,& omnium cardinum poteſtate ſublimiorum. Hic locus medium cœlum appellatur, in hoc loco vita, ſpiritus, actus etiam omnes,patriam,domicilium,totámque conuerſatione inuenimus, artes etiam, & quidquid nobis artis ſuffragio confertur. Ex hoc loco animi vitia facili ratione perſpicimus,&c.

Vndecimus locus in vndecimo ab horoſcopo ſigno conſtituitur, qui locus à trecenteſima parte profectus vſque ad trecenteſimam trigeſimam partem conſtituitur; appellatur autem à nobis hic locus bonus dæmon. In hoc loco medium cœlum frequenter parſiliter inuenitur; eſt autem locus Iouis, &c.

Duodecimus locus in duodecimo ab horoſcopo conſtituitur ſigno, qui à trecenteſima trigeſima parte profectus, vſque ad trecenteſimam ſexageſimam partem conſtituitur. Hic locus malus dæmon appellatur. Ex hoc loco inimicorum qualitas,& ſeruorum ſubſtantia facili nobis ſignificatione monſtratur, viſitur etiam in hoc loco, & ægritudines inueniemus,&c.]

Hæc ſunt locorum cæleſtium ſignificata,quæ legere etiã potes apud Card. lib.de Iudiciis geniturarum,c.6.Audiamus nunc rationes quibus permoti Genethliaci ſingulis locis has ſignificationes tribuerint.

Primo itaque loco,qui in Oriente conſtitutus eſt,tenebris prodit in lucem vitam, & ſpiritum aiunt contineri. Cæterùm quia poſt vitam maximè diligimus diuitias,& opes, proximo loco, id eſt, ſecundo, aiunt opes, & ſubſtantiam ſignificari. Ex tertio loco, quia henagena radiatione, quæ eſt amica cum aſcendenti iungitur, de fratribus & amicis iudicari volunt. Quarto loco, qui eſt principalis, & imum cœlum, de parentibus prædicunt. In quinto de filiis, qui parentes proximè ſequuntur. Sexto docent ſignificari ſeruos, propterea quòd ſeptimus locus indicat pares, quare ſexta neceſſe eſt indicari impares, & ſeruos. Septimo, quod patres, vt dicebamus, ſignat, iudicatur de vxore & nuptiis. Ex octauo mortem aiunt pendere, & exilia; quia maligna radiatione aſcendens intuetur. Horum dicunt portendi religionem, itinera, dignitates. Itinera quidem, quia Sol in diurno loco poſitus, inquit Auenazdra libro rationum, ad nonum deſcendens

dens mouetur. Decimo loco, qui eſt medium cœli, & maximè ad noſtrum verticem accedit, artes, & omnes diſciplinas docent contineri, tum mores, & dignitates. Vndecimo Card. loco citato ſcribit indicari amicos, gaudia, voluptates, quia locus Iouis, & bonus dæmon appellatur. Duodecimo tradunt aliqui ſignificari animalia, quibus vehimur, quoniam coniunctus eſt cum aſcendente. Ridiculus ſit, quicumque ridiculas has rationes noſtra refutatione egere exiſtimarit. Quare ad alia pergamus.

CAPVT VIGESIMVM.

Directionum commentum.

ECce tibi aliud commentum Planetarum, partiúmque Zodiaci directiones, vt vocant: aiunt enim horoſcopum quamuis natiuitatis tempore longiùs à Planeta aliquo diſtet, peruenire tamen aliquando ad illum locum in quo erat tempore natiuitatis Planeta, & tunc & nato, vel creare periculum vel tribuere incolumitatem. Exempli gratia, ſit alicuius genituræ horoſcopus Leonis pars decimaquinta, & Saturnus partem ſextam Virginis teneat, vt Saturnus horoſcopo, nec aſpectu, nec alia re iungatur, vel ad illum pertineat, manifeſtum eſt illi non poſſe nocere, quia tamen volunt obeſſe, aiunt peruenturum aliquando horoſcopum ad Saturni locum, & quo anno eò perueniet, periculum nato imminere à Saturno; peruenire autem horoſcopum ad Saturnum aliumve Planetam exiſtimant hoc modo: ſingulis annis ſingulæ ſignorum partes tribuuntur, & primo anno vitæ deſignant gradum, in quo eſt horoſcopus, in quo ſi Planeta exiſtat, vel ſi illum locum reſpiciat, vel ex quadrato, vel ex trigono, &c. eo anno vim exercet ſuam; ſecundo anno attribuunt ſecundum gradum ab horoſcopo, tertio tertium, & reliquis reliquos. Quare ſi Saturnus, gratia exempli, primum, & vigeſimum gradum ab horoſcopo occupauit, qui anno vigeſimo primo tradunt Saturnum, anno illo virus ſuum effuſurum. Quare eos, qui tempus inquirunt, quo euentus aliquis bonus, malúſque expectandus ſit, iubent numerari gradus inter loca principalia genituræ, & corpus, aut radios Planetæ interceptos, & pro numero graduum iudicare quo anno effectus futurus ſit. Huiuſmodi delapſus horoſcopi ad Planetarum loca vocant directiones, ex quibus Ptolemæus vitæ ſpatium, reliqui rerum omnium euentus prædicunt.] Lege Iulium Firmicum libro ſecundo capite tertio.

Hinc Cardanus lib. de Iudiciis geniturarum, capite 6. [Cùm aliquis Planeta ad locum Martis, vel Saturni peruenerit, nec cum illo concordia iunctus ab initio fuerit, in eo ſignificato res, quæ ſignificatur, non leue detrimentum patietur, maius quidem ſi in angulo in genitura, minus ſi in reuolutione.] Rurſus poſt aliqua. [Planetæ (inquit) cùm ad locum coniunctionis luminarium peruenerint, quæ in genitura præceſſit, debiliùs operantur, quàm ſi ad locum Lunæ veniſſent. Aſcendens cùm ad Saturnū venerit, vel Ioue, aut illi in eo

ſue

fuerint dum anni initium eſt, erit res compoſita ex ſignificato Saturni vel Iouis,& diſpoſitionis eorum,& ſignificationis eorumdem. &c.] Hæc ille. Nos requirimus quid ſit Planetæ locus, quem dicunt: nam à Philoſophiæ Magiſtro accepimus libr. 2. cœli, à t.43.ad 51. Aſtrum à ſuo orbe non ſeparari, aut ſeiungi,ſed vnà cum orbe circumferri, ſicut cùm lignea rota à figulo circumagitur etiam nodus qui in ea eſt; quid itaque eſt locus Aſtri, quod nihil eſt aliud quàm pars quædam craſſior orbis?Finge quod vis,non poteris locum fingere,qui complecti debet,& continere locatum libro 4.Phyſ.t.43.Quamquam autem minores orbes à maioribus contineantur, non migrant tamen ex vno in alium locum, partes verò in orbes,& nullæ ſunt niſi mente , & cogitatione fingantur libr.4.Phyſ. tit.11.Et ſi vllæ eſſent in perpetua, & in requiſita agitatione certum nullum locum, & adæquatum admitterent: nullum ſiquidem corpus dum mouetur æqualem locum occupare euincunt phyſicæ demonſtrationes:quare etiam ſi fingere velis in tanta agitatione, non potes locum Planetæ tribuere, nobis quidem eminus illos ſpectantibus videntur nunc in vno, nunc in alio Zodiaci ſigno eſſe, ſicut & montes videntur cœlum attingere, ſed multò plus ab orbe ſignifero diſtant,quàm montes à Luna , quam vertice contingere videntur.Quare eadem inſania qua montium locus diceretur Luna,aut orbis Lunæ dicitur Planetæ locus Zodiacus , & Zodiaci ſigna , aliud porro quod dici aut cogitari poſſit Planetæ locus nihil occurrit.Partitio præterea ſigni in gradus triginta potiùs , quàm in viginti mente tota concepta Mathematicorum Hircoceruos,Hydras,Chimæras omnis leuitate ſuperat:Atellanæ fabulæ nihil ad hæc. Scribunt præterea, quo anno,vel die horoſcopus peruenerit ad locum,quem natali hora Saturnus occupabat, Saturni ſecuturũ effectum.abſceſſit longè Saturnus,deſeruit multos annos ante locum illum.ſi vllus eſt Saturni locus, quid agit locus ille, qui viginti ante annos Saturnum non attigit,non audiuit(nam & ſydera vultis audire) non vidit?aut quo tandẽ modo exercet Saturni actionem & munus?Spero Mathematicos non dicturos infeſtam fuiſſe partem illam cœli à Saturno, quando ibi fuit, & tanquam veneno quodam imbutam:Spes me fefellit,Cardanus enim ſect.1.Aphor.38.[Impreſſiones (inquit) à genitura, quæ in loco remanent vſque ad tempus, in quo perfici debet, ſunt partim in loco, partim in materia:ergo cœlum imperuium contrariis qualitatibus iſta peſte inficitur. Quomodo iſta contagio tot annis delituit, quo modo, aut à quo ſuſcitatur poſt vigeſimum annum? Cur Saturnus non perpetuo huiuſmodi vim fundit?aut cur cœlum vniuerſum per quod tranſit non inficit, ſed certam ſolùm partem orbis quam occupat , aut occupare videtur, ortus,& conceptus tempore?quolibet tempore, & quolibet temporis momento homines naſcuntur, perpetuo itaque vim ſuam Saturnus fundat neceſſe eſt:non ergo eo ſolùm loco quo Saturnus fuit ortus tempore horoſcopus inuenit vim à Saturno cœlo inditam ſed toto cœlo , quare non vigeſimo primo anno, ſed ſequentibus etiam & antecedentibus annis præſtabit id quod vigeſimo primo dicitur efficere. Denique motus iſte horoſcopi ad locũ Planetæ Aſtrologis etiam fatentibus nudis cogitationibus fit, reapſe horoſcopus nõ mouetur ad locum Planetæ,nec vllus inter orbium cœleſtium motus hunc horoſcopi motum numerauit, quod ſola cogitatione hominum eſt nihil efficere recipiũt Aſtrologi omnes,omnes Philoſophi,omnes ſanæ mẽtis. Quid igitur potuit hac fabula magis inſanũ mente concipi,quid potuit magis

deli

delirum cogitari, locus omnis Planetarum fictitius eſt, fabuloſus motus, quo ad illum acceditur excogitata graduum diuiſio, commentitia vis, quam Planeta tribuere dicitur loco, in quo eſt ortus tempore potiùs, quàm vllo alio. Et ex his ludibriis caſus omnes, vireſque rerum, vitæ ſpatium, mortis tempus, morborum cauſas, omnia negotiorum momenta pendere contendunt. O beata ingenia, quibus comminiſci tanta fœlicitate licet, ô fœcunda Aſtrologorum commenta, quibus rerum omnium, quæ mari, quæ terra fiũt, cauſæ cõtinentur.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Duodecim Zodiaci partibus nullam ineſſe vim.

DVODECIM Mathematici numerant Zodiaci partes, duodecim item in eo formant ſtellarum ſchemata, vtriſque eadem faciunt nomina communia, Arietis, Tauri, Geminorum, Cancri, & reliquorum; aliud tamen neſcio quid mente ſibi informant, quando Signa Zodiaci, ac quando eiuſdem ſchemata, & imagines deſcribunt. Nam primùm quidem ſtellæ, quæ imagines conſtituunt, excurrunt ſæpe vltra terminos Signi, ſæpe non occupant id totum ſpatium, quod occupat Signum. Hinc Manilianũ illud,

Scorpios in Libra conſumit brachia.

Præterea Signa inter ſe æqualia ſunt, aſtrorum aſteriſmi non item. Adde quòd Signa inter puncta æquinoctiorum, ſolſtitiorúmque, immobilia hærent, neque ad puncta cardinalia accedunt vnquam, aut ab eiſdem recedunt: aſteriſmi ab Occaſu in Ortum iugiter deferuntur: ſpicam Virginis, quæ Thimocharis ætate octo gradibus autumnale æquinoctium antecedebat, & Hipparchi tempore ſex tantùm, viuente Ptolemæo tribus dumtaxat gradibus æquinoctium præibat, noſtra ætate æquinoctium iam tranſgreſſa verſus brumam, octodecim gradibus ab eodem diſtat. Rurſus ſtellæ, quæ aliquando in Ariete fuere, nunc in Tauro viſuntur. Denique Planeta, qui cum ſtellarum aſteriſmo congruit, ſæpe non congruit cum Signo. Tauri enim ſtellæ magnam habent cum Marte cognationem, nulla tamen eſt Marti cum Signo Tauri ſocietas, in quo deiici dicitur. De aſteriſmis diſſerendum infrà, de Signorum poteſtate hîc diſputamus: neque enim fruſtrà duodecim Zodiaci Signa à ſtellarum imaginibus longè diuerſa, in Aſtrologiæ cenſum induxerunt Genethliaci; ſed multa illa per ſe fundere, multa efficere voluerunt, temperando Planetarum efficientiam. Manilius lib. 2.

Non licet (inquit) *à minimis animum deflectere curis,*
Nec quidquam rationis eget, fruſtraq; creatum.
Fœcundum eſt propriè Cancri genus, acer & ictt
Scorpios, & partu complectens æquora Piſcis.
Sed ſterilis Virgo eſt, ſimili coniuncta Leoni.
Nec capit, aut captos fundit Aquarius ortus.
Inter vtrumque manet Capricornus corpore mixto.
Et qui Cretao fulget Centaurus in arcu.
Communiſq; Aries, æquantem tempora Libram,
Et Geminos, Taurumq; pari ſub ſorte recenſet.

Gg Atque

Atque ita ſe habent Signa infœcunda,& fœcunda; deſcribit idem Auctor fœminina, & maſculina, his verſibus:

——— Namq; maſcula ſex ſunt,
Diuerſi totidem generis ſub Principe Tauro,
Alternant genus, & vicibus variantur in orbem.

Nocturna præterea alia,alia Signa dicuntur eſſe diurna, de quibus idem:

Nec te prætereat nocturna, diurnaq; Signa
Quæ ſint, proſpicere, & propria ducere lege.

Item alia terreſtria,alia vocantur aquatica:

Quin,nonnulla ſibi (ait idem)*nullo monſtrante loquuntur*
Neptuno debere genus ,ſcopuloſus in vndis
Cancer,& effuſo gaudentes æquore Piſces.
Vt quæ terrena cenſentur ſydera ſorte,
Princeps armenti Taurus ,regnoq; ſuperbus
Lanigeri gregis eſt Aries.

Rurſus alia Signa amica,alia cenſentur inimica:

Quin etiam propriis inter ſe legibus aſtra
Conueniunt,vt certa gerant commercia rerum,
Inq; vicem præſtant viſus, atque auribus hærent,
Aut odium,fœduſq; gerunt, conuerſaq; quædam
In ſemet proprio ducuntur plena fauore:
Idcircò aduerſis nonnunquam gratia ſignis,
Et bellum ſociata gerunt,alienaq; ſede
Inter ſe generant coniunctos omne per æuum,
Vtrique & ſorti pugnant ,fugiuntq; viciſſim:
Quod Deus in leges , mundum cùm conderet omnem,
Affectus quoque diuiſit variantibus aſtris,
Atque aliorum oculos, aliorum contulit aures,
Iunxit amicitias horum,ſub fœdere certo
Cernere,vt inter ſe poſſint, audireq; quædam,
Diligerent alia,& noxas, bellumq; mouerent.

Denique Signorum apoteleſmata perſequitur idem Auctor lib. 4.

Nunc tibi(inquit)*Signorum mores, ſummumq; colorem,*
Et ſtudij varias artes ex ordine reddam.
Diues fœcundis Aries in vellera lanis,
Exutuſq; nouis rurſus ſpem ſemper habebit.

Omnino duplex actionis genus Signis Mathematici attribuunt: alterum,quo aſtra ipſa afflantur, eorúmque vis aut promouetur, aut retardatur, aut in contrariam planè cõmutatur: aiunt enim Planetas nouas ſubinde,& aſcititias vires aſſumere à Signo, in quo verſantur,& ex bonis fieri malos,ex beneficis maleficos,ex fortunatis infortunatos. Hinc glorioſa illa nomina,retrogradatio,ſtatio, velocitas, tarditas, motus æqualitas, longitudo, latitudo, aſpectus Orientalis, Occidentalis,combuſtio,eclipſis,directio,progreſſio,reuolutio,tranſitus. Item gaudium,detrimẽtum,exaltatio,caſus,triplicitas,terminus,peregrinitas,facies, ſitus,receptio,applicatio,ſeparatio,prohibitio,tranſlatio,pulſatio, refrænatio, contrarietas,abſciſſio,fruſtratio,& id genus plura ſuperſtitioſæ artis vaniſſima inſtrumenta,quæ Planetarum vocant accidentia,quæ ſine dubio præcipui ſunt

Aſtrologiæ

Aſtrologiæ fontes,è quibus Genethliaca vaticinia promanant.Alterum actionis genus,quod Signis Mathematici tribuunt, eſt, quo in hæc inferiora agunt per ſe,& ſine ope ſtellarum;quò pertinent ea, quæ ſcribit Cardan. lib. de reuolutionib.c.11.ſi aſcendit Aries,erit natus in timore mortis violentæ;ſi Taurus, ægrotabit ex libidine; ſi Gemini, ſollicitabitur in ſecretis perquirendis; ſi Cancer,erit amator rerum publicarum. Item Manilius lib.4.

Nec te perceptis(inquit)*Signorum cura relinquat*
Partibus,in tempus quædam mutantur,& ortu
Accipiunt proprias vires,vltraq; remittunt.
Namq; vbi ſe ſummis Aries extollit ab vndis;
Et ceruice prior flexa, quàm cornibus ibit,
Non contenta ſuo generabit pectora cenſu:
Et dabit in prædas animos,ſoluetq; pudorem.
Tanta audere iuuat: ſic ipſe in cornua fertur,
Et ruit,& mutat,non vllis ſedibus idem.
Mollia per placidas deludunt otia curas,
Sed iuuat ignotas ſemper tranſire per vrbes,
Scrutariq; nouum pelagus, totiúſq; & eſſe
Orbis in hoſpitio, teſtis ſibi laniger ipſe.

Item Iulius Firmicus lib.8.Matheſeos,à cap.19.[Prima pars Arietis(inquit)ſi in horoſcopo fuerit inuẽta,& beneuolarum ſtellarum radius acceſſerit,naſcentur Reges,Duces,& quæ proſperè ſemper ſuum ducant exercitum;ſi ſecunda pars Arietis in horoſcopo fuerit inuenta,cõtumaces erunt,fures,& qui ſemper præpoſtero furore graſſentur,quiq; domiciliũ ſuũ transferant ad exteras nationes.

Quid multa?vniuerſa ſua apoteleſmata ita à Signis pendere volunt Genethliaci,vt ſi conſtiterit nulla eſſe eorũ iura,non recuſaturi ſint profiteri artis ſuæ vanitatem. Agè ergo,quoniã in magnũ Aſtrologię locũ incidimus,nec leuiter, nec curſim prætereamus,quæ veteres,quæ recẽtiores Aſtronomi de Signorum natura tradiderunt.Primùm itaq; ij,qui ante Alphõſi Regis tẽpora octo ſolùm numerarũt orbes,illúmq; fecerũt ſupremũ,quo aſtrorũ cœtus,& quaſi coloniæ viſuntur:qualem quæſo Zodiacũ cogitarũt diuerſũ à Zodiaco octauæ ſphæræ mobili,& variis ſtellis apto?quæ Signa animo agitarũt,alia ab illis,quæ octauo orbe ſtellę cõſtituuntur,nihil ſupra octauũ orbẽ,qui innumeris clareſcit ſtellis, exiſtimarũt eſſe,Zodiacũ octaui orbis ſtellis inſignem,& mobilẽ eſſe intellexerũt:alterũ itaq; immobilem nullis conſpicuũ aſtris,nudis ſine dubio Mathematicorũ cogitationibus cõſtare exiſtimarũt;& qua ergo ratione,quibúſve naturæ legibus,iis ludibriis,quorũ nulla eſt natura,veram,& phyſicam efficiẽtiam tribuerũt?O egregij Aſtrologiæ magiſtri,& digni,quibus Genethliaca ipſa loquuta crederũt!Hæc veteres;recentiores verò,hoc eſt,Alphõſus,& qui poſt Alphõſi tẽpora inière cęleſtiũ orbiũ numerũ,vt expedirent rationem,qua octauus orbis motu diurno ab Ortu fertur in Occaſum,& rurſus alio motu,quo ſtellæ fixæ à pũctis cardinalibus æquinoctiorũ,& ſolſtitiorũ recedũt ab Occaſu in Ortum, duos adhuc orbes ſupra octauũ excogitarũt, nulli planè ſenſui conſpicuos, ſed ſola mente perceptos,quorũ decimũ vniformi, regulariq; motu ab Oriente in Occidentem ſpatio 24.horarũ ferri exiſtimarũt;nonũ verò motu quodã librationis agitare putarũt,de quo fuſius noſter Clauius ad c.1.ſphęræ Ioãnis de Sacro Boſco;Motũ illũ quo ſtellas fixas diximus recedere à pũctis cardinalibus,&

ab vno Signo ſenſim delabi in aliud octauæ ſphæræ tribuerunt. Recentiores, inquam, qui hunc cæleſtium orbium ordinem conſtituerunt, duos finxerunt Zodiacos, alterum in octaua ſphæra mobilem, duodecim ſtellarum aſteriſmis illuſtrem, alterum in decimo,& ſupremo orbe immobilem,ſtellis deſtitutum, ſolum animo conſpicuum,& in priori quidem duodecim illas collocarunt imagines ſtellis aptas, Arietem,Taurum,&c. in poſteriori duodecim Signa iiſdem nominibus notata diſtinxerunt, quæ cum Planetis conſentire, & diſſentire, & Planetarum vires acuere, vel retundere, & propriis, priuatiſque facultatibus ad rerum omnium effectionem venire docuerunt. Atque ita profeſſi illi quidem ſunt veterum Aſtrologorum errorem,qui imaginarium quemdam Zodiacum, veram, & phyſicam cauſam fecerunt, tota reclamante natura: ſed Genethliacæ nihil tulerunt opis, quod ita planum facio.

• Singulos cæleſtes orbes vnius eſſe naturæ,& vndequaq; ſibi ſimiles receptũ eſt in Philoſophorũ ſcholis: docuit ſanè Plato in Timæo aſtra eſſe animata,& lib.10.de legib.vniuerſa,quæ cælo cõtinentur,ignem etiã,& aërem,animo eſſe prædita,ſimplicia illa tamen non minùs quàm elementa putauit;quod Carpentarius notauit cõment.ad c.12.Alcinoi de doctrina Platonis,idem docet Ariſtoteles bonus Auctor lib.1.cæli,t.7.lib.2.cæli,t.41.& ſeqq.id euincit ratio,motus ſimplex debetur corpori ſimplici; motus diurnus, cuius decimus orbis auctor dicitur, ſimplex eſt, à ſimplici itaque corpore proficiſcitur: corporis ſimplicis vnam tãtùm eſſe naturam quis ambigat?vnam itaq; decimi orbis naturam eſſe fatendum eſt. Specie prætereà,& natura diſiunctas partes non poſſe cohærere inductione apud Phyſicos cõpertum fuit:quare orbes cæleſtes diſcreti inter ſe ſunt, nónne quòd naturâ diſſident,mẽbra certè animalis animo, qui eſt forma corporis organici,coagmẽtãtur?vnde & eius abſceſſione ſoluũtur:ſi cæli partes naturâ eſſent diuerſæ,quo tandẽ glutino cohærerent?aut qua cõtinerentur,ne à ſeipſis deſciſcerent,forma?hac ratiocinatione Ariſtoteles lib.1.de an.effecit,animum non cõſtare ex elemẽtis;quia ab alio oporteret ea cõtineri,ne diſſluerent. Deniq; ſi decimus orbis vniuſmodi non eſt,ſed variis cõſtat partibus,non poſſet illi motus diurnus eſſe naturalis,vt diſputat Ariſt.lib.1.cæli,t.9.13.14.ſiquidẽ vnaquæq; natura propriũ ſibi,& ſingularem motũ poſcit lib.2.phyſ.t.1.Si ergo in cælo plures ſunt naturæ,& plura motus principia,vna natura hũc,alia alium poſtulante motũ;qui fieri poteſt,vt motus diurnus decimo orbi ſit naturalis?ſi vni ille parti cõgruit,violentũ oportet eſſe aliis,at nihil violẽtũ perpetuũ lib.1. cęli,t.15.Cõſtitutiſſimũ itaq; ſit ſingulos orbes cęleſtes vniuſmodi eſſe,omniq; partium diuerſitate carere.In corpore porrò ſimplici,in quo nullas natura fecit partes,cuiuſmodi eſt decimus orbis,nullus à natura Zodiacus eſſe poteſt,ſed ſi qui eſt, Mathematicorũ cogitatione eſt. Ecquis enim diſcreuit Zodiacũ à reliquo orbe,ſi in orbe nulla eſt partiũ diſcretio?Quis diuiſit Zodiaci Signa,ſi totus decimus orbis vnius eſt naturæ,niſi Aſtrologorũ mens,& cogitatio?Ergo partibus decimi orbis ſolo animo informatis,eas vires aſciſcere non vereris,quas reliquo orbi negas?ergo partium Zodiaci,quarũ vna eſt natura,quaſdam fœmininas,alias terreſtres, aquaticas alias,has diurnas, illas nocturnas facies? Quis præſcripſit Zodiaco fines,ne vltra 23.gradũ,& aliquot minuta excurrat? Quis Zodiaci partibus terminos fixit?nónne ſola mens? Vnde ergo diuerſæ,& contrariæ vires? Et cuius eſt tanta poteſtas,vt ſola cogitatione vim tribuat rebus, & efficientiam, aut adimat? Eamdem rationem alio modo verſabo. Partitio

zodiaci

Zodiaci in 12. ſigna non naturalis, ſed voluntaria eſt, quod lectiſſimis rationibus probauit, Ioannes Kepplerus ætatis noſtræ Aſtrologus inter Principes lib. de noua ſtella c. 4. quódque ſcriptum nobis reliquit Abraham à Veneſdra initio libri Aſtrologicarum rationum. [Aliqua (inquit) dicuntur de ſignis, quæ probantur, alia verò ex arbitrio;] declarat quæ ſint arbitraria; [Diuiſiones (inquit) ſignorum, cur tantum in trecentas, & ſexaginta, tantum partes ſint, arbitrium fecit; quoniam hic numerus diuiſionibus eſt accommodatior.] Idem profitetur Alis Auerroſdan ad librum Apoteleſmatum Ptolemæi. [Diuiſimus (ait) Zodiacum in partes duodecim, quæ ſigna nuncupantur, & vnumquodque ſignum in partes triginta, quæ dicuntur gradus, & partem quamlibet in minutias ſexaginta, quoniam hi numeri diuiſionibus idonei magis reputantur.] Ipſa ſanè cœli natura vnius modi & ſimplex, non patitur aliam partium diuerſitatē, quàm quæ arbitraria ſit. furor furor eſſet partibus in Decimo Orbe Mathematicorum, arbitrio confictis variam agendi poteſtatem tribuere. Ergo ſi aliter Zodiacum partiri libuiſſet, alias cœlum habuiſſet vires? quid magis abſonum, imò quid magis delirum dici aut cogitari poteſt?

Hoc ipſum adhuc anguſtiùs vrgeo. Nam vis illa, quæ ſignis tribuitur, aut profluit ab Orbis natura, & hæc cùm vna eademque ſit toto Zodiaco, non poteſt eſſe ratio, cur vni ſignorum vna, alteri altera inſit virtus. aut proficiſcitur ab externo aliquo principio. at qualitas ab externa cauſa profecta, diuturna eſſe nequit, poteſtates verò ſignorum perpetuas volunt eſſe Aſtrologi. Accedit huc, quòd ſupremus Orbis longè ſe motus eſt ab omni contrariorum impulſu; aut denique tribuitur à Mathematicorum cogitatione, quæ ſigna ſecernit à ſignis, at cuius cogitatio tantas habet vires vt pro arbitrio commutet cœlum?

Dabo & aliud argumentum, quod appoſitè declarat fabuloſa eſſe omnia quæ de ſignorum poteſtate Genethliaci mentiuntur. Nam ea quæ veteres Aſtronomi de Aſteriſmis Octauæ ſphæræ prodiderunt, recentiores tranſtulerunt in ſigna Zodiaci Decimi Orbis, nuperrimè, id eſt, Alphonſi tempeſtate, excogitati: Quæ ſigna apud veteres Aſtronomos Octauam ſphæram ſupremam eſſe exiſtimantes, erant fœcunda, ſterilia, humana, ferina, terreſtria, aquatica, muta, vocalia, diurna, nocturna. Eadem nunc in Decimum Orbem tranſlato Zodiaco, ſunt fœcunda, infœcunda, humana, ferina, aquatica, terreſtria, nocturna, diurna: Itaque Aries, quem veteres libidinoſum, & oculis languidum eſſe ſcripſerunt, nunc quoque quamquam in Decimum Orbem migrarit, libidinoſus oculiſque languidis dicitur. & vſque eò hac licentia progreſſi ſunt, vt ſicut in octauo cœlo ſtellis apto partes quædam lucidæ, quædam ſunt tenebroſæ, vel puteales, ita in Decimo Orbe, renitentibus oculis reclamante ratione, dicant eſſe partes lucidas & tenebroſas. Non licebat vobis, ô Genethliaci, quæ veteres Aſtrologiæ Magiſtri de Zodiaco Octaui Orbis, & eius ſignis ſcripſerunt ad Decimum Orbem tranſportare; ſed qua licentia eiuſdem Orbis ſignis, quibus ſumma eſt naturæ communio, diuerſas attribuitis vires? eadem & fortaſſe maiori diuerſis Orbibus, quibus nulla eſt naturæ ſocietas, eaſdem communicatis poteſtates? nónne tantum Decimi Orbis ſigna diſtant ab imaginibus octauæ ſphæræ, quàm Orbis ipſe Octauus à decimo diſſidet? vnde ergo tanta virtutum, proprietatúmq; communio? Sempérne hærebimus in fabellis? nunquam lux aliqua veritatis nobis illuceſcet?

Si quis adhuc eſt qui non intelligat, quantum ſigna huiuſmodi ad ineptiarum naturam accedant; ablegabo illum ad Chaldæos Authores illos Aſtrologiæ, qui in patentibus campis multis annorum millibus cœlum obſeruaſſe dicuntur: quos ſolis Aſteriſmis contentos, nullam ſignorum, quæ carent ſtellis, rationem habuiſſe conſtat. Cur Chaldæi diuturnis accuratiſſimiſq; obſeruationibus, non deprehenderunt Martem deiici in Tauro, exaltari in Scorpio, inter Saturnum & Capricornum magnam intercedere affinitatem, Veneri nō exiguas accedere vires ex Libra? Aſtrorum iura accuratè perſcrutati ſunt, vt ſi vſquam alij, cur nihil de ſignorum poteſtate memoriæ prodiderunt? Notarunt diligentiſſimè omnes cœli angulos, exagones, tetragones; oculatiſſimi denique in cæteris omnibus, hac ſolum in re cæci fuere? quis credat?

His accedit quòd Aſtra quoque Octaui Orbis, quæ fixa vocantur, ab vno ſigno in aliud demigrãt. Cor Leonis notiſſimũ ſydus, & innumeris Aſtrologorum laudibus celebratum, in vltimo gradu Cancri aliquando fuit, nũc ad vigeſimumquartum gradum Leonis peruenit; & ſtellæ, quæ aliàs in Ariete, nunc in Tauro videtur. Aſtra fixa non afflantur à ſigno, ſed eaſdem prorſus vires in illis agnoſcunt recentiores & veteres Mathematici, quãuis alia ſigna occupẽt nunc quàm horum tempore occuparent. Quĩ itaq; fit, vt à ſignis ſupremi Orbis afficiantur Planetæ, nihil patientibus Aſtris fixis, nihil recipiente Zodiaco ſtellato, per quem defluere debet quidquid à ſupremo Orbe ad Planetas deſcendit?

Sciſcitabor etiam ex Genethliacis quando aliorum Orbiũ vires, Iouis putà, Saturni, Martis, cæterorũmq; in ſolo Aſtro reſidere docent, qua conſequentia in decimo cœlo Aſtris orbato vllas vires cõſtituant? imò cùm duos faciant Zodiacos, alterũ in decima, alterũ in octaua ſphæra, requiro, cur hic nihil efficiat, niſi ſtellarũ vi, cur partes, quæ inter Aſtra iacẽt inertes & otioſas eſſe velint, illius virtutẽ nõn Aſtris contineri, quæ nulla habet, ſed toto ſigno fuſam velint?

Duos dixi à Mathematicis fingi Zodiacos, nimis parum dixi, tot illi fingunt, quot ſunt cœleſtes Orbes; ſicut enim in decimo, & in octauo, ſic in nono, ſeptimo, ſexto, reliquiſq; varios ſibi formant Zodiacos, vnũ tamẽ decimi orbis faciunt rerum omnium cauſam, reliquis vim omnem & efficientiam adimunt.

Sed largiamur Mathematicis quæcumq; hactenus de Zodiaco, & Zodiaci ſignis cõmenti ſunt; demus varias eſſe ſignorũ proprietates; concedamus Planetas varios fundere effectus pro conditione ſigni, in quo verſantur; tribuamus tãtum Mathematicorũ commentis, quantum veris cauſis, alij concedũt, adhuc nihil obtinuerũt, quod ad cauſam faciat; quamuis enim magna eſſet ſignorum vis, & poteſtas, non poſſent tamen ex iis vllam probabilẽ coniecturã de futuris euentis ducere. Nam ſi Planetę efficacitatẽ omnẽ mutuantur à ſignis, vt Genethliaci ſomniãt, perſpicuũ eſt nõ poſſe quid illi facturi, vel non facturi ſint, cogitatione præire Mathematicos, niſi eis cõſtet, quæ ſingulis tẽporis momentis Planetæ percurrãt; id verò ignorãt; ergo & ignorare eos oportet, quid Planetæ per ſingula tẽporis momenta moliantur. Res illuſtrior fiet exemplo. Iupiter in 29. gradu, & 59. minuto, & 59. ſecundo Geminorũ, cenſetur in detrimento ſuo eſſe, verſari in ſigno inimico, & quinq; atros calculos habere; poſt minutũ temporis, trãſitione facta, ad Cãcri gradũ, ô minutum, ô ſecundum, i. iam fœlix, iã in exaltatione ſua eſſe, & quatuor albis calculis gaudere putatur. at Genethliacos latet tẽporis illud minutũ, quo Iupiter ex Geminis in Cancrum demigrat, latere ergo eoſdem oportet, quid Iupiter ex Geminis, quid præſtet ex Cancro.

Nega

Negabunt opinor ignorare ſe tranſitum Aſtri ab vno in aliud ſignum, ſed cui negabunt? Hieronymóne Cardano, qui Aſtrologiæ agit Magiſtrum lib. de temporum, & motuũ erraticorum reſtitutione? An Tychoni Brahæ lib. de noua ſtella c. 1. cui omnes recentiores Aſtronomi iam ſubmiſere faſces? & vnde quæſo tot, támq; diſcrepantes tabulæ Ptolemæi, Alphonſi, Copernici, Tychonis Brahæ, aliæque permultæ; vnde tantũ inter Aſtrologos diſſidium? Nuperrime Tycho Brahæ lib. de noua ſtella tabulam nobis confecit, ingreſſus Solis in quatuor puncta Cardinalia; qua 24. & 26. horarum ſpatiũ veteres Aſtronomos Alphonſum & Copernicum fefelliſſe demonſtrat; quam ipſe ad veritatẽ proximè collimarit, demonſtrabũt alij. De vno Marte idẽ Auctor lib. de noua ſtella pag. 649. ſcribit, Mirari ſatis non poſſum Appianum non ſolùm diẽ, ſed horam atque minutum (alias enim cuſpides domorum vti vocãt cœleſtium adaptare nequiuiſſet) huic coniunctioni præfiniuiſſe, cùm Martis præſertim motus, vt de Saturno nũc nihil dicam, hactenus non ſit exploratus, quòd intra tres vel quatuor dies eorũ copulationẽ, è calculo præſertim Alphonſino, quo ille vſus eſt, imò ne quidem Copernico hoc paulò exactiore notam reddere tutò liceat.

Sed faciamus certa numerorum ratione poſſe Aſtrologos ingreſſum Planetarum in Zodiaci ſigna aſſequi; quis non intelligit quantum inſtrumentorum iniquitas numerorum rationibus officere poſſit? horologiorum præterea malignitas, quæ nunquam ex fide & ſine errore tempus reddũt quod requirimus, quàm tranſuerſos agit Aſtrologos certas Aſtrorum ſedes cognoſcere cupientes? Legantur quæ Tycho Brahæ lib. 1. de ſtella noua, pag. 140. ſcribit de inſtrumentorum & horologiorũ tarditate & ignauia, ceſſabit eorum inſolens iactatio qui non minus fidenter cœlũ, quàm cãpos certo limite partiri cõſueuerunt.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Rationes ob quas Aſtrologi varias ſignis vires attribuêre.

PRODEANT iam rationes, ob quas Aſtrologi abſonas ſignorũ poteſtates in Genethliacam artem inuexêre; & quibus veluti môtibus quibuſdam, montibus impoſitis, Gigãtum exemplo cœlum in minutiſſimas partes diſcindire aggreſſi ſunt. Inuexit enim non parum ad veritatem diſpiciendam, ea expendere rationum momenta, quibus ſibi primò, deinde pleriſque aliis Aſtrologi rem tantam perſuaſere.

Primum itaque, id quod experimur, Planetas aliud ex vna, aliud ex alia cœli plaga efficere. Sol enim ex Ariete vernum illum teporem omnia pertingentem edit, quo mũdus ipſe hyberno rigore ſoluto iam reuireſcere, & quodammodo reuiuiſcere videtur. Contra vero ex Leone aërem quemdam & noxium fundit calorem, qui abſumit, & exurit vniuerſa: abundè declarare exiſtimant quantum virium Aſtra mutuentur à ſignis in quibus morantur: Quod autem in Sole animaduertimus, probabili coniectura ad alia quoque Aſtra transferendum putant, vt cum vno ſigno vnum, cum alio præſtent alium effectum.

Deinde, quod ſcribit Ptolemæus, Solem in Ariete edere tonitrua, fulgura, fulminare, miſcere, non modò Græciam, ſed mundum vniuerſum, negant aliò referri poſſe, quàm in naturam & proprietatem illius ſigni. Accedit quòd ſigna

mobi

mobilia non alia de cauſa id nomen aſſecuta ſunt, niſi quia magnarum muta-tionum ſunt cauſa, vt ait Chriſtophorus Clauius ad c.1.ſphæræ.

Tertiò videmus ſubitas interdum aëris mutationes, media æſtate repentè ingruit frigus, decidunt imbres, ſalit grando, furit ventus, in hyeme ingruunt calores non modici: quouis tempore inopinati ferueunt venti, nubes extemplò nigreſcunt, ruunt imbres, quæ non poſſunt aliunde proficiſci, niſi ex ſubito tranſitu alicuius Aſtri ex vno in aliud contrarium ſignum, vel ex vno in alium eiuſdem ſigni gradum.

Denique qui eodem poſitu naſcuntur, ſæpe naſcuntur vita, moribus, ſtudiis, corpore, animo diſſimillimi: id quod clariſſimo exemplo illuſtrat S. Auguſtinus lib.5.de Ciuit. Dei, c.2. Sæpe verò adeò prodeunt ſimiles vt ne natura quidem eos internoſcere videatur. Cuiuſmodi fuerunt, qui apud eundem auctorem loc. cit. ſimul valere & ægrotare, eadem pati incrementa & decrementa valetudinis, eodem morbi genere afflictari, iiſdem medicamentis leuari ſoliti ſunt; inter horum illorúmque ortum diuerſitas aliunde eſſe nequit, niſi ex eo, quòd hi dum oriuntur aſtra ex vno ſigno, in aliud tranſuolant, quando illi prodeunt in lucem eaſdem ſigni partes, aut ſigni gradus ſimiles natura & viribus decurrunt. Hæc Aſtrologiæ Magiſtri ad ſtabiliendam ſignorum poteſtatem afferre ſolent, quæ trutina egere videntur.

Quid aitis? dicitis ex eo quòd Sol nunc acriùs nunc temperatiùs agit, colligi diuerſas ſignorũ vires. Cur ita? quia niſi aliquid ex ſignis Soli accederet, ſemper eandem promeret actionem. O lepida ratiocinatio! non intelligitis quòd Sol nunc magis, nũc minùs, nunc ferè nihil calefaciat, ex eo oriri quod nunc magis, nũc minùs, nunc minimè à nobis recedit? quid opus eſt ſecretis ſignorũ viribus vbi cauſa eſt aperta? ſi nullũ eſſet cœlũ, ſi nullus Zodiacus, Sol tamen accederet ad nos, & recederet, ſicut accedit, & recedit. nónne eodem pacto calefaceret, ac calefacit? quò magis accedis ad ignem, nónne maiorem experiris calorem? Qui ſunt ignis Zodiaci, quæ ſigna quibus eius actio promoueatur aut retardetur? Quo tempore nos Sol acriter vrit ex Leone, nónne leuiſſimè afficit eos, qui ad alterum polum ſpectant? Rurſus quando ex Aquario illos magno ardore exurit, nónne imbribus, & frigore nos perfundit? Vnde hæc varietas? à ſignóne, an ab acceſſu & receſſu Solis? Conſule, quæ ſcribit Ariſtoteles lib.2. de gener. à t. 56. Nos friuola hæc nihil morantur.

Quod ex Ptolemæo proferunt, Solem, dum Arietem percurrit tonitrua edere, & fulgura, eãdem habet rationem: abſceſſu enim Solis hyems frigúſq; congualeſcũt, quæ glacie gelúq; ſpiritibus qui intra terræ viſcera ſunt exitum interdcludunt. Reuertente ergo Sole, vbi ad Arietem peruenit, omnia calore perfundit. quare ſpiritus, qui hyberno tempore frigore prohibente exitũ, intra ſecreta terræ continebantur, glacie gelúque ſoluto, patefactis terræ meatibus, vbi Sol propiùs ad nos acceſſit, vbi terras vberiori calore perfudit, liberi iam & ſoluti, attenuati præterea & excalefacti, in ſublime feruntur; ibique calidis cum frigidis, humidis cum ſiccis pugnantibus, fulgura, tonitrua, procellæ, venti exiſtunt, vt ait Ptolemæus. Quid hic opus eſt occulta ſignorum vi, omnia præſtare poteſt Sol auctor caloris, qui laxat ſpiritibus huiuſmodi vias.

Dicuntur autem hæc ſigna mobilia, quia ad ea quando Sol peruenit magnas efficere ſolet tẽpeſtatum mutationes, nulla ſignorum vi, ſed acceſſu, aut receſſu, & terræ præparatione quam inuenit. Audiamus quid ſcribat Ariſtoteles li.2.

Meteo

Meteororum ſumm.2.c.2.de ventis,& intelligemus quæ cauſa ſit huiuſmodi mutationum?[Sol autem(inquit)ceſſare facit,& cōmouet flatus; debiles enim & paucas exiſtentes exhalationes, extinguit, & ampliori calido, illud quod in exhalatione minus exiſtit, diſgregat;adhuc autem & ipſam terram præuenit exiccans,antequam facta fuerit multa ſimul excretio, ſicuti ſi in multum ignem inciderit modicum exuſtibile, præuenit ſæpe antequam fumum faciat, exuſtum eſſe:propter has igitur cauſas ceſſare facit ventos, & à principio fieri prohibet conſumptione quidem ceſſare faciens, celeritate autem ſiccitatis fieri prohibens. Quapropter & circa Orionis ortum maxima fit tranquillitas,& vſque ad Etheſias, & Prodromos. Vniuerſaliter autem,fiunt tranquillitates propter duas cauſas,aut enim propter frigus, cùm extinguitur exhalatio , veluti cùm fuerit gelu forte,aut cùm marceſcit à ſuffocatione;plurimæ autem & intermediis temporibus,aut eo quod nondum facta ſit exhalatio, & alia nondum aduenit,incertus autem & moleſtus Orion eſſe videtur:& occumbens,& oriens,quia in tranſmutatione tēporis accidit occaſus & ortus,æſtate aut hyeme,& propter magnitudinē aſtri dierū fit aliqua pluralitas;tranſmutationes autē omniū turbulētæ sūt,propter indeterminationē,etheſię autē flāt poſt verſiones,& Canis ortū,& neq; tūc,quādo maximè prope fuerit Sol, neq; quādo lōgè; & dieb.quidē flāt,noctibus autē ceſſant. Cauſa autē eſt;quia prope quidē exiſtēs;prçuenit exiccās,antequā fiat exhalatio,cū autē abſceſſerit modicū, mediocris iā fit caliditas,adeò vt cōgelatæ aquæ liqueſcāt,& terra exiccata,& à propria caliditate,& ab eaquę Solis eſt, quaſi ardeſcāt & exhalēt.]

Rurſus infra,de hyemali conuerſione.[Similiter autem(inquit)& poſt hyemales verſiones flant ornithiæ,ſeptuageſimo enim die incipiūt flare; propterea quòd longè exiſtens Sol inualeſcit minùs;non continui autē ſimiliter flant quia quæ in ſuperficie,& debilia, tunc ſegregātur,magis autem congelata ampliori indigent caliditate: quapropter interpolantes iſti flant, donec ſub verſionibus iterum æſtiualibus flauerint Etheſiæ, quoniam vult quā maximè cōtinuè hinc ſemper flare ventos. Auſter autē ab æſtiua verſione flat & non ab ab altera Vrſa:duabus enim exiſtentibus ſectionib.poſſibilis habitari regionis, hac quidē ad ſuperiorē Polum,qui ſecundum nos eſt,illa autem ad alterum, & ad meridiem;eo exiſtente veluti tympano,talis enim figura terræ, excidunt ex centro ipſius ductæ faciunt duos conos.] Iterum ſectione 26. probl. 13. quærit cur omnibus Aſtris tum orientibus, tum occidentibus aër ſoleat mutari; ſed Cane præcipuè,& reſpondet;[Quòd cùm æſtus tunc vigeat ſpiritus calidiſſimos per idē tēpus oriri congruū eſt; Auſter autem calidus eſt, & cùm ex contrariis in contrariū maximè commutari ſolitū ſit,ortúmque Canes præuij nūcupati,antecedant qui Aquilones ſunt,meritò poſt eam Auſter ſpirat,quandoquidem aſſignati neceſſe eſt,idque Auſtris fieri orientibus.]

Et infra:[Quin etiā dies poſt brumam quintus decimus Auſtrū præ ſe fert, eò quòd bruma initium quoddam eſt;mouetúrque à Sole his potiſſimum aër, qui brumæ vicinus eſt;Solem autem tunc ad Auſtrum vergere certum eſt.] Rurſus problemate 14.quærit quade cauſa,Orionis ortu dies maximè variet; aitque [Id ex eo oriri,quòd Orion oritur ineunte Autumno , occidit hyeme, quo tēpore magnæ fieri ſolēt mutationes.]Nihil Ariſt.his locis de ſignorū poteſtate,omnia refert vel in diſpoſitionē terræ,vel in acceſſū vel receſsū Solis.

Eodem ſine dubio reuocandæ ſunt ſubitæ mutationes aëris, quod enim æ-

Digitized by Google

ſtate ſubitę interdū cōtingāt mutationes,nō è cælo ſed è terra repeto: ex copia vel inopia ſpirituū,ex præparatione terræ,ex antiperiſtaſi,ex aliis ſexcētis cauſis proximis immediatis,veris,phyſicis,nō commētitiis,fabuloſis, imaginariis.

Poſtrema deniq; ratio,quæ ex Geminorū ſimili aut diſſimili natura ducitur, ſumit id,quod maximè cōtrouerſum & anceps eſt;hominū ortum atq;naturā à cœli cōſtitutione pēdere; & quoniā eorū,qui ſub eodē ſtellarū cōgreſſu veniūt in lucē,varia temperatio,nō poteſt in diuerſos aſtrorū cōgreſſus referri, reuocandā aiunt in cōiunctionem eiuſdē aſtri,cum alia atq; alia cœli particula. Id verò eſt quod toto hoc opere improbamus,quod ſexcētis modis oſtendimus à veritate alienū;à proximis ego cauſis, à diſſimili materia, à vi procreatrice, ab alimento,à loco,ab extrinſecis,& adiunctis cauſis,aio eſſe diuerſam conſtitutionē eorum qui eodem partu diſſimiles naſcuntur; quemadmodum qui ſimiles prodeunt,a ſimili materia, & efficiente ſimilitudinem habent.

Statuamus itaq;cū Aly Auuerrodā ſignorū nullas eſſe vires,nullā poteſtatē: [Signa(inquit)manſiones ſunt quæ nihil operātur;operātur autē ſtellæ fixæ,quę ſunt in eis.Nā quia Sol ea ſingulis annis percurrit, ex operationib. quas in eis conſtitutus Sol operatur, ſigna ipſa nomina accipiunt,& agere putantur.Hinc Aries,Cancer,Libra,Capricornus,ſigna mobilia nuncupantur,quia Sol in illis ſignis conſtitutus mutare ſolet tempeſtates. his proxima ſigna fixa dicuntur, quia in illis tempus mutari non ſolet.]

Quæ Aly verba duas euertunt mendaciorum opulentiſſimas officinas,quarū altera illud axioma continetur,Luna exiſtente in ſignis mobilibus,quicquid auſpicatus fueris caducum ac fluxum fore;altera docet,quicquid Luna exiſtēte in ſignis immobilibus fixis aggreſſus fueris,fixum ac diuturnū futurum , propterea cauendū ne Luna in Tauro,Leone, vel alio ſigno fixo morante incidātur vel conſuantur veſtes, quia ſigna hæc fixa ſignificant id, quod eorum auctoritate factum fuerit,firmum ac ratum futurum,veſtes autem diuturnæ eſſe non poſſunt,niſi dominus aut lecto decumbat , aut mortem obeat.Nos ad alia feſtinantes aniles ſuperſtitiones retardare non debent.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Zodiaci aſteriſmis nullas ineſſe vires.

NON iniuria ſanè ſemper boni auctores ſuccenſuēre Aſtrologis , qui Barbaris figmentis cœlum diuinitatis domicilium deformarunt : quid enim oportuit Meduſæ cruentum caput,Orionis arma, Caſſiopeæ,vel Andromachæ fabulas cœlo inferre? quid habuit Sagittarius ex homine in equum per poſteriora membra degenerans , quid Capricornus caper ex Piſce cum aſtris commune ? Cæterùm non fuit ſatis Genethliacis huiuſmodi figmentis cœlum inſpergere, his ludibriis ,& fabellis tantum arrogarunt auctoritatis,vt totius illis mundi imperium & iura tribuerint , nec puduit homines qui arcanam quandam & planè cæleſtem doctrinam profitentur , fabellas à poëtis animi cauſa cōfictas & temere in cœlū illatas rerū omniū facere auctores:Hæc nobis temeritas hoc loco caſtiganda eſt, & docendū nihil huiuſmodi imaginibus ſubeſſe poteſtatis,ſicut oſtendimus c.14.nullas eſſe ſignorum vires.

Ac primum quidē aſtra vnius imaginis non omnia eaſdē habere vires, Mathematicis ipſis auctoribus didicimus ; tradunt enim in vnoquoq; ſigno tres eſſe decanos variis reſpondentes planetis,variis præditos viribus. Rurſus in

vno

vnoquoq; ſigno alij Dodecatemoria diuerſa:alij Monomerias : alij Nouenias, fines alij,alij façies cum varia poteſtate proficiunt;hinc ſignorum variç partes. [Arietis(inquit Firmicus li.8.c.3.) primæ & ſecundæ partes in cornib. ſunt cõſtitutæ;3^{a} 4^{a} 5^{a} in capite,6^{a} 7^{a} in facie, 8^{a} 9^{a} 10^{a} in ore, 11^{a} & 12^{a} in pectore;13^{a} 14^{a} 15^{a} in ceruice;16^{a} 17^{a} in corde; 18^{a} 19^{a} in armo dextro;20^{a} 21^{a} 22^{a} in armo ſiniſtro,23^{a} 24^{a} 25^{a} in vẽtre, nouiſſimi verò pedes 26^{am} & 27^{am} habent;in renib. 28^{am} & 29^{am} in cauda trigeſimam partem ; & ſic hæ partes per totũ Arietis corpus tali ordine diuidũtur.]Hæc Firmicus,qui ſequitur aliorũ ſignorũ partes,& partiũ proprietates.Idẽ facit PtolemęusAſtrologorũ Princeps qui alia Arietis aſtra facit Iouia,alia Martia,alia Saturnia,quo recepto firmamẽto,aut doceãt Mathematici vbi vis illa ſigni reſideat,quã ab Aſtrorũ virtute & à partium ſigni facultate diuerſam eſſe dicunt,aut ſi id docere non poſſunt,vt verè nõ poſſunt,diſcedant aliquando ab ea, de ſignorum poteſtate ſententia , quam hactenus innumeris aluêre mendaciis.

[Humana(inquit Ioa.de Sacroboſco)perſuaſio ſtellis numeros & nomina fecit nõ ex ſua natura,ſed ſignificatione diſtinctionis accõmodata.Vnde Bernardus Sylueſt.dicit:[Quæ modò ſunt ſtellis nomina,fecit homo.]Et Vir. Geor.1.

Nauita dum ſtellis numeros, & nomina fecit
Pleiades, Hyades, claramque Lycaonis & Arton.

Licuit Chaldæis ſolertiſſimis aſtrorum obſeruatoribus ex Libra,& Scorpione vnam efficere imaginẽ,& vndecim tantũ Zodiaci aſteriſmos numerare,licuit Arabis,qui humanã effigiẽ referre religioni ſibi ducunt , omnes Ægyptiorum Chaldæorũq; imagines euertere.Aquarius n. illis eſt mulus clitellatus,Gemini duo pauones,Virgo ſpicarũ manipulus,Centaurus vrſus equo cõmiſſus,Ophiucus ciconia, Sagittarius pharetra , Caſſiopêa canis in ſeliquaſtro , Andromeda Phoca aut vitulus marinus,Cepheꝰ canis,Bootes barbara figura.Deniq; dũ humanas effigies fugiunt,omnes Ægyptiorũ,& Chaldæorũ aſteriſmos cõmutãt. Licuit Ptolemæo Hipparchi aſteriſmos commutare , licuit Hebræis non imagines,ſed literarum elementa cœlo figere. Licuit aliàs Perſis,aliàs Indis,aliàs auctoribus ſphæræ Barbaricæ cœlo figere imagines, vt refert Aben-Ezra apud Ioſephũ Scaligerũ in notis Manilianis. Et dubitamus adhuc an arbitraria ſint ſtellarum ſchemata nullo certo fundo concepta.

Ipſi quoq; Aſtrologiæ Magiſtri agnoſcũt cœleſtiũ imaginũ arbitrariã rationẽ.Cur enim tradũt pro diſtãtiarũ opportunitate imagines finiẽdas eſſe,ſi duæ ſtellę humeros v.g.corporis humani deſignãt,alię verò duę pedes referãt,lõgiꝰ autẽ diſtẽt quàm vt vlla ſymmetria corporis humani ſeruari poſſit?Reiicienda aiũt aſtra illa in aliã figurã, quę cõmodè ad humanã imaginem referri nequeũt; intelligentes nimirum pro arbitrio ad hanc,vel ad illam imaginẽ aſtra referri. Quid multa?fabulæ,ex quibus deſumptæ ſunt cœleſtes imagines, declarant abundè arbitrariam eſſe ſtellarum diuiſionẽ : nam Caſsiopêa quod Nereidibus ſe præferre auſa ſit , inter ſydera relatam ad perpetuum vitandæ temeritatis exemplum,ſcribit Aratus apud Tullium his verbis & verſibus:

Labitur illa ſimul gnatam lachrymoſa requirens
Caſſiopêa,neque ex cœlo depulſa decoro
Fertur, nam verſo contingens vertice primùm
Terras,poſt humeros euerſa ſæpe refertur,
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus, vt perhibent, auſa eſt contendere forma.

Digitized by Google

Tauri fabellam deſcribit Ouidius lib.5.Faſtorum.

Idibus ora prior ſtellantia tollere Taurum
Indicat, huic ſigno fabula nota ſubeſt:
Præbuit vt Taurus, Tyriæ ſua terga puellæ
Iuppiter & falſa cornua fronte tulit:
Illa iubam dextra, læua retinebat amictum:
Et timor ipſe noui cauſa decoris erat.
Aura ſinus implet, flauos mouet aura capillos,
Sidoni ſic fueras conſpicienda Ioui.
Sæpe puellares ſubduxit ab æquore plantas,
Et metuit tactus aſsilientis aquæ.
Sæpe Deus prudens tergum demiſit in vndas:
Hæreat vt collo fortius illa ſuo.
Litteribus tactis ſtabat ſine cornibus vllis
Iuppiter, inque Deum de boue verſus erat.
Taurus init cœlum: te Sidoni Iuppiter implet:
Parsque tuum terræ tertia nomen habet.
Hoc alij ſignum Phaſiam dixere iuuencam,
Quæ bos ex homine eſt: ex boue facta Dea, &c.

Sed cœleſtium imaginum fabulas exequitur Ioannes Staflerinus in ſphæra Procli, vt nulla maior imaginum cœleſtium vis eſſe poſſit quam ſit fabularum, quas poëtæ narrant: Addam S. Auguſtini teſtimonium lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 21. qui cum docuiſſet veterũ mathematicorum arbitrio aſtris nomina impoſita fuiſſe ſubdit: [Nõ enim mirũ eſt, cũ etiã propioribus recẽtioribúſque tẽporibus ſydus, quod appellamus Luciferũ honori & nomini Cæſaris Romani dicare conati ſunt, & fortaſſe factũ eſſet atque eſſet in vetuſtatẽ, niſi auia eius Venus præoccupaſſet hoc nominis prædiũ, neq; iure vllo ad hęredes traiicẽret quod nunquã viua poſſederat, aut poſſidendum petiuerat, nã vbi vacabat locus neq; alicuius priorum mortuorum honore tenebatur, factũ eſt quod in rebus talib. fieri ſolet. pro Quintili enim & Sextili menſib. Iuliũ atq; Auguſtũ vocamus, de honorib. hominũ Iulij Cæſaris & Auguſti Cæſaris nuncupatos, vt facilè qui voluerit intelligat, etiam illa ſydera prius ſine his nominibus cœlo vagata eſſe, &c.

Atque hinc Genethliacæ vanitas lõgè latéq; clareſcit: cùm enim hominum arbitria has aut illas imagines cœlo finxerit, & pro libidine homines Tauros, Arietes, Geminos, Virgines, Leones, Scorpiones, potiùs quàm alias animãtes in cœlum euexerint, per ſummam delirationẽ proprietates, quas huiuſmodi animantes nactæ ſunt, ad aſtra & aſtrorũ ſchemata tranſlatæ fuerunt, & alia ſigna vocata ferina, alia humana, alia aquatica, alia terreſtria, alia muta, alia vocalia, alia fœcunda, alia infœcunda.

Hinc illa arcanis recõdita iſtis oracula, Luna in Tauro cõmorante non eſſe medicinam ſumendam. cur ita? quia Taurus cibũ, ſemel in ventrem trãſmiſſum reuocare ſolet, quare Luna dũ Tauri ſignũ decurrit ſi medicinã ſumas periculũ eſt ne eã reiicias. Itáne fulmenta lectũ ſcannũt? obaudite aſtrorũ internuncij: Taurus non medicinã ſed cibũ reuocat, dũ itaq; Luna in Tauro oberrat ſuperſedendũ vobis à cibo potiùs quam à medicina cẽſeo. cúmq; Aries quoq; ruminare ſoleat, & reuocare cibũ, auctor vobis præterea sũ, vt ab omni edulio caueatis

ueatiſquãdiu Luna in Ariete & Tauro moratur. quod ſi diligẽter præſtiteritis, ſatis vobis, & nobis conſultum fuerit. Ex eodem fonte manauit & illud. Ædes, quæ Scorpione quarto cœli loco exiſtente, exædificatæ fuerint, fore Scorpionibus obnoxias. Eodem pertinent etiam illa; Qui corona horoſcopante naſcitur, futurum Regem; Qui oriente Lyra prodit in lucem euaſurũ Muſicum. aliáque plurima Aſtrologiæ principia, quæ non alio nituntur fundamento, quàm tenuiſſimæ cuidam & arbitrariæ nominis ſocietati, quæ inter aſtra & res ſublunares aliquando intercedit, quàm Poëtarum fabulis, qui hæc aut illa ſtellis nomina fecerunt pro arbitrio. Quam rationem ſi ſequamur, nihil eſt cauſæ cur non dicamus eos, qui oriente Aquila naſcuntur, volaturos; vſuros quatuor pedibus qui ſub Cane eduntur in lucem; qui ſub Cancro, futuros ſine ſanguine, vt alia huius generis innumera.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Monomeriarum lepidiſſima fabula.

QVANTAM Deus bone Aſtrologica noualia ferũt ludibriorum & commentorum copiam, quorum infœlicium herbarum purgatio nos diutius quàm vellemus detinet, diſſimulare tamen non licet ſplendidiora quædam & incredibilia mendacia.

Nihil autem tam repugnans, nihil tam delirum cogitari poteſt, quod Aſtrologi cœlo non finxerint. Præter eas, quas ex ſtellis finxerunt rerum alieniſſimarum imagines, aliàs adhuc commenti ſunt formas inuiſibiles, in vnoquoque enim decano formas quaſdam comminiſcuntur nullis ſubiectas ſenſibus ſola Mathematicorum cogitatione efformatas, quas vno aut altero exemplo ex Ægyptiorum monomeriis explicandas ſuſcepimus.

Primum ergo decanum Arietis aiunt eſſe Martis. In primo gradu huius decani, qui omni ſtella caret, aiunt eſſe virum dextera falcem, ſiniſtra baliſtam tenentem.

In ſecundo gradu, virum item, ſed capite canino, dextera protenſa, læua baculum tenentem.

In tertio gradu, virum quoque, qui ſiniſtra manu zonæ appoſita, dextra oſtendat varia mundi regna.

In quarto gradu virum criſpo capillo, qui dextra accipitrem, ſiniſtra flagellum teneat.

In quinto gradu duos viros conſtituunt, quorum alter ligna ſcindat, alter dextra ſceptrum gerat.

In ſexto gradu Regem coronatum, dextra pomum imperiale, ſiniſtra ſceptrum ſuſtinentem.

In ſeptimo Cataphractum ſagittam manu tenentem.

In octauo virum galeatum cætera inermem, baliſtam dextra gerentem.

In nono gradu virum capite nudatum, cætera veſtitum.

In decimo virum qui vrſum tranſuerberat.

Longum eſſet percenſere omnes decanos. Tranſeamus ad alia ſigna.

Tauri primum decanum tribuunt Mercurio, in cuius primo gradu aiunt

 eſſe

Digitized by Google

eſſe virum, qui Taurum agit ad macellum.
In ſecundo mulierem,quæ manu equi caudam apprehendit.
In tertio mulierem ſubligaculo tectam.
In quarto mulierem dextra flagrum tenentem.
In quinto bouem in aheno ſedentem.
In ſexto virum tribus capitibus dextera porrecta.
In ſeptimo mulierem ſtantem.
In octauo mulierem triſtem in ſeliquaſtro ſedentem.
In nono virum qui flagello agnos,& capras agit.
In decimo duas mulieres ſtantes, inter quas catellus ludit.

(Hæc mirantur homines, hæc ſtupent qui ignorant Genethliacam vanitatem,hac diſciplina gloriantur Aſtrologi.)

Has & huiuſmodi comminiſcuntur imagines Genethliaci alieniſſimas à ſenſu,alieniſſimas à ratione. Cæterùm vt ſunt mendaces omnes,inconſtantes, ita diſſentientes ſunt de his imaginibus Aſtrologorum ſententiæ. Nam Ægyptij in primo gradu Cancri,virum,& mulierem fingunt manibus ſe apprehendentes,ſibíque gratulantes. Arabes formoſum iuuenem, eleganter amictum, qui digitos habet contortos, reliquo corpore equum vel Elephantem referat.

In primo gradu Leonis, Ægyptij faciunt virum dextera caput Leonis tenentem. Arabes arborem,cuius ramis inſidet Canis.

Non minorem his imaginibus Genethliaci arrogant auctoritatem, quàm Zodiaci aſteriſmis, vt nulli dubium eſſe poſſit tam nullas eſſe vires imaginum Zodiaci,quàm vanæ ſunt formæ inuiſibiles quas recenſuimus.

Ex quibus rideas quod ſcribunt nonnulli, Chriſtum Dominum natum oriente primo gradu Virginis, in quo Aſtrologi dicunt eſſe virginem puerum recenter natum lactantem. Ægyptij enim in primo gradu Virginis collocant mulierem bene ornatam, quæ virum expectat, non Virginem qualem recentiores fingunt. Alij contrà,alia ibidem ſomnia vident, quæ non eſt neceſſe recenſere; æquè enim commentitia ſunt omnia. Rogatos autem velim Aſtrologos ne ægrè ferant ſomniorum & ludibriorum nomina,quæ frequenter hoc opere vſurpata vident: hæc enim nugamenta aliis nominibus exprimi non potuerunt.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Alia Zodiaci ludibria,& ridicula Aſtrologorum commenta.

MVLTA in Zodiaco, & Zodiaci ſignis luſit Genethliaca, ſed nondum ſatis ſibi luxuriata videtur; quare quemadmodum ſigna in triginta gradus, ita in tres decanos diuiſit, denos gradus ſingulis decanis attribuens, ſingulóſque decanos vni Planetarum aſcripſit. Primus itaque decanus Arietis apud Ægyptios eſt Martis,ſecundus Solis,tertius Veneris. Primus decanus Tauri Mercurio,ſecundus Lunæ,tertius Saturno aſcribitur. Primus Geminorum Iouis,ſecundus Martis, tertius Solis dicitur. Primus Cancri Veneris,ſecundus Mercurij, tertius Lunæ,& ſic in reliquis:ſed aliter Chaldæi, aliter Arabes, aliter alij, qui primum cuiuſque ſigni decanum patrifamilias, id eſt,ei

eſt, ei qui in ſigno Dominus eſt tribuunt. His accedunt Dodecatemoria, de quibus Manilius lib.2. Aſtronomicon:

Perſpice nunc tenuem viſu rem, pondere magnam,
Et tantum Graio ſignari nomine paſſam,
Dodecatemoria in titulo ſignantia cauſas;
Nam cùm tricenas per partes ſydera conſtent,
Rurſus bis ſenis numerus deducitur omnis;
Ipſa igitur ratio binas in partibus eſſe,
Dimidiáſque docet partes bis finibus eſſe
Dodecatemorium conſtat, bis ſenáque cunta, &c.

Duo autem genera Dodecatemoriorum reperies. Alterum Planetarum, alterum ſignorum: quemadmodum enim notauit Ioſeph Scaliger in Manilio pag. 129. vnum ſignum dicitur habere Dodecatemorion in alio, pars decimatertia Geminorum in ſexta parte Libræ Dodecatemorion habet.

Indi porrò ne Græcis cederent commētis, ſigna non in decanos, nec in Dodecatemoria; ſed in nouem partes tribuerunt, quas nouenias appellarunt, & primam domino ſigni, reliquas ſecundùm ordinem reliquis Planetis conſignarunt, ita vt ſi prima ſit Martis, ſecunda tribuatur Veneri, tertia Mercurio. Et ſic deinceps.

Rurſus Ægyptij alia ſomniarunt ſomnia, ſingulas partes Zodiaci in monomerias fecerunt, quas variis Planetis donarunt; quæ omnia miris modis exagitauit Ptolemæus, ſed neſcio quî fiat vt quæ magis inepta ſunt, magis admiretur mortalés, capiantúrque fabulis magis quàm veris & ſolidis diſciplinis. Pudet me generis noſtri, apud quos video tā ridiculas fabellas reperiſſe fidem.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

De gradibus lucidis, tenebroſis, plenis, vacuis, & aliis id genus nugamentis.

ATQVE has ſectiones Zodiaci Aſtrologi referunt ad Planetas, ſed ne quis ſit finis ludibriorum, rurſus illum diuidunt, nulla relatione facta ad Planetas, in partes lucidas, & tenebroſas, fortunantes & plenas, maſculinas, & fœmininas, valetudinis & morbi.

[Cœlum (inquit Cardanus librorum Ptolemæi quos quadripartitos vocant locupletiſſimus interpres) ſe habet vt terra; ſtellæ ſicut montes & lapides, ipſa cœli ſubſtantia (riſum teneatis amici) quædam affert bona maláve, calidior frigidior, ſiccior, humidior, pinguis, macilenta, arida, fœcunda, fœlix, infœlix, æqualis, inæqualis, pertinax, mutabilis, ferax, ſterilis, turbida, perſpicua, &c.]

Triginta ſex itaque decani (inquit Iulius Firmicus lib. 4. cap. 16.) omnem Zodiaci poſſident circulum, ac per duodecim ſignorum numerum, Deorum, ſeu decanorum hæc multitudo diuiditur; ſed cùm ſint inſignes ſinguli terni decani, non in omnibus triginta partibus eorum, eſt numen conſtitutum, ſed per ſingula ſigna terni decani, quaſdam partes poſſident, quaſdam verò relinquunt. Plenæ ſunt itaque partes, in quibus decani fuerint inuenti, vacuæ verò, ad quas nunquam decanorum numerus accedit. Quicumque igitur in genitu-

Digitized by Google

ra ſua Solem, Lunam, & quinque Planetas, in plenis partibus habuerit, erit quaſi Deus maximæ maieſtatis præſidio ſubleuatus, ſed nunquam fieri poterit, vt in hominis genitura, Sol, Luna, & quinque Planetæ in plenis partibus conſtituantur, qui ergo vnam ſtellam, præter Solem, & Lunam, in plenis partibus habuerint, medioeres erunt; qui duas, ad omne fœlicitatis genus accedent; qui tres, vltra modum multiplicata fœlicitatis ornamenta accipient, qui verò quatuor, ad potentiam Regiæ fœlicitatis attingent: vltra autem hunc numerum in nullis genituris plenas ſtellæ poſſident partes. Qui verò in horoſcopo nec Solem, nec Lunam, nec aliquam ſtellam in plenis habuerint partibus, erunt miſeri, deſtituti ſemper, & pauperes, & ad omne infœlicitatis diſcrimen miſeriarum continuationibus applicati. Sanè in omnibus locis, ac ſtellis rationem iſtam debes diligenter inſpicere: ſi enim horoſcopus in plenis partibus fuerit, erunt vitæ virtute, animi æqualitate, corporis, & auctoritatis poteſtate præualidi; qui verò in partibus vacuis horoſcopum habuerint, erunt corpore miſeri, animo deiecti, inualidi viribus, ac ſemper potentioribus deſeruientes, &c.]

Tantum Genethliaci tribuunt partibus plenis, & vacuis; ſed quid de maſculinis, & fœmininis idem auctor ſcribat, videamus.

[Nūc (inquit li. 4. c. 17.) maſculinas & fœminas ſignorū partes referabo: ſunt enim tā in maſculinis, quàm in fœmininis ſignis, & maſculinæ ſimiliter & fœmininæ partes; ex iis verò partibus, cuius genitura ſit maſculina, cuiúſve fœminina ita reperitur; ſunt itaque maſculinæ partes 197. fœmininæ verò 163. Quomodo autem facillimè dignoſcantur, per ſequentem tabulam explicabo.]

Hæc omnia ratione deſtituta, ſolis experimentis conſtare aiunt Aſtrologiæ Magiſtri; ſed quam habebimus fidem iſtorum experimentis, qui contrarias partium vires experti ſunt? quas enim partes Firmicus facit maſculinas, Albumazar dicit eſſe fœmininas; Auenradam non conſentit cum Alcabithio, ab vtroque diſſentit Abraham, alij duodecimam cuiuſque ſigni partem alternis vicibus maſculinam, & fœmininam eſſe docent. Alij primos duodecim gradus ſexui ſigni tribuunt; nam ſi ſignum ſit maſculinum, primos duodecim gradus maſculinos docent eſſe ſequentes fœmininos, reliquos ſex æqua partitione diuidunt.

Sic Aſtrologi inter ſe digladiantur, ita nihil inter eos certi, & conſtituti eſt; & adhuc iactant artem ſuam experimentis partam. Scilicet pugnantia placita, certis experimentis ſtabilire potuerunt, quibus habebimus fidem? quos ſequemur duces? quorum experimentis orta eſt hæc diſciplina, quæ nutat inter contrarias ſententias?

Non minor inter Aſtrologos diſſenſio eſt de plenis, & vacuis partibus; multas, quas Firmicus vocat vacuas, Albumazar dicit eſſe plenas, & quas Elpheſtion Thebanus inter plenas numerat, Alcibithius recenſet inter vacuas.

Denique nil dico de partibus lucidis, & tenebroſis, quàm multis eas tenebris offuderunt Genethliaci; veteres eam partem lucidam vocabant in qua eſt ſtella, obſcuram quæ ſtellarum ſplendore caret, at poſtquam Zodiacus tranſlatus fuit in decimam ſphæram omni luce orbatam, recentiores Genethliaci eaſdem ſignorum partes lucidas retinere volentes, in decimo etiam orbe partes lucidas, & tenebroſas collocarūt. In orbe omni luce deſtituto quid lucida pars, quid obſcura ſit, adeò obſcurum eſt, vt cymmerias ſuperet tenebras.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.


Cæleſtium domorum, locorumque nugamentum.

NVllvs ſit ſcribendi finis, ſi omnia perſequi velim, quæ ab Aſtrologis doloſe confiƈta fuerunt. Condonabo igitur reliqua libenter breuitati; ſed quæ de aſtrorum domiciliis, de cæleſtibus domibus commenti ſunt, præterire omnino non poſſum: ſi enim domos, quibus omnia Aſtrologiæ arcana myſteria continentur, figmentum eſſe oſtendero, & inane ludibrium, aſtrorum, & Aſtrologorum penetrales, ædes euerſæ fuerint, ex quibus tamquam ex occultioribus delubris, populis reddere reſponſa conſueuerunt.

Ad quod efficiendum, domorum deſcriptionem non ab alio, quàm à Ptolemæo lib. 1. de Iudiciis, cap. 16. deſumere placuit. [Domus autem ratio naturalis (inquit) hæc eſt, quia ex duodecim Signis duo proximè accedunt ad verticalem nobis punctum, ideò calores, & æſtus generant. Ea ſunt, Cancer, & Leo. Placuit attribuere illa duobus præcipuis, & maximis, hoc eſt, ipſis luminibus, Soli quidem Leonem, propterea quod maſculinum eſt Signum; Lunæ verò Cancrum, quòd fœmininum eſſet. Atque ita factum eſt, vt conuenienter dimidium orbis, à Leone vſque ad Capricornum, ſolare vocaretur; dimidiúmque, ab Aquario vſque ad Cancrum, lunare, vt in vtroque poſſent ſingula loca ſuis ſtellis aſſignari, quarum alia figura cum Sole, alia cum Luna deſcriberent pro conuenientia orbium motus ipſorum, & naturæ proprietate. Nam Saturno, quòd natura maximè frigidificus eſſet, quódque ſupremum à luminibus remotiſſimum haberet orbem, ob contrarietatem caloris oppoſita Signa tributa fuere: Cancro, & Leoni, Capricornus, & Aquarius, quæ Signa & ipſa ſunt frigida, & hyberna, & propter oppoſitionem maleficam. At Ioui, qui eſſet temperatæ naturæ, & ſubiectus Saturni globo, data ſunt proxima illi Signa ſpiritu, & fœcunditate præſtantia, Sagittarius, & Piſces, quæ cum luminum Signis triquetram figuram deſcribunt, quæ conueniens eſt beneficentiæ. Poſt quem Marti deſiccatori, & ſubdito ſphæræ Iouiali, ſimiliter proxima his adſcripta ſunt, quæ & ipſa ſimilem haberent naturam, Scorpio, & Aries quadrata diſpoſitione, vt congruebat illius corruptrici, & noxiæ conſtitutioni. Veneri verò, quòd natura eſſet temperata, & ſub Marte, dederunt coniuncta his Signa, quòd fœcundiſſima eſſet, Libram, & Taurum, in quibus & ipſis ſitus conſtituitur ſexangularis; neque ipſa hæc ſtella ampliùs duobus Signis vnquam ne anteit, neque ſubſequitur Solem. Mercurio, qui & vltimus, neque vnquam vltra vnum Signum abeſſet à Sole, omniúmque aliarum ſtellarum infimo in loco data fuere proxima Signa luminum Signis Gemini, & Virgo, quibus, & ipſis ambobus ferè in primis vicinus ferretur.] Hæc Ptolemæus, quem in hac domorum diuiſione, non experimenta, ſed leuiſſimas coniecturas, & ſuſpiciones ſequutum videmus, vt vbique appareant Aſtrologorum pudenda mendacia, qui Aſtrologiæ omnia dogmata certis, exploratis, & minimè fallentibus experimentis collecta eſſe ſpurciſſimo ore confirmant; ſed & rem hanc totam memoriæ cauſa his verſibus Aſtrologi commendarunt:

Saturni domus eſt noctis Caper, vrna diei,
Huic dolor eſt Aries, gloria Libra ſeni.
Iuppiter Arcitenentis habet cum Piſce Sagittam,
Cui tamen in Cancro, ſors bona, iniqua Capro.
Sed Martis domus eſt Aries, & Scorpio pugnax,
Húncque Caper tollit, Cancer ad ima premit.
Sol habet hoſpitium ſibi ſolus in æde Leonis,
Atque illi eſt Aries gloria, Libra dolor.
Ac Venus in Tauro, Libræque per atria verſat,
Piſcibus exultat, Virgine preſſa iacet.
Mercuriuſq, habitat Geminorum in ſede, triumphat
Virgine, & eſt mœſtus Piſce adeunte caput.
Luna domum Cancri tenet, illam Taurus honorat,
At ſupra hanc verſans Scorpio ſorte premit.

Nobis, ne à propoſito longiùs dilabamur, rem, Mathematicorum more, ſequenti ſchemate oculis ſubiicere placuit.



His ita explicatis, tradunt Genethliaci non ſolùm varias, ſed & contrarias vires aſtra ſortiri in variis domiciliis. Quare Iulius Firmicus lib. 3. Mathem. c. 3. [Saturnus (inquit) per dies in horoſcopo partiliter conſtitutus, id eſt, in ea parte, in qua eſt horoſcopus, faciet cum ſummo clamore edi partum; erit autem iſte, qui naſcitur, maior omnibus fratribus; aut ſi quis ante eum natus, à parentibus ſeparabitur; ſemper autem iſte per diem in omnibus quatuor cardinibus facit primos naſci, aut primos nutriri, aut eos fratres, qui ante ſe nati fuerint, recedere; facit quoque inflatos, ac ſuperbiæ ſpiritu elatos.

In ſecundo loco ab horoſcopo, Saturnus facit ægritudines graues, euerſiones maximas, vxorum etiam, & filiorum interemptor eſt, & maximarum

turbarum

turbarum, frequentiúmque concitator, ſed & paternam, & maternam ſubſtantiam diſſipat; ipſum verò, qui natus fuerit, tardiorem in omnibus motibus facit, quibuſdam etiam perpetuas incidit corporis valetudines.

In tertio loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus, facit pigros, tardos, & nullam patrimonij ſubſtantiam requirentes; ſi verò cum Mercurio, ac Luna in hoc loco fuerit, facit cum ſtultitia malitioſos, ſacrilega contra diuinitatem verba iactantes, &c.

In quarto loco Saturnus ab horoſcopo partiliter conſtitutus, id eſt, in imo cælo, ſi per diem hunc locum tenuerit, faciet pecuniarum auidos, cuſtodes auri, & argenti; per noctem verò ſi fuerit in hoc loco, paternum patrimonium diſſipat, & citam patris mortem; facit ægritudines etiam graues, & frigidos humores corporis, & infirma ætate, faciet ſemper infames.

In quinto loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus, ſi per diem in iſto loco fuerit, Reges faciet, & Duces, & maxima largitur inſignia poteſtatis; ſi verò ſic Saturno poſito, Sol in parte horoſcopi fuerit inuentus, & coniunctionem Lunæ creſcentis Saturnus exceperit, perpetuas tribuit fœlicitates, & maiorum poteſtatum ornamenta decernit.

In ſexto loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus omne patrimonium diſſipat: malè enim ſemper in iſto conſtituitur loco; facit etiam ægritudines, præſertim ſi deficiens ſe ei Luna coniunxerit, vel ſi quadrata ei deficiens fuerit, facit enim infœlices, infames, erraticos, qui ſcilicet in vno nunquam poſſint conſiſtere loco.

In ſeptimo loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus, id eſt, in occaſu partiliter, ſi matutinus fuerit, in diurna ſcilicet genitura bonus erit, & hominibus maximam decernit ſubſtantiam, ſed tunc cùm fuerint limen ſenectutis ingreſſi: maximam enim ſic poſitus ſenectutis largitur ætatem, & pecuniarum cuſtodes facit, latentes verò corporis dolores incidit: facit enim hæmorrhoicos, aut neruorum dolore contractos. Si verò in hoc loco veſpertinus fuerit, fiſtula circa podicem facit, & ſimili modo hæmorrhoicos, &c.

In octauo loco ab horoſcopo conſtitutus Saturnus, ſi per diem fuerit hactenus collocatus, procedente ætatis tempore, augmenta patrimonij largitur; quibuſdam verò ſi in hoc loco conſtitutus in Martis Signo fuerit, vel in Martis finibus, ex alienis mortibus pecunias decernit, &c.

In nono loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus Magos fumoſos faciet, vel Philoſophos opinatos, vel Sacerdotes, temporum in magica ſemper opinione clariſſimos; facit etiam pro qualitate Signorum haruſpices, vates, Mathematicos, ac vera ſemper interpretatione fulgentes, & quorum reſponſa ſic ſint quaſi quadam diuinitatis auctoritate prolata; quoſdam autem facit in templorum cultu ſemper perſeuerare, ac præpoſitos interdùm Religionum, ſomniorúmque diuinos reddit interpretes, ſed & frequenter facit Philoſophos capillatos. Si verò per noctem in hoc loco fuerit conſtitutus, faciet iras Deorum, Imperatorum odia, &c.

In decimo loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus, hoc eſt, partiliter in medio cælo, faciet Imperatores, Duces, Præfectos, Prætores, ſi ſic poſito Saturno in his locis, in quibus exaltatur, Sol in horoſcopi parte fuerit conſtitutus, Saturnus autem, ſicut antè diximus, in medio cæli ſi per diem fuerit inuentus, faciet honeſtos, ac honeſtis moribus agricolas, ſed locupletes, &

Digitized by Google

quorum poſſeſſiones aut mari, aut fluuiis, aut ſyluis ſemper adiaceant; dabit etiam ſubſtantias maximas, magnam gloriam, & à maioribus perſonis hæreditates, &c.

In vndecimo loco ab horoſcopo conſtitutus, mediocria decernit bona; & quando aliquid malignum fuerit largitus, eum, qui natus fuerit, in eo loco, & in eo ordine collocabit, in quo fuit pater eius antè collocatus, ſed poſt trigeſimum ætatis annum: nam ante illum quidquid quæſierit amittet, nec poterit dignitatem, vel patrimonium conſequi, niſi prima triginta annorum ſpatia tranſierint.

In duodecimo loco Saturnus ab horoſcopo conſtitutus, tumultus, ſermonis diſcrimina, vel propter ſeruos pericula decernit ſeruitio, qui ſic eum in genitura habuerit collocatum; faciet etiam maximas ægritudines, ſed & valetudines non modicas, &c.] Hæc Iulius Firmicus, qui eodem libro perſequitur cæterorum Planetarum per ſingulas cæli ſtationes, poteſtates, & effectus varios, qui ab eis dimanant.

Quid magis receptum apud Genethliacos, quàm quædam aſtra eſſe benigna, quædam maligna; & ne id quidem perpetuum, & conſtans eſt, ſed bonum ſydus ex malo loco obeſſe plurimum malum, ex bono loco prodeſſe putatur. Itaq; Iupiter, qui in Oriente magna bona decernit, in duodecima domo, quæ Orientem attingit, magna incommoda denũciat, opes, ampláſq; diuitias idem Iupiter largitur; at in tertio, octauóq; loco patrimonium profundit. Quod de Ioue tradunt, tradunt de cæteris aſtris, mutare ſubinde vires, & tamquam Camæleontes induere colores, & virtutem loci. Quare Cardanus lib. de reuolutionib. c. 12. [Planetæ mali (inquit) domibus nocent, in quibus ſunt; & boni iuuant eas, ſi in eis ſunt.] Et infrà: [Cùm fuerit dominus domus in oppoſito domus, cadet ille magna ex parte à diſpoſitione ſignificatá per illam domum. Iterum Sol, & Iupiter, vel eorum alter, cùm in ſeptima fuerint, & Saturnus, & Mars, vel alter eorum in medio cæli dominum aſcendentis, vel aſcendens violauerit, vel Lunam, morietur publica morte; ſi verò infortunæ in ſeptimo loco Solis, & Iouis ſolùm, occidetur.]

Eædem leges apud Ptolemæũ lib. 3. de Iudiciis, præſertim c. 10. quo de ſpatio vitæ diſſerit, c. 12. quo de morbis, c. 13. quo de animi qualitatibus, & ſequẽtibus.

Adeò minutim has cæli partes Genethliaci metiti ſunt, vt ſingulis non ſolùm domibus, ſed etiam minutis Planetarum vires euariari dicant; quod ſuprà c. 25. & 26. vidimus. [Singula Signa in tres partes diuiduntur (inquit Firmicus lib. 2. cap. 4.) ſingulæ autem partes ſingulos habent decanos, vt ſint in ſingulis Signis terni decani, quorum ſingulis ex triginta partibus denas poſſideant, & dominium ſuum, & poteſtatem in decem partes eximunt; ſunt autem infinitæ poteſtatis, & licentiæ, & qui facta hominum poteſtatis ſuæ auctoritate deſignant, ſed & ipſi decani ſingulis ſtellis deputantur; & cùm in ipſo decano ſtella fuerit, licèt ſit in alieno domicilio conſtituta, ſic tamen eſt habenda, quaſi in ſuo ſit domicilio, &c.] Cùm verò Planetæ ex vno ad aliud Signum tranſeuntes contrarias ſortiuntur vires, declarat exemplum Iouis: is enim in quinquageſimonono gradu, & 59. minuto, & 59. ſecundo Geminorum, cenſetur nactus vtros calculos quinque in ſuo detrimento poſt minutum temporis, tranſitione facta in o. o. 1. Cancri iam fœlix, iam exaltatus, quatuor albis calculis gaudeat.

Confictas

Confictas verò eſſe huiuſmodi domos, quibus tantum Aſtrologia tribuit, & nullum illis fundamentum in cœlo eſſe, vel ex eo conſtat, quòd neque inter Aſtrologiæ Magiſtros conuenit de hac ædificatione domorum: alij enim diuidendo cœlum in duodecim ſpatia ſeu domicilia Zodiacum, alij Æquatorem, alij Verticalem circulum, alij Parallelum per gradum eclipticæ orientem Meridiano circulo interceptum, aſſumunt. & alij Abraham, Aueneztam & Monteregium, alij Alcabitium, Firmicum, Ioannem Sconerum, Cardanum ſequuntur decempedatores. Porro in tam varia cœli partitione, vt conſtare poſſunt domorum fines? His ignoratis, quomodo Aſtrologi norunt qua in domo Planetæ exiſtant? Qui ignorant ad quam domum Planetæ pertineant, quomodo notarunt quid ex vna, quid ex alia domo Aſtris accedat aut decedat virium? Hoc ſi perſpectum Aſtrologi non habent, qua fronte Aſtrorum vires per ſingulas cœli ſtationes tradunt tanquam rem omnium conſenſione receptam, & certis experimentis conſpicuam?

His accedit quòd huiuſmodi Aſtrorum ſedes, & domicilia fixa faciunt Mathematici & immobilia: prima enim domus eſt in Oriente, ſexta in Occidente, quarta in imo cœlo, decima in medio cœlo. At nulla eſt cœli pars Orienti, vel Occidenti, medio vel imo cœlo affixa, quæ vnà cum diurno motu non feratur ab Oriente in Occidentem. Figmenta itaque neceſſe eſt eſſe has Aſtrorum ædes, quæ mente, & cogitatione cœlo eſſe intelliguntur, cùm re vera nihil huiuſmodi cœlo ſit. Verùm quoniam per ſigna Zodiaci Planetarum domos diuidunt Aſtrologi, videamus qualem Zodiacum dicant, & quæ ſigna adhibeant ad conſtituendas ſtellarum domos, quoniam cùm hæc imaginaria, & mente conficta eſſe oſtenderimus, domos etiam ipſas ludibrium aliquod, & figmentum eſſe oportet. Et quidem octaua ſphæra, qua ſtellarum cœtus varij viſuntur, duodecim eſſe ſigna certis quibuſdam Aſtris notata Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, Libram, Scorpionem, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, Piſces, quæ Zodiacus dicuntur, in confeſſo eſt: cæterùm cùm hæc Aſtrorum ſchemata ab Oriente in Occidentem circumferantur, non ſunt domus illæ, quas Aſtrologos fixas eſſe tradunt, vel Orienti, vel Occidenti, vel imo, vel medio cœlo. Quare & duodecim hæc ſigna in domibus morantur, & ex vna in aliam tranſire dicuntur. Alium itaque Zodiacum, alios Arietes, alios Tauros, alios Geminos, alios Cancros, Leones, Virgines, Libras, Scorpiones, Sagittarios, Capricornos, Aquarios, Piſces, Aſtrologi finxerunt in decimo orbe, vt vidimus ſuprà cap. 11.

Qua de re Chriſtophorus Clauius, is, qui clariſſimi ingenij plurimis monumentis Mathematicas diſciplinas in lucem, hominúmque admirationem reuocauit, ad c. 1. ſphæræ Ioannis de Sacro Boſco, hæc ſcribit: [Duo ſunt in corporibus cœleſtibus Zodiaci concipiendi, vnus quidem in primo mobili ſeu decimo cœlo, qui ſolus eſt verus, ac proprius Zodiacus, quem Aſtronomi intelligunt, quando de Zodiaco abſolutè loquuntur, conſtans duodecim partibus æqualibus, quæ ſigna cœleſtia vocantur, &c.] Alter verò Zodiacus concipiendus eſt in nona ſphæra priori Zodiaco directè ſuppoſitus, cum eiſdem duodecim ſignis. Primus ille Zodiacus dicitur ab Aſtrologis immobilis, & fixus, non quòd non moueatur ad motum ſui orbis, in quo eſt, ſed quòd eius ſigna ſemper eodem modo ſe habeant ad æquinoctialem, & coluros primi mobilis, ita vt ſemper principium Arietis ſit in æquinoctiali circulo, ſimiliterq; principium

Libræ vbi nimirum colurus æquinoctiorum æquinoctialem interſecat. Rurſus principium Cancri reperiatur ſemper in coluro ſolſtitiorum, ſimiliterque principium Capricorni, idémque de reliquis ſignis & punctis primariis illius Zodiaci proportionſe quadam dicendum erit. Secundus autem Zodiacus dicitur mobilis, & non fixus, non ea ſolùm ratione, quòd ad motum ſui orbis in quo eſt moueatur; hoc enim commune eſt etiam primo illi Zodiaco, qui tamen immobilis appellatur; ſed quòd eius ſigna non ſemper eodem modo ſe habeant ad æquinoctialem, & coluros primi mobilis; non enim principium Arietis, & Libræ huius Zodiaci ſemper reperitur in æquinoctiali circulo ſiue coluro æquinoctiorum primi mobilis, neque principium Cancri, & Capricorni in coluro ſolſtitiorum mouetur, neque poſterior hic Zodiacus ſub illo primo paulatim versùs ſigna Orientalia prioris Zodiaci, hoc eſt, versùs ſigna illa quæ poſteriùs oriuntur.

Ne hoc quidem Zodiaco, qui nuſquam conſiſtit, figi poſſunt domus, quas Aſtrologi fixas, & immobiles eſſe volunt: nam præterquam quòd commentitia eſſe omnia ſigna, quæ in decimo orbe eſſe Mathematici cogitarunt, docuimus ſuprà cap. 21. Domos & ſedes Planetarum immobiles volunt Aſtrologi, decimus autem orbis motu diurno ab ortu fertur in occaſum. Quæ ergo ſunt in tanta orbium cœleſtium conuerſione ratæ, ac ſtabiles Planetarum ædes? Qui ſunt Leones, Cancri, Virgines, Gemini, Libræ, Tauri? Vbi ſunt Arietes, Scorpij, Piſces, Sagittarij, Capricorni, Aquarij, quibus æthereæ domus definiuntur? Vbi cogitant mirificam illam vim; quam cœleſtibus domibus tribuunt Genethliaci? Interuallum quoddam inter Orientem, & Meridiem, inter Meridiem, & Occidentem, inter Occidentem, & imum cœlum, inter imum cœlum, & Orientem, illi cogitare poſſunt omni corpore denudatum, firmum ac ſtabile, in quo orbes cœleſtes moueantur, in eóque Aſtrorum domicilium fundare: nam & veteres Philoſophi, quos refert Ariſtoteles lib. 4. Phyſ. T. 36. cùm capere non poſſent, quid ſit locus immobilis, quique motis corporibus idem ſemper permaneat, interuallum quoddam, ſeu intercapedinem inuexerunt in naturam à corporibus ſeiunctum, firmum, ac ſtabile, in quo corpora omnia tamquam in loco ſint, & moueantur. Verùm cùm non in rerum natura, ſed ſolùm in nudis hominum cogitationibus huiuſmodi commentum reperiri lectiſſimis rationibus euicerit Ariſtoteles, figmentum quoddam eſſe oportet Planetarum domicilia non minùs, quàm interuallum illud, ex quo tamquam ex cæmentis coagmentata dicuntur. His accedit, quòd huiuſmodi interuallo nulla agendi vis congruere poteſt; omnis ſiquidem effectio, aut à ſubſtantia, aut ab accidente proficiſcitur; hoc interuallum non eſt ſubſtantia corporalis, aut ſpiritualis, neque accidens, cùm per ſe ſit; nulla itaque actionis poteſtas tali interuallo ineſt, quam ineſſe volunt cœleſtibus domibus Genethliaci. Vnde Cardanus lib. de Iudiciis geniturarum, c. 9. [Inter domos robuſtior eſt in hoc ſignificato (agit autem de vita) vt apparet, prima inde, ſeptima inde, decima inde, nona inde, vndecima, &c.] Et Ptolemæus lib. 3. de Iudiciis, cap. 10. [Fortioris auctoritatis eſſe dicitur quod eſt cœli medium ſuper terram, poſt hæc Aſcendens, deinde id quod cœli medium aſcendit, & poſt ipſum Occidens ad quod cœli medium præcedit; omne autem quod ſub terra moratur, hac in re, tam præclara, & tam excellenti prætermittendum fore decreuimus, præter id quod Aſcendens ſuper terram apparuit, &c.] Infrà:

[Conue

[Conuenit vt ex luminaribus illud, quod loco maioris, & fortioris poteſtatis fuerit ſumamus, diſpoſitorem autem eligere ſuperluminaria nullatenus conuenit, niſi cum loco maioris, & fortioris dignitatis fuerit, &c.] Hinc mortis domus, hinc domus laboris, bonæ, malæque fortunæ, filiorum, diuitiarum, dignitatum, quæ à Poëtis crediderim Genethliacos mutuatos, & ab inferis ad cœlum, à ludicris licenter tranſtuliſſe ad res ſerias. Hinc ille:

Veſtibulum ante ipſum, primiſq; in faucibus Orci,
Luctus, & vltrices poſuêre cubilia curæ,
Pallentéſque habitant morbi, triſtíſque ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas,
Terribilis viſu formæ, lethúmque, labórque.

Quæ eſt domus Solis, niſi illa?

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammáſque imitante pyropo,
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.

His magiſtris profecerunt Genethliaci, ab his didicerunt Planetarum domos. Egregiam verò diſciplinam fabuloſis ortam natalibus, fabulis auctam, & nutritam. Iam verò, quæ de ſyderum ſoliis ſcribit Ptolemæus lib. 1. cap. 21. & 22. nónne ex iiſdem Poëtarum fontibus promanarunt?

In ſolio (inquit Ouidius eodem lib. 2. Metamorphoſeon)

Phœbus claris lucente ſmaragdis:
A dextra, leuáque dies, & menſis, & annus,
Sæculáque & pòſita ſpatijs æqualibus horæ;
Vérque nouum ſtabat cinctum florente corona;
Stabat nuda Æſtas, & ſpicea ſerta gerebat:
Stabat & Autumnus calcatis ſordidus vuis,
Et glacialis Hyems, canos hirſuta capillos.

Quæ de carpentis, & curribus Aſtrorum, & Ptolemæus, & Firmicus ſcribunt, ex iiſdem fabularum campis orta ſunt.

Ergo qua licuit genitor cunctatus ad altos
Deducit iuuenem Vulcania munera currus
Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo
Per iuga chryſoliti, poſitaq; ex ordine gemmæ.

I nunc, & nega hanc diſciplinam fabulam quamdam eſſe ab otioſis hominibus confictam. Equidem nullum exiſtimo Mathematicorum eſſe adeò væcordem, cui perſuaſum ſit huiuſmodi commentis agitari res mortalium; ſed miror eorum impudentiam, qui ſapientibus viris perſuadere conantur, ab hiſce ludibriis pendere exædificationes vrbium, itinera, & nauigationes, honores, & dignitates, filiorum procreationem, ortum, & interitum, proſperam, & aduerſam valetudinem, fratrum, ſororum, vxorum numerum, ampla patrimonia, opimas hæreditates, diuturnam, aut breuem vitam, membrorum integritatem, & vitium, robur corporis, & imbecillitatem. Cum notionibus illis hæc pugnant, quas noſtris mentibus natura ipſa non vſus aut diſciplina conſignauit. Vel abſtergendæ

ergo

ergo illæ ſunt,vel nunquam Aſtrologi adducent mortales vt credant vera quæ ſunt,& ſolida à fictis fabulis pendere, & ea quæ nuſquam ſunt,ſed Aſtrologorum ſolùm cogitatione coaugmentantur,aliquid efficere,aut moliri poſſe. Facit ad declarandam earumdem vanitatem domorum,quod Augures quoq; malorum dæmoniorum interpretes ſimili cœli partitione vſi dicuntur ad fallendos mortales.[Cœlum(inquit Tull.li.2.de Diuinatione) in ſexdecim partes diuiſerunt Etruſci. Facile id quidem fuit,quatuor,quas nos habemus, duplicare: poſt idem iterū facere,vt ex eo dicerent,fulmen qua ex parte veniſſet.Primum id quid intereſt?deinde quid ſignificat?&c.]Nam qua vanitate Augures,dæmoniorum internuncij, ſuper hac cœli ſectione auguriorum vaniſſimam ſuperſtitionem collocarunt, eadem Aſtrologis licuit cœlo in duodecim domos diuiſo, nugas vendere, & pro ære lupinos.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Ratio,quam Aſtrologi ſecuti ſunt,tribuendo Planetis domos.

HACTENVS quales Planetarum domos Genethliaci finxerint, expoſuimus;nunc quo iure eas Planetis diſtribuerint,exponendum eſt.Et quoniam Claudium Ptolemæum omnes magiſtrum agnoſcunt, prætermiſſis aliorum ſententiis rationem expendemus, qua Ptolemæus lib. 1. de Iudiciis,c.16.tradit,æthereas domos Planetis diſtributas;eſt autem huiuſmodi, Capricornus, & Aquarius hyemalia ſigna ſunt;& frigida, Saturnus quoq; natura frigidus eſt, iure itaque debebantur hæc ſigna. Quæ ratio fuit vnquam adeò à ratione aliena, quamquam non id Ptolemæo acerrimi ingenij viro, vitio vertendum,qui Aſtrologorum placita retulit, non ſua. [Veriſimile eſt (inquit Sixtus ab Hemminga) Ptolemæum libros ſuos quadripartiti, ſiue de prædictionibus Aſtrologicis,maximè verò duos poſteriores ſcripſiſſe, nō vt artem illam ex profeſſo doceret,ſed vt oſtenderet Aſtrologiam re vera nullā eſſe, ſed ſi quæ ſtatuenda ſit, eam talem eſſe debere qualem ipſe deſcribit.] Primùm conſueuerunt Aſtronomi Planetarum vires præſertim noxias contrariis temperare;ideo Saturnum frigidum diurnum, Martem calidum nocturnum fecerunt.Cur ergo Saturno ſigna calida non imbuerūt potiùs quàm frigida? Deinde ſi congruas Planetis ſedes tribuere voluerunt,cur Saturno ſiccum, Aquarij humidum domicilium dederunt ? Adhæc Marti ſicco,& calido Aries tributus eſt humidus,& Veneri humidæ, & calidæ Libra ſignum Autumnale, ſiccum videlicet, & frigidum. Præterea Iouis natura temperata, & benigna nullam habet communionem cum Sagittario, & Piſcibus. Cancri denique calor magnus non congruit frigori Lunæ, & Leonis ſignum nobis calidiſſimum iis qui ſub alio polo degunt frigidum eſt, non minùs quàm nobis frigeat Capricornus. Vidit & Ptolemæus Aſtrologorum hanc rationem non poſſe per omnes Planetas deduci, ideo alteram addidit à Planetarum conſtitutione deſumptam. Saturno, qui à nobis longiſſimè diſtat, iure Capricornus ab orbe noſtro longiſſimè etiam diſſitus. Lunæ terræ citimæ Cancer, qui ad nos proximè accedit, conſignatus fuit. Cæterùm ratio hæc infirma, & imbecillima

ſuſtinere

ſuſtinere priorem non potuit: poſt Lunam enim non ſequitur Sol,ſed Mercurius. Cur ergo Leo Cancro proximus, Soli potiùs quàm Mercurio tribuitur? A nobis non magis Gemini quàm Leo diſtat. Cur igitur Sol in Leone non in Geminis domicilium ſibi conſtituit? Sit Capricornus à nobis maximè diſſitus, ſicut Saturnus, Aquarius,qui non adeò diſtat,cur Saturni domus dicitur? quæ cùm explicare Aſtronomi nequeant labantes, & ad interitum ruentes, Planetarum ædes tertio fulcire Ptolemæus aggreſſus eſt conſtituto;ſiquidem Sole in Leone, Luna in Cancro reliquis ait conſtituta eſſe domicilia pro benignitate, aut malignitate naturæ. Saturno Capricornus, & Aquarius tributi ſunt,qui Leoni,& Cancro opponũtur. Ioui verò Piſces,& Sagittarius,qui triquetra Leoni,& Lunæ irradiatione,quæ ſalutaris eſt; reſpondent Marti Scorpius,& Aries,qui ex quadrato Leonem,& Cancrum proſpectãt,Veneri Libra, & Taurus,quòd fœcundiſſima ſint ſigna,& in quibus ſitus conſtituitur ſexangularis; Mercurio denique,qui eſt vltimus, data fuêre proxima ſigna Solis,& Lunæ,Gemini,& Virgo,ſed adhuc malæ fundatæ domus non perſtant:domus enim illa Planetæ congruit, vt ſuprà vidimus, quæ eſt illius naturæ maximè accõmodata,& in qua ille vires meliùs exerceat ſuas: at Marti obeſt plurimum quadrata radiatio luminarium, Saturno nocet oppoſitio cum iiſdem. Neque igitur Saturnus in Capricorno,& Aquario, neque Mars in Ariete,& Scorpione opportunum habent domicilium. Quòd ſi addas, quod docet Ptolemæus, fœlices eſſe omnes Planetas,quando tanto interuallo à Sole ſeiungũtur,quantò eorum domus diſtant à domo Solis(quòd Arabes amulgeum vocant) neceſſariò efficitur,Saturnum oppoſitum luminaribus, Martem ex quadrato iiſdem reſpondentem fortunatos eſſe,contra omnium Aſtrologorum ſcita, quæ volunt infortunatos hos eſſe ſyderum concurſus, & calamitatis pleniſſimos. Poſtremò, quando aiunt has, vel illas domus quadrangulas, vel triquetras eſſe domibus luminarium,vel aiunt vtrique, Leoni, & Cancro,quadratas eſſe,aut triquetras,vel alteri ſolùm, & ei quam ſecundùm ordinem ſequuntur, ita vt à Leone ad Capricornum, ad Leonem à Cancro, ad Aquarium à Cancro referantur: non primum;ſiquidem domus Veneris tam quadrangulæ quàm triangulæ dici poſſunt,Libra enim eſt quadrata Cancro,Taurus Leoni,Libra triangula eſt Leoni, Taurus Cancro. Idem de cæteris dici poteſt: non ſecundum; quoniam neque Aquarius Cancro, neque Capricornus Leoni opponitur. Cùm nullo igitur fulcimento ſuſtineri poſſint malè fundatæ Aſtrologorum domus,eas veſpertilionibus,& muribus locamus.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Quid aſtrorum congreſſus ſit, quàm nouis aſtris varius, & nouus.

PLVRIMA hactenus ex Aſtrologis audiuimus de ſyderum congreſſibus, & concurſu, expedere oportet quid tandem ſit iſta ſtellarum coniunctio: Docet enim ratio Mathematicorum (inquit Tullius lib. 2. de Diuinatione) quam Chaldæis notam eſſe oportebat, quanta humilitate Luna

Digitized by Google

feratur, terram pene contingẽs, quantum abſit à proxima Mercurij ſtella, multò autem longiùs à Veneris, deinde alio interuallo diſtet à Sole, cuius lumine illuſtrare putatur, reliqua verò tria interualla infinita, & immenſa à Sole ad Martis; Vnde ad Iouis ab eo ad Saturni ſtellam inde ad cœlum ipſum quod extremum atque vltimum mundo eſt. Quis ergo eſt iſte aſtrorum congreſſus? quæ coniunctio? in tanto locorum interuallo quantum animo & mente cogitare difficile fuerit, niſi oculorum fallaciſſimo ſenſui ſpecies quædam eminus obiecta coniunctionis eorum quæ infinitis interſtitiis inuicem ſeparantur, itáne viſu iudicamus ea quæ ratione atque animo videre debemus?

Quid, quòd neque ſtellas omnes perſpectas habent Aſtrologi? Quare Cardanus ad lib. 1. Ptolemæi com. 3. apertè profitetur incertam hanc artem eſſe, & quòd plura ſint aſtra, quàm Aſtrologi norint, & quòd eorum, quæ norunt, natura perſpecta non ſit, & quòd eorum, quorum natura perſpecta ſit, ignoretur modus agendi, an per circulum poſitionis, an per locum, an per antiſcia, an per declinationem.

Iam verò quod Phauorinus apud Gellium lib. 14. cap. 1. ſuſpicatus eſt, fieri poſſe, vt alij quidam Planetæ eſſent, quos cernere homines non poſſunt propter exuperantiam altitudinis, factum iam vidit noſtra ætas. Galilæus Mathematicus Florentinus theloſcupio, quod nuperrimè hominum ſolertia excogitarat, ad minima quæque in magna diſtantia videnda, quinque propter Iouem Planetas ſuperioribus ſæculis inuiſos conſpiciendos dedit, & circa Solem maculas quaſdam, vel ſtellas deprehẽdit errare, quarum nulla apud veteres Aſtrologos mentio extat. Qui fit veriſimile omnibus aliis aſtris in hæc inferiora agentibus, hæc ſola otiari prorſus, & nihil efficere, ſi hæc quoque agunt quorum nulla hactenus habita eſt ratio ab Aſtrologis, & quorum nullus congreſſus, aut digreſſus hactenus obſeruatus fuit. Planè fit, ſiue perſpectos Genethliaci habeant aſtrorum congreſſus, ſiue non, ſiue obſeruent aſtra, ſiue non obſeruent eodem modo diuinare.

CAPVT TRIGESIMVM.


Pugnare ea, quæ Aſtrologi tradunt de obſeſſione, & aſpectu aſtrorum.

QVONIAM in variis aſtrorum congreſſibus, omne artis ſuæ præſidium collocarunt, qui Aſtrologicas rationes ſequuntur, in eo toti ſunt vt doceant, multas, variáſque eſſe ſyderum conſtitutiones. Etiam inprimis (ait Firmicus lib. 2. cap. 25.) illud docere debemus quid ſit triangulum, quid trigonum, quid quadratum, quid hexagonum, quid abiectum, quid ſit etiam trigonum dextrum, quid ſiniſtrum, quid hexagonum dextrum, quid ſiniſtrum. Diametrum eſt Aries, & Libra, Tauri diametrum eſt Scorpio, & cætera ſigna ſimili modo, à ſigno ad ſignum ſeptimum quod fuerit hoc eſt diametrum. Sed hæc ſemper maligna radiatio eſt, & minax. Trigonum eſt à ſigno à quo initiamus ſignum quintum, quod hoc docetur exemplo,


exemplo, ab Ariete vſque ad Leonem. Trigonum eſt, & ſimiliter à Tauro vſque ad Virginem, & ſic per omnia ſigna quodcumque in ſigno quinto fuerit, hoc eſt trigonum. Scire etiam debemus, quid ſit dextrum trigonum, quid ſit ſiniſtrum. Dextrum eſt, quod ab eo ſigno, à quo incipimus, retro eſt; ſiniſtrum verò, quod antè, vtputa Arietis, dextrum trigonum eſt Sagittarius, ſiniſtrum verò Leo, & ſimili modo Leonis dextrum trigonum eſt Aries, ſiniſtrum verò Sagittarius, Sagittarij verò Leo dextrum trigonum eſt, Aries verò ſiniſtrum, ſic & in cæteris omnibus trigona quæres. Et hæc eſt proſpera fœlixque radiatio.

Quadratum eſt ab eo ſigno, à quo inchoamus quod quartum fuerit ſignum, quod hoc docetur exemplo Arietis, quadratum eſt Cancer, & Cancri Libra, & Libræ Capricornus, Capricorni Aries; ſed quod ſit quadratum dextrum, quod ſiniſtrum, ſimili ratione, ſicuti in trigonis diximus, inuenies: nam quodcumque retro fuerit, quadratum dextrum eſt, vt Arietis Capricornus ſiniſtrum Cancer, ſic & in cæteris omnibus quadratis quod retrò fuerit dextrum, & quod antè ſiniſtrum, & hæc minax eſt radiatio, malitioſa poteſtate compoſita, ac inimicitiæ liuore plena.


Hexagona hoc idem ſunt quod trigona, ſed minoris poteſtatis hexagonum eſt ab eo ſigno à quo initiamus tertium, vt Arietis ſunt hexagon Gemini, quod autem ſit hexagonum dextrum quod ſiniſtrum, ſicut cætera inuenies.] Hæc ille. Leges eadem apud Cardanum libro de Iudiciis, capite ſeptimo. [Aſpectus oppoſitus (inquit) fit ad oppoſitum ſignum ſub eadem parte in longitudine, & in totidem partibus latitudinis in parte contraria, quod ſubiecta tabella ſubiiciet etiam oculis.



Quadratus aſpectus eſt per nonaginta partes eclipticæ antè, & retrò, & ipſa ecliptica abſque latitudine.



Trinus autem eſt addendo partes centum viginti, exceptis quibuſdam minutiis, quas deſcribemus in tabula ſequenti, & eſt dexter anterior, & ſiniſter, ſecundùm ſignorum ſucceſſionem.



Per has tabulas, & ſequentes abſque computo colliges ſimilem partem in ſuo ſigno reſpiciente, diminuendo pro trino ſecundum latitudinem Planetæ, minuta

minuta in tabula vltima,& ponendo in oppoſito aſpectu, vt dictum eſt totidem partes latitudinis in parte oppoſita,& pro quadrato ſine latitudine,& pro trino dimidium latitudinis in parte oppoſita, prout dictum eſt, ſed pro ſextili accipies conſimilem partem in ſigno ſextili, ſiniſtro quidem ſecundùm ſucceſſionem ſignorum, aut dextero in parte anteriori, addendo minuta contenta in tabula præcedente pro parte latitudinis, &c.

Et infrà:[Scias quòd vires aſpectuum ſunt velut labor flectendi baliſtam; nā coniunctio, vel aſpectus ex duabus partibus eſt decuplus illi qui fit cum diſtantia decem partium, & qui ex eadem parte decuplus, ei qui fit cum diſtantia duarum partium,& qui per ſex minuta decuplus, ei qui fit per diſtantiam fermè vnius partis, vnde maximi euentus.]

Eadem habet Ptolemæus lib.1.de iudiciis,c.12. 13.14.quibus addit c.15.hos ſolùm quatuor eſſe ſtellarum aſpectus, quibus ſe mutuò, aut iuuant, aut impediunt; in reliquis ſignis aſtra nec videre ſe, nec audire, ideóque ea ſigna vocari inconiuncta.

Ea verò (inquit) quę nullam habent numeratarum ſocietatum rationem, loca inconiuncta,& aliena nominamus, quæ nec imperant, neque obediunt, neque ſe intuentur, neque idem poſſunt. Atque inſuper nullam quatuor illarū figurarum deſcribunt, quas diximus eſſe dimetientis triquatram, quadratam, ſexangulam, ſed vel ſecunda, vel ſexta numerantur, nam illa ſi à ſe mutuo detorquentur,& cum bina ſint ſingulos angulos complectuntur; illa verò, quæ ſexta numerantur, totum orbem in partes inæquales ſecant, cùm aliæ figuræ omnes in partes æquales illum diuidant.]

Nec paſſi ſunt deſiderari rationes, cur quatuor hi congreſſus aliqua ſint radiationis ſocietate coniuncti, reliqui abiuncti,& nullo neceſſitudinis vinculo deuincti. Ptolemæus lib.1.c.15.& Firmicus lib.2.c.26.

Atque hæc de Aſtrorum aſpectu. Quid de obſeſſione? Pugnantia planè,& quæ maligna irradiatione hæc intuentur. Aiunt enim Planetam obſideri, quoties illum vtrinque ex proximis ſignis maligna duo ſydera circumſtant, Exempli gratia, aiunt Iouem obſeſſum à Marte, & Saturno, quando ille eſt in Libra, Mars verò in Virgine, Saturnus in Scorpione. At tunc ſunt in proximis ſignis quæ vocantur loca inconiuncta. Quomodo ergo hæc cohærent? itáne nō ſolùm aſtra, ſed etiam Aſtrologia eſt inconiuncta? vnde tanta diſciplinæ diſſenſio? qui ſyderum concurſus, aperuit tantos in hac diſciplina hiatus? Non dico quàm abſurdè proxima ſigna dicantur inconiuncta, nullum ſit incommodum, quòd reclamante natura coniunctorum, quæ maximè diſtant coniuncta proxima, quæ ſunt vocantur inconiuncta. Si Mars ex Virgine non aſpicit Iouem in Libra exiſtentem quomodo illum obſidet? vel quando duo Planetæ ſunt in duobus proximis ſignis, aliqua actione copulantur,& perit ratio aſpectuum explicata, aut nulla inter eos intercedit vis, & euertitur tota ratio obſeſſionis. Conſtantiam hic requiro, & cohærentem diſciplinam. An dicturus es nihil quidem Martem ex Virgine agere aduersùs Iouem in Libra commorantem, ideóque loca eſſe inconiuncta, quando tamen ex altera parte in Scorpione correſpondent Saturnus, tunc enim vero circumſiſtere Iouem,& conſtare obſeſſionem? Oportebit te docere, cùm Ioui nihil impedimenti proueniret à Marte in virgine exiſtenti Saturno egrediente Scorpionem, & nihil in Iouem moliente, quod Marti accedat ratione cuius incipiat Iouem ob-

ſidere,cui nequidquam prius officiebat.

Quid?mediocrene eſt deliramentum,quod aiunt Planetam ſub Solis radiis conſtitutum comburi? quò abit cinis? quò fumus? quæ nugæ ſunt iſtæ?

Quid ſibi volunt quadrata triangula hexagona? putántne Planetam in Planetam fundere vim aliquam,aut vnum ab alio affici, aut mutua actione pugnare? ſibilo excipientur à ſcholis Philoſophorum;qui enim fit, vt quando eodem, vel proximis ſignis aſtra continentur, nihil inuicem agant, aut patiantur? quando vnum ab altero longiùs receſſit, tunc demum mutua ſe actione petant?Magnes qui trahit ferrum nónne è propinquo trahit potiùs,quã è longinquo? Sol aſtrorum decus proximus calefacit nos magis,quàm vbi abiit longiùs?quòd ſi aliquod adhuc interuallum requirunt inter aſtra, vt mutuò agere, patique poſſint,meminerint quantis inter ſe Planetæ diſtincti ſint interuallis, intelligent multò magis quando in proximis ſignis ſunt, infeſtari mutuò debere,quàm longè diſtantes.

Quòd ſi aſtrorum natura huiuſmodi eſt, qualem Peripatetici tradunt,qualem docent Theologi, qualem agnoſcunt ſapientes, qualem probat experimentum ab omni vi extrinſeca immunis,& libera, & quæ nihil admittit ſibi contrarium, doceant, ſi poſſunt, cur aſtra ab aliis aſtris obſideri,vel maligna radiatione affici dicantur, ſi ſempiterna illa, & immortalis natura à nullo violari,aut vlla ex parte labefactari poteſt,quo modo maligna radiatione afficitur,quomodo comburitur, quo modo à loco ab aliarum ſtellarum aſpectu debilitatur?Reſpondebis, opinor, nil aſtra ipſa pati, ſed eorum actionem in ſubiecta corpora infringi, ius,quod in hæc inferiora habent,violari, quam in mundum hunc inferiorem effundere ſolent vim præpediri.Commodè id quidem dicitur, cæterùm virtutem, quæ à Ioue defluit, dum in Libra moratur, multò magis impediri oporteret ab influentia Saturni,dum eſt in Scorpione, quàm poſtquam inde longiùs receſſit,& phyſicis rationibus,& certiſſimis experimentis compertum eſt,cauſam, quæ alteram prohibere poteſt,& ſolet,ne aliquid efficiat, eo plus exhibere expedimenti, quo propiùs acceſſerit. Noxij humores,qui actiones vitales præpedire ſolent, tantò eas interturbant magis, quantò propiores fuerint cordi, quod eſt fons vitæ & origo; nec Remora retardat magis nauis curſum è longinquo, quàm è propinquo, & ignis propiùs admotus meliùs prohibet hyemalis frigoris actionem. Soláne ſydera à naturali agentium lege eximes, & in proximis ſignis dices eſſe inconiuncta, nec iuuare ſe, nec impedire, vbi longiùs diſceſſerint, præſtare vtrumque? Accedit eodem, quòd ex quacumque cœli plaga, cùm vim aliquam ſemper Planetæ fundant,etiam ex proximis ſignis effundere oportet;ſit verbi gratiâ Iupiter in Libra,Saturnus in virgine, Mars in Capricorno, Iupiter ex quadrato reſpicit Martem, Saturnus quoque ex Virgine ex trino reſpicit alium Planetam in Cancro exiſtentem,vterque igitur agit & Iupiter, & Saturnus, viréſque ſuas fundunt per medium, aut itaque huiuſmodi vires ſimiles ſunt, & coniunctæ, & ſe mutuo iuuabunt,aut contrariæ, & pugnantes,& ſe neceſſariò impedient, & retardabunt; cur ergo proxima ſigna,cuiuſmodi ſunt Libra,& Virgo, vocantur inconiuncta? Veriſimilem aliquam rationem,& Philoſophiæ principiis congruentem expectamus. Aniliũ nugarum iam nimium habuimus. Sed nimirum in delirantium ludibriis rationem exquirere inſanire eſt. Pergamus ad reliqua.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

Vrbium ridiculas eſſe genituras.

QVi verecundiæ fines ſemel tranſierit ſuæ, bene & nauiter oportet eſſe impudentem, vt eſt in Prouerbio; ergo Genethliaci, quos nunquam ſuorum mendaciorum puduit, eò mentiendo ſunt progreſſi, vt non ſolùm hominum, ſed etiam vrbium ortus & interitus, omnémque fortunam à ſtellis deduxerint. Quare Cardanus lib. centum geniturarum, non dubitauit Venetiarum ædificationem, Bononiæ, Mediolani, Florentiæ inſtaurationem inter genituras numerare. Et Mediolano quidem hęc denunciat. [Mars (inquit) in Iouis Trigono non conueniens, & Luna in oppoſito Veneris, in Scorpione multa detrimenta bellorum cauſa oſtendit, atq; in his aliquando infœlices, & multam ſobolem; mulieribúſque deditos nimis, atque ea cauſa infortunatos. Porro Mercurius in domo propria, in Saturni trigono, ipſo in Aquario exiſtēte, diuina prorſus ingenia, tum etiam ad artes pręſtantiſſima. In cæteris valde diſſita eſt hæc cœli conſtitutio, quā vix vériſimilem eſſe crediderim, homines miſericordes, laborioſi, ingenio magno præditi, minimè concordes, publicæq; vtilitatis cuſtodes, populus ſimplex, ac leuis, benefici tamē, ac ciuiles. Vrbs ipſa talis eſt, quæ ſi optimè regatur nulli alteri veniet poſtponēda, nec vlla alia eruditorum maiorē copiā virorum, nec inſigniorum edidit vel fortiorum. Iacet tamen ſuo olim inteſtino iactata malo, quo & Roma iā gentium domina, & ipſa exteris ſeruire cogitur. Cacodæmonis locus vnus Saturni, alter Mercurij tertius Iouis. Cacodæmon octaua Leonis pars, alter Scorpij pars vigeſima prima, quadratū Solis, ac Iouis, non ex conuenientibus ſignis ſeruire alienis cogit.] De Florentia hæc addit [Ciuitas hæc Martem habet cadentem, vnde non multum bello proficere poteſt. Oſtenſum eſt autem, Mercurium in Piſcibus dominari, vnde ad literas non adeò, vt Mediolanenſes apti. Diu libertatē retinuit, nuper amiſit, cauſam in lib. de arcanis æternitatis aperuimus, Luna etiā à Saturno, & Sole infortunata. Saturnus in cœli meditullio, & domo propria, & mobili ſigno mutationes multas à ſeipſis oſtendit, ſeditionéſque. Cùm igitur Saturnus, & cœli medium peruenerunt ad Iouis quadratum, hoſtilē in vltima parte Capricorni amiſit Vrbs libertatem, in 26. anno Saturni, nec recuperabit donec vterque manſerit ſub radiis Iouis, id eſt, per annos 24. Saturni, & ſic de aliis, &c.]

Nec Romę Principis vrbium genituram veteres deſiderarunt. Tarutius Firmanus (inquit Tullius 2. de Diuinatione) familiaris noſter in primis Chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis parilibus; quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque cùm eſſet in iugo Luna, natam eſſe dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! etiámne vrbis natalis dies ad vim ſtellarum, & Lunæ pertinebat? fac in puero referre, ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit, num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus vrbs effecta eſt, potuit valere?]

Et quando vultis vrbem ædificari? quando effoditur terra? vno die an vna hora id peragitur? an quando iaciuntur fundamenta? quæ fundamenta vnius, aut alterius domus, quotidie cùm fundentur noua ædificia, nouos

horoſco

Digitized by Google

horoſcopos quærere vos oportet: ſingulis diebus ciuitas tota non conſtruitur vnica ædificatione, & vetera ædificia vetuſtate confecta quoniam corruunt, nouáque eriguntur:nulla eſt vrbs hodie eadem, quæ condita fuit à ſuo fundatore; vbi quæſo remanent Aſtrorum Apoteleſmata?

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Cur Aſtrologi nihil de mutis animantibus aut ſtirpibus, ſed de hominibus ſolùm, præſertim opulentis, pronunciant è ſtellis.

DABO adhuc fraudum Aſtrologorum non leue argumentum; nam fortuitos, repentinóſque euentus, abdita, & arcana conſilia, voluntatis arbitria,& appetitiones, quibus nihil dici, aut cogitari poteſt magis incertum, & ab agente corporato magis alienum, moueri agitarique deſuper à cœlo contendunt: Stirpium, & animantium fortunam, ortum, caſus,& euenta Aſtrologicis rationibus non perſequuntur, qui tanto ſtudio Aſtrorum ducatus, dominia, cognationes, aſpectus, gaudia, domicilia,fines, pigra, deiectáque loca, antiſcia obſeruarunt.Cur animantium,quæ magis cælo ſubiecta ſunt,quàm humanæ mentes etiam & euentus, vitam, & mortem ex ſyderum congreſſu non prædicunt? cur non denunciant quis equus ſenio, quis morbo, quis bello interiturus ſit? quos editurus fœtus? quod munus obiturus?ex iiſne futurus ſit, quos deſcribit Vates?

Stabant trecentum nitidi in præſlibus altis,
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent,
Tecti auro fuluum mandunt ſub dentibus aurum.

An ex iis,

Quos legere duces,& pecori duxêre maritos.

[Si vitæ (inquit Phauorinus apud Gellium lib.14.c.1.) mortiſque hominū, rerúmque humanarum omnium, tempus,& ratio, & cauſa in cœlo, & apud ſtellas foret,quid de muſcis,aut vermiculis, aut ehinis, multiſque aliis vermiculis terra maríque animantibus dicerent? An iſta quoque iiſdem quibus homines legibus naſcerentur,iiſdémque itidem extinguerentur,vt aut ranunculis, & culicibus naſcendi facta ſint de cœleſtium ſyderum motibus attributa,aut ſi idnō putarent, nulla ratio videtur cur ea ſyderum vis in hominib. valeret,deficeret in cæteris?]

Vrbium nimirum, & diuitum virorum,à quibus certum ſibi lucrum pollicentur natalitia aſtra, Genethliaci diligenter obſeruant; cæterorum, quibus nihil eſt cauſæ cur mentiantur, negligunt horoſcopos,& genituras, vt vel ex hoc ſolùm conſtare poſſit prudenti viro huic arti fallaciis inuentæ nihil aliud propoſitum eſſe, niſi lucrum, nihil aliud Genethliacos ſpectare,niſi quæſtū, quibus Ennij vetuſtiſſimi poëtæ carmen aptiſſimè congruit:

Sui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Geminorum diſſimiles exitus.

VVLGARE illud argumentum & omnium ſermone contritum aggredimur, quod quotidie magis vrere ſolet Genethliacos, cur Gemini qui eadem ſortiti ſunt aſtra genitalia, paremque ortum, diſparem ſæpe nanciſcantur fortunam, ſexum, corporis temperiem, & formam, mores, vitia, ſtatum, & conditionem; ſi enim perinde, vtcumque temperatum cœlum fuerit, ita pueri orientes animantur, atque formantur, & ex eo ingenia, mores, animus, corpus, vitæ ratio, caſus cuiuſque, euentuſque finguntur. Vnde quæſo eſt, eorum, qui ſimul naſcuntur, ſexus diſparitas, formæ diſſimilitudo, morum diuerſitas, contraria corporum conſtitutio, vitæ, mortiſque genus diuerſum? [Vno eodémque corporis puncto nati (inquit Tullius lib. 2. de diuinat.) diſſimiles & naturas, & vitas, & caſus habent, Proclus, & Euryſthenes Lacedæmoniorum Reges gemini fratres fuerunt. At hi nec totidem annos vixerunt; anno enim Procli vita breuior fuit, multúmque is fratri rerum geſtarum gloria præſtitit.] Nouimus Geminos (inquit S. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei, capite ſexto) diuerſi ſexus, ambo adhuc viuunt, ambo ætate vigent adhuc, quorum cum ſint inter ſe ſimiles corporum ſpecies, quantum in diuerſo ſexu poteſt, inſtituto tamen, & propoſito vitæ ita ſunt diſpares, vt præter actus, quos neceſſe eſt à virilibus diſtare fœmineos, ille in officio comitis militat, & à ſua domo penè ſemper peregrinatur; illa de ſolo patrio, & de rure proprio non recedit. Inſuper (quod eſt incredibilius, ſi aſtra fata credantur; non autem mirum, ſi voluntates hominum & Dei munera cogitentur) ille coniugatus, illa virgo ſacra eſt, ille numeroſam prolem genuit, illa nec nupſit, &c.] Vrget eumdem locum Plinius libro ſeptimo naturalis hiſtoriæ, cap. 49. qui poſtquam multa falsè in Aſtrologos fudit ad extremum, [Homerus (inquit) eadem nocte natos Hectorem, & Palydamanta tradit, tam diuerſæ ſortis viros C. Mario, & Cn. Carbone B. tert. Conſſ. ad Quintum calendas Iunias. Marcus Cæcilius Rufus, & Cn. Licinius Caluus eodem die geniti ſunt oratores quidem ambo, ſed tam diſpari euentu. Hoc etiam iiſdem horis naſcentibus in toto mundo quotidie euenit, pariterque domini, ac ſerui gignuntur, Reges, & inopes.] Quin & Poëtæ quoque hoc loco inſultant vehementiùs, & Genethliacos omni præſidio deſtitutos exagitant inſolenter.

Vna eadémque dies (inquit non aliquis) *eadem quoque protinus hora,*
Atque idem minimi temporis articulus,
Humana, in lucem, duo corpora protulit almam:
Patria ſic natis vna duobus erat.
Fulſerunt eadem naſcentibus aſtra duobus,
Atque vno radios conſeruère modo;
Idem ſyderibus poſitus, reſpectus, & idem,
Diuerſum mundi nil habuère plaga.
Iam qua natalis pars ſit violentior hora,

Digitized by Google

Quo cœlúmve illis ordine fata dicent?
Deſine ſcrutari numeris Babylone petitis,
Atque polos bis ſex ſtringere cardinibus.
Alter ad eximios maturè euectus honores
Firminus fati munere magnus erit.
Nobilitate,opibúſque potens augebit heriles,
Alter in attrito tegmine verna latet.
Atqui non alius reſpexit Iuppiter illum:
Non alia effluxit Luna, Venúſque domo.
Non alios cœlo ſatus,aut Cyllenius ignes
Extulit, aut aliam Martia ſtella facem.
Excepit radiis Titonia lampas iiſdem
Impoſitum gremio matris vtrumque ſua.
Non alius vita ordo, non porta planetas
Infera non denſa ianua noctis habet:
Non media cuſpis lucis, non templa potentis
Fortuna: genij ſiue dicata loca:
Nil non ambobus commune volubilis æther
Affectaq́, aſtris continuêre domus.
Quòd ſi fata hominum facie natalis Olympi
Monſtrantur, nulla vana futura die.
Cur in Firminum cœlum nil iuris habebit,
Seruitio collum qui premit alterius?
Cur miſer obſcœnos tolerabit verna labores,
Firminum fato tot cumulante bonis?
Cur ſimile eſt illis eadem, quos aſtra tuentur
Totius vita conditione nihil?
Scilicet æterni quæ ſint decreta parentis,
Arbitrio oſtendit linea ducta tuo?
O vani ſtudiorum, ô ſeſe fallere ſueta
Pectora, & infami decipere arte modi!
Quid duodena poli templa,aſtrorúmque meatus
Et formidatis quid fatui radios?
Cogitis in numerum, & mortalibus ardua fata
Ambiguis trepidi quæritis in tabulis?
Gratia, fama, valetudo,genus, & pudor, & res,
Et ſtatus, & vita conditio,ſoboles,
Et quæcumque homini contingunt aſpera, ſiue
Proſpera, mortali dum pede calcat humum,
Soli nota Deo ſunt, quem penes omnia ſolum
Nutibus hic fatum temperat omne ſuis.
Non illos ſtellæ, aut genitalis angulus horæ,
Aut poſitu variant aſtra notata ſuo.
In corpus, mentémque tuam, quod fingis, & horres,
Nullus is corporibus ius dedit æthereis.
His qui detulerit liquet,ipſáque nomina rerum
Priſca relliquias impietatis habent:

Auctoris

Auctoris documenta ſuiſq́ue ampliſſima præbent
Vnum quæ potuit non tolerare Deum.

Ita Poëta rudis ſatis,& impolitus,non poëtica quidem leuitate, nec fœlicitate ingenij, ſed rei euidentia Aſtrologiam peſſundat, & Aſtrologis artis ſuæ vanitatem pudendam exprobrat, adeò non ſapientibus modò, verum etiam vulgaribus hominibus Genethliaca habetur ludibrio, hoc Geminorum argumento. Quare plerique Aſtrologiæ Patroni, vt fugientem artis ſuæ dignitatem vtcumque retineant, negare aggreſſi ſunt Geminos ſub eodem cœli poſitu oriri: Inter Geminorum enim ortus,cùm aliquid ſemper temporis intercedere oporteat, quouis autem, vel breuiſſimo temporis momento rapidiſſima cœli conuerſio inſignem faciat aſtrorum variationem: Ex ea aiunt oriri diſſimiles Geminorum mores, diſpares caſus, vitam, mortem diuerſam. Refert enim Petrus Aponenſis Arabi cuiuſdam ſententiam, cœlum qualibet hora aſcendere viginti quatuor millia Robuth,hoc eſt,decem millia ſtadiorum,ſtadium quodlibet continere 10000. momenta, & momenta ſingula propriam habere vim, & poteſtatem. Itaque negant in tam præcipiti cœli vertigine, Geminos ſub eodem aſtrorum ducatu naſci. Id quod P. Nigidius is de quo Lucanus lib.1. canit:

At figulus,cui cura Deos ſecretaque mundi
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque mouentibus aſtra.

Is, qui Auguſto nato orbis terrarum imperium prædixit, declarauit exemplo rotæ à figulo quàm citiſſimè contortæ, quam currentem cum bis quanta maxima potuit celeritate atramento ſignaſſet, reperiſſetque deſciſcente motu magno quodam interuallo duo illa ſigna diſtare. [Sic (inquit) minima etiam momenta ingentes cœlo faciunt mutationes, nec ſi alter poſt alterum tanta celeritate naſcatur, quanta rota bis percuſſa fuit, propterea Gemini eadem cœli, aut ſtellarum conſtitutione naſcuntur.] Hinc ille, quæcumque diſſimilia perhibentur,in moribus caſibúſque Geminorum deduxit.Sed quid agit hic rota figuli? Figmentorum habemus ſatis ab Aſtrologis, non egemus figulorum opera. Cœleſtium conuerſionū celeritatem maiorem eſſe intelligimus, quàm vt quiſquam conſequi poſsit cogitatione. Variari per ſingula momenta aſtrorum ſitus fatemur libenter;ſed ſi tranſuolantis temporis leuiſsimum momentum, tantas cœlo facit mutationes, cur Aſtrologiæ Magiſtri in genituris prætermiſsis momentis dierum ſolum & horarum rationem habent? Legantur centum genituræ Cardani, videantur quæ vulgo circumferantur natalitia ſchemata, mentior, ſi pleraque eorum quæ diuinant, notata ſolum die, & hora ortus,non diuinat. Quòd ſi tantas vtriuſque fortunæ commutationes faciunt, vel leuiſsima temporis momenta, nemo autē notare poteſt tranſuolantis temporis citatiſsima momenta, nónne conſequens eſt, Genethliacos non poſſe obſeruare natalitia aſtra,hiſque ignoratis non poſſe quidquam ex aſtris præſagire? Quid quod Hippocrates,Medicorum parens, ſcriptum reliquit, inter geminos quoſdā fratres, tantam corporis animique cōſenſionem interceſsiſſe,vt altero ægrotante, alterum morbus idem continuò corriperet, altero grauato, grauari & alterum,conualeſcente altero,alterū quoque leuari? nónne Poſsidonius, cæterique Aſtronomi in aſtra retulerunt? eodémne momento, an diuerſo,hos mater fuderat in lucem? ſi diuerſis orti ſunt aſtris,vnde tanta naturæ

cognatio? ſi eodem dicas ortos momento, mulierum conuitiis obrueris.

Præterea cùm generatim eam ſimilitudinem, quæ inter Geminos interdum maxima intercedit, natalitiis aſtris tribuant huius diſciplinæ Magiſtri, & rurſus quando moribus, ſexu, forma diſſimiles prodeunt gemelli, negent iiſdem eos ortos ſtellis, & nunc negent magni eſſe momenti breue temporis interuallum, nunc maximam contendant vim eſſe vel leuiſſimi momenti, quod inter Geminorum ortus intercipitur, nónne apertè nugas agunt? Confugient fortaſſe ad varias graduum, minutorum, particularum proprietates de quibus cap. 22. 23. ſed fruſtra: nam cum non poſſint Aſtrologi ſyderum congreſſus ita certò prædicere, quin vna aut altera hora aberrent, quod declarant eclipſes quæ nunquã tabulis perfectè reſpondent, quod oſtendunt diſſentientes Aſtrologorum tabulæ, Alphonſi, Copernici, Tychonis, & aliorum, quod omnium Aſtrologorum confeſſione conſtare oſtendimus ſuprà c. 22. Si ergo tantum eſt momenti in quacũque vel minima tẽporis varietate, conſequens eſt non poſſe Genethliacos obſeruare aſtrorũ congreſſus, quib. infantes prodeunt in lucem.

Denique quando ſuprà docebamus nõ potuiſſe Genethliacos ſyderum vim experiendo obſeruare, propterea quòd experimentum naſcitur ex eiuſdem rei ſępius iterata actione, & Genethliacos nõ potuiſſe notare minutiſſima temporis momenta, per quæ variantur aſtrorum congreſſus, & conſtitutiones, idcirco non potuiſſe ſæpius experiri quid ſinguli aſtrorum congreſſus valeant, nónne reſponderunt nihil ad rem facere temporis momentaͅ oportebat mendaces eſſe memores.

Id velim (inquit Phauorinus apud Gellium lib. 4. cap. 1.) vt reſpondeant, ſi tam parum, atque rapidum eſt momentum temporis in quo homo naſcens fatum accipit, vt in eodem illo puncto, ſub eodem circulo cœli, plures ſimul ad eamdem competentiam naſci non queant, & ſi idcirco Gemini quoque non eadem vitæ ſorte ſunt, quoniam non eodem temporis puncto editi ſunt; peto reſpondeant curſum illum temporis tranſuolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi poteſt, quónam pacto aut aſſequi queant, aut ipſi perſpicere, & deprehendere, cùm in tam præcipiti dierum noctiúmque vertigine minima momenta ingentes dicant facere mutationes? Hæc expediant, ſi poſſunt: ſi nequeunt, deſinant hominum fata decantare, quæ eorum ſententia ex minutiſſimis momentis, & ab humana mente incomprehenſis dependent.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

Qui diſſimilem ſortiti ſunt ortum, ſimilem ſæpe ſortiuntur interitum.

MIRVM eſt, quàm multis argumentis pateſiant Aſtrologorum, & Aſtrologiæ fallaciæ. Vidimus ſuperiori capite, quàm perſpicuè Aſtrologicæ rationes aberrent in iis, qui eodem editi ſunt partu, nec eumdem tenuère vitæ curſum, nec idem obière mortis genũs.

Ecce tibi ex aduerſo multi diſſimillimis orti natalibus, qui idem ſectantur vitæ inſtitutum, eamdem profitentur religionem, idem ſuſcipiunt iter, eadem feruntur naui, eamdem ſequuntur militiam, eodem occumbunt mortis genere.

Nauigent

Nauigent ergo in aperto, & procelloſo mari, vnde facultas errandi nulla ſit quingenti diuerſis regionibus orti, Germani, Galli, Græci, Arabes, Ægyptij, Angli, Itali, inter quos duo, treſve ſint, quibus ex aſtris tunc ſit fatale naufragium, cæteris fœlicè aſtra ſpondeant nauigationem, mergetúrne nauis? quadraginta, & amplius horoſcopi fallaces erunt, enauigabit incolumis? mentientur aliorum aſtra. Dices, opinor, emerſuram nauem, ſi plurium horoſcopi ſoſpitatem polliceantur, interituram, ſi plures ij ſint, qui malignis aſtris vrgentur; nec mirum ſi duo, treſve horoſcopi vincantur fœlicitate, vel malignitate multorum. Sed temerè id dices; nam quis niſi inſanus iuraucrit quoties merguntur naues in alto mari, vectores, & nautas omnes, vel maiorem eorum partem agente Genethliaco reos eſſe naufragij? ſed eſtò, vincant plures; pauci igitur, quos aſtra damnauerant naufragio aliòve periculo multorum liberantur facta, nihil ergo Aſtrologi ex ſingularibus genituris diuinare poſſunt de vita & morte, de itineribus & exercitatione nati, quæ dependent non ab vnius ſed à multorum horoſcopo: omnium enim qui ſunt in mari, vel naui diuerſis cùm ſint nati regionibus, genituras perſpectas habere non poſſunt, naufragium, vel incolumitas nauis dependet à plurium horoſcopo, à naufragio, & incolumitate nauis vniuſcuiuſque vita, & mors, à vita, & morte reliqua omnia. Ignorato itaque vel vnius horoſcopo, nihil Aſtrologus de vllius vita, aut interitu, de compendio, aut diſpendio, de liberis, aut vxoribus prædicere poteſt. Quod de naufragio diximus, de communibus aliis calamitatibus dictum volo, quas neceſſariò plures ſubire oportet. Cogitent igitur Genethliaci, quid reſponsũ velint M. Tullio lib. 2. de Diuinatione interroganti, Omnéſne, qui Cannenſi pugna ceciderunt, vno aſtro fuerint orti? quid Phauorino obiiciant apud Gellium requirenti cur homines vtriuſque ſexus omnium ſtatum, diuerſis ſtellarum motibus in vitam editi, regionibus geniti longè diſtantibus, aut hiantibus terris, aut labẽtibus tectis, aut oppidorum oppugnationibus, aut tẽpeſtate, aut fulmine, eodem genere mortis, eodémque ictu temporis intereant? quod ſcilicet inquit nunquam eueniret, ſi momenta naſcendi ſingula attributa, ſuas vnumquodque leges haberet. [Quòd ſi quædam (inquit) in hominum morte, atque vita etiam diuerſis temporibus editorum per ſtellarum pares quoſdam poſtea conuentus, paria nonnulla, & conſimilia poſſe dicuntur obtingere; cur non aliquando poſſent omnia quoque paria vſu venire, & exiſtant per huiuſmodi ſtellarum concurſiones, & ſimilitudines, Socrates ſimul, & Antiſthenes, & Platones multi genere, forma, ingenio, moribus, vita omni, & morte pari? quod nequaquam (inquit) prorſus fieri poteſt. Non igitur hac cauſa probè vti queunt aduerſum hominum impares ortus, interitus pares, &c.]

Vidit huius rei difficiles explicatus Hieronymus Cardanus, timuitq; Aſtrologiæ extremam euerſionem, idcirco annorum, menſium, dierum reuolutiones inſtituit, quibus generales quoſdam euentus, & pluribus communes expediret. [Longa (inquit lib. de reuolutionibus, c. 1.) ſatis ſerie à nobis pertractatum eſt de futurorum generibus, & qualitatibus, ſed cùm diſtinctio temporũ rei veritatem indicet (nam cunctis cuncta conueniunt, aut non) ſit vt ſolùm in genere æſtimatiuo collocetur Aſtrologia; ſi temporum determinata conditio auferatur, multa etiam ab euentis vniuerſalibus permutantur eorum quorum ratio ex ſingularium geniturís omnino non pendet; nam non poteſt vnum genus mortis tot, tantiſque viris diuerſis regionibus, temporibúſque or-

tis vna hora conuenire, niſi à quadam vniuerſali cauſa complectantur. Ideo ratio etiam vniuerſalium ſemper habenda eſt, &c.] Item lib. de Iudiciis, c. 25. [Cùm peſtis (inquit) bellum, naufragium originem à ſyderibus accipit, communis fit conſtellatio, ſeu ſyderum congreſſus, rapit autem eos, cum quibus conuenit regione; nam belli quod apud Italos celebratur, Indi, & Æthiopes omnino ſunt expertes; deinde itinere, neq; enim fieri poteſt, vt Romanus Romę exiſtens Cannenſi clade cadat: Neceſſarium eſt autem, vt ſigna itineris conueniant; ſed non ſemper ſigna itineris apparent; nam ex ordine illo ab initio fuit, erat enim eques, aut legionarius miles. Rurſus violentia cauſæ generalis tum ſingularis genitura ſunt comparandæ, vis autem generalis, ſingulari æqua lance præferri debet, quis enim vitæ ſignificator proderit illi qui medio mari periclitatur? ob hoc aduerſus fatum nulla prouidentia, aduerſus ſyderum decreta, magna frequenter prodeſt.] Rurſúſque li. de reuolutionibus c. 3. [Secundum quod quæritur eſt, an cuiuſlibet euentus, qui per reuolutionem oſtenditur, ſignificatum in genitura ſit conſtitutum, an verò reuolutio per ſe ſit ſufficiens aliquid omnino ex nouo condere? Reſpondemus in genere quidem eſſe neceſſariũ, in ſpecie autem nequaquam. Vnde cùm cuilibet in genitura mortis ſignificata ſint conſtituta, non inconuenit quolibet tempore, & mortis genere mori; cùm autem non in omni genitura coniugis ſignificata ſint, nulla poterit efficere reuolutio, vt illud eueniat, cuius ne ſignificatum quidem in genitura ſit conſtitutum, minimùm tamen veſtigium ſufficiet validæ reuolutioni; debili autem reuolutioni validæ geniture indicatio requiretur.

Itaque ſi quis genituram reuolutionibus comparauerit, cùm per æternos motus ſit connexio, meritò potuit quis dicere, in genitura quæcumque ventura ſint perfectè contineri, &c.]

Iterum infrà: [Superuenientibus reuolutionibus, malum conuertitur in bonum, vel bonum in malum, &c.]

Hæc Cardanus, & videtur ſibi nouus Hercules Taurũ interemiſſe qui Cretam Inſulam deuaſtabat: ſed fallitur, ſiquidem annuæ reuolutiones non probantur Aſtrologiæ Principibus, vt videre eſt apud Albertum Pighium Apologia pro Aſtrologia, Auguſtinum Niphum lib. de cauſis calamitatum noſtrorum temporum, apud Picum Mirandulanum libr. 7. cap. 5. 6. 7. Et magna ratione non probantur, quia, vt ait Ptolemæus libr. 2. Apoteleſmatum, nullum certum conſtitui poteſt anni principium, vnde reuolutio deſumatur in circulo, inquit Ptolemæus, nullus cogitare principium ſimpliciter poterit, in Zodiaco autem ea quidem principia iure quis conſtituet, quæ æquinoctis, atque ſolſtitiis terminantur, quæ ſunt quatuor, duo ſcilicet æquinoctia, & duo ſolſtitia. Verùm hic locus hæſitationis aliquid habet, an aliquid horum quatuor ſit præponendum, nam ſi ipſam quidem circularem naturam ſpectes, nullum eorum ſingulare principij priuilegium obtinebit. Vtuntur autem, qui de his ſcripſerunt, aliquid ſupponentes diuerſimodè vnoquoque illorum quatuor quaſi principio moti ab aliquibus eorum propria ratione, naturalique conſenſu; habet enim vnaquæque illarum partium particulare aliquid, & excellens, vnde ſibi principij & noui anni auctoritate videatur vendicare, vt vernum æquinoctium, quòd tunc primum dies nocte incipiet longior fieri, & quia tempus id anni abundat humiditate, quæ qualitas, & natura, vt ſuprà diximus, in omni principio gerendarum rerum plurima

rima eſt. Æſtiualis Solſtitij prærogatiua hæc eſt,quod tũc maximè dies in ſuo quaſi faſtigio, conſummationéque producitur, tum verò apud Ægyptios inundat Nilus,& Canicula exoritur. In Autumnali æquinoctio fructus omnes colliguntur, & terræ ſemina iaciuntur. In Brumali Solſtitio poſt decrementum incipit dies tunc primum augeri, quod autem mihi conuenientius,& naturæ conſonum magis videtur, hoc eſt, vt in obſeruatione rerum anni quatuor illis principiis vtamur, obſeruantes quæ ante illa proximè fiant Solis, & Lunæ,vel coitus, vel oppoſitiones, & præſertim eclipticas, ita vt ex principio, quod ſumitur ex Ariete, Ver quale futurum ſit præuideamus, ab eo verò quod à Cancro Æſtatem,à Libra Autumnum,Hyemem à Capricorno.] Hæc Ptolemæus.

Cardanus verò, qui fatetur reuolutiones non eſſe ad mentem veterum Aſtrologorum,ſed ſe earum auctorem glorioſè facit,& c.6.li.de Iudiciis:magnifico titulo de ſignificatis reuolutionum, & de modo iudicandi ex propria noſtra ſententia,non dubitauit prænotare.Nónne veterem omnem Aſtrologiam veterúmque Genethliacorum experimenta repudiauit? repudiauit ille quidem, ſed nondum quem ſuſceperat explicandum nodum ſoluit; reuolutiones enim nihil efficere poſſe quod in genitura non contineatur docet Cardanus lib.de reuolutionibus,c.3. & lib.de iudiciis,c.6.[Scire debet (inquit) naram reuolutionum ſequi naturam geniturarum,ſed debilius, veluti ſi Mercurius & Venus in genitura fuerint, in aſcendente faciunt habilem ad tractanda negotia leuia,& artes,& ad conuerſandum cum hominibus. Si igitur mihi idem contingat in reuolutione quamuis in genitura fuerit in ſexta, non in prima, & Iupiter fuerit in prima, ero tamen habilior ad hæc illo anno reſpectu dico mei,non tamen aliorum, &c.]Et qui Cannenſi pugna ceciderunt diuerſis regionibus, & temporibus orti, qui non potuerunt eiuſdem mortis ſigna in genitura habere, non ergo aſtrorum,ſed pilorum telorumque reuolutiones eos interemerunt.

Cur non omnes ea clades deleuit Romanos? nullus erat alius his reuolutionibus ſubiectus?cur Romanos magis,quàm Pœnos afflixit?an quia Pœnorũ genituræ illius diei reuolutioni reſiſtebant,non Romanorum?ô lepidum commentum? Cur viros potiùs, quàm mulieres Romana, ea reuolutio tranſuerſum egit? nugæ nugarum. Adhæc reuolutiones quas inuexit Cardanus, in dubiam incertámque fidem Aſtrologorum omnes prædictiones adducunt, & Aſtrologiam ipſam ab humano captu longè repellunt; cùm enim genitalium ſyderum,cùm reuolutiones annuæ vel retundant, vel acuant, vel infirment, vel confirment, vel temperent, vel reprimant, vel infringant,vel tollant,rurſus annuæ reuolutiones ſimili ratione à menſtruis dependeant,& hæ à nocturnis, & diurnis, hæ denique ab horariis, & momentaneis, nemo autem prӕcurrendo omnes vnius hominis annos, menſes, dies, noctes, horas, momenta, inire poſſit rationem omnium reuolutionum, quæ ad eum pertinent, neceſſariò efficitur Aſtrologicas prædictiones eſſe humanis mentibus planè inacceſſas. Quòd nec Cardanus inficiari potuit libro de reuolutionibus, cap. 8. [Scias (inquit) quòd qui fecerit omnes reuolutiones à principio natiuitatis vſque in finem ſine intermiſſione, & experientia compararit tria, vel quatuor accidentia illius, & veritatem illorum quæſierit per reuolutionem anni, menſis, & diei, & horæ, ſolus ille exactè iudicabit

de

de tota vita illius ſine errore,& confuſione,& omnis alius deuiabit à recto iudicio,&c.]Rurſus c.5.eiuſdem libri.[Cùm autem optimus Aſtrologus(inquit) natiuitatem ſine reuolutionibus conſiderauit,dupliciter continget ipſum longè falli, & optimam geniturampeſſimam iudicare,peſſimam verò ſummis extollere laudibus.Primò,cùm optima promiſſa,vel peſſima ad ſimilem referunt ætatem, ipſe verò occurrente reuolutione,vel directione præuenitur, non habebit ille veſtigium eorum quæ à genitura promiſſa ſunt: ſecundum eſt, cùm ſuperuenientibus pluribus reuolutionibus,malum conuertitur in bonum, vel bonum in malum,&c.

Nihil præterea reuolutiones efficere poſſe, cuius ſignū aliquod in genitura nō exiſtat, auctor eſt Cardan.li.de reuolutionibus,c.3.li. de Iudiciis,cap.25.At multi in mari, in bello, in peſte pereunt,non ſolùm ſine vlla genituræ ſignificatione,ſed etiam contra eiuſdem decreta, vt fatetur idem Cardanus libr.de Iudiciis,c.25. Non itaque reuolutionibus intereunt, qui vel clade,vel peſte,vel naufragio pereunt, ſed aliis cauſis.Quid multa?Non eſt neceſſe rationibus vrgere reuolutiones, quas res ipſæ,euentáque quotidie refellunt. Legantur eorum prædicta,qui per ſingulos dies temporum viciſſitudines diuinant; ex huiuſmodi reuolutionibus facilè patiar tantum fidei genituris haberi, quantum in his prædictionibus veritatis quotidie deprehendimus.

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

Quodlibet ex qualibet genitura conficere poſſe Aſtrologos.

In tanta euentuum varietate,qui terra,mari,aëre,ad Septentrionem,ad Meridiem,ad Orientem,ad Occidentem,in vrbibus,in pagis,in agris, in ſyluis, inter homines, inter muta animantia,ſingulis annis, menſibus,diebus,horis, momentis,publicè,& priuatim,domi, militiæ, principibus viris,& populo,Magiſtratui,& plebi, Regibus,Prælatis eccleſiaſticis,& laicis, rei priuatæ,& publicæ eueniunt,quia magna Genethliaci laborabant cauſarū inopia:intelligebant enim ſignorum Zodiaci,& Planetarum numerum imparem eſſe multitudini rerum, quæ toto mundo fiunt, coacti ſunt varia cœlo fingere aſtrorum gaudia, Abſides,Antiſcia,nouenarias facies, curſus, carpenta,familiaritates,odia, exaltationes,deiectiones,Alfridaria, fines, decanatus, ducatus, defluxus, domicilia,loca,pro quorum varietate,varios ſtellæ funderent effectus.Quare Cardanus lib.de Iudiciis geniturarum, c. 26. Ex hoc(inquit) patet cauſa, cur tot inuenerint nugas,partes, facies nouenarias; quia nō poterant tot rebus,quæ homini eueniunt,ſitu ſolùm ſeptem Planetarum ſatisfacere, vnde hæc figmenta inuenerunt.

Sed nimirum inciderunt in Scyllam,cupientes vitareCharybdim,tam multa toto cœlo collocarunt commenta, tam varias, & contrarias ſingulis cœli particulis vires attribuêre,vt ex qualibet genitura, quælibet quamquam prodigioſa euenta deduci poſſint,liceátque Aſtrologis ex qualibet genitura nos magnis onerare promiſſis.

Quemadmodum marmora quædam ſunt multis natura imbuta coloribus, variis

variiſque aſperſa maculis,in quibus qua vndatim,qua criſpatim excurrentibus coloribus, interuenientibus etiam, & ſibi occurrentibus venulis quibuſdam, & lineis, alij equum, nauem alij, alij arbores, alij ſerpentem, alij piſcem, alij Apollinem cum Muſis,alij Auguſtum Cæſarem,alij Tiberium,alij Nilum cum ſexdecim liberis, alij alia ludibria ſibi ſpectare videntur, cùm tamen in marmore nihil aliud ſit, niſi commiſtio quædam diuerſorum, variorúmque humorum. Ita in genituris, in quibus nihil eſt aliud, quàm ſtellarum ſitus, & lineamenta quædam, Aſtrologi & Reges,& Pontifices,& Poëtas,& Hiſtoricos, & honores, & dignitates, & opes, & vxores, & liberos vehementi agitatione mentis ſibi fingunt. Hoc ipſum alio exemplo docet S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana,cap.24. [Sicut vna figura literæ (inquit) quæ decuſſatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non natura,ſed placito, & conſenſione ſignificandi; & ideò qui vtramque linguam nouit, ſi homini Græco velit aliquid ſignificare ſcribendo, non in ea ſignificatione ponit hanc literam,in qua eam ponit, cùm homini ſcribit Latino. Et beta vno eodémque ſono apud Græcos literæ, apud Latinos oleris nomen eſt: & cùm dico, Lege, in his duabus ſyllabis aliud Græcus, aliud Latinus intelligit. Sicut ergo hæ omnes ſignificationes pro ſuæ cuiuſque ſocietatis conſenſione animos mouent;nec ideò conſenſerunt in eas homines,quia iam valebant ad ſignificationem; ſed ideò valent, quia conſenſerunt in eas: ſic etiam illa Signa, quibus pernicioſa dæmonum ſocietas comparatur, pro cuiuſque obſeruationibus valent,&c.] Quid igitur mirum,ſi non eadem ſunt de eadem genitura iudicia, &, vt ait Cardanus lib. de reuolutionibus, cap. 3. ſi optima genitura peſſima iudicatur,peſſima iudicatur optima?

Res exemplo fiet manifeſta magis. Tradunt Genethliaci aſtrorum vires debilitari, aut confirmari, acui, vel retundi, extingui, vel excitari, tolli, aut corroborari,quando exaltantur,aut deiiciuntur,vel quando ſunt nocturna,aut diurna, quando ſunt domi ſuæ, aut demorantur in aliena, quando ſuos habent fines,aut ingrediuntur alienos,quando matutina, aut veſpertina ſunt, quando Auſtralia ſunt, aut Septentrionalia, quando in Signis maſculinis, aut fœmininis, pigris,aut deiectis, quando iuuantur aliorum benigno aſpectu, aut maligna radiatione perſtringuntur,quando gaudent,aut triſtantur,quando veſpertina, aut matutina ſunt, quando genituræ dominantur, aut aliis deſeruiunt, quando ſupra, aut infra terram diſcurrunt, quando in loco ſunt à maligna ſtella infecto,vel ſoluto,& libero, aliiſque ſexcentis modis.

Rurſus cælum vniuerſum in duas partes ſecant, ab Ariete ad Libram aiunt Solem exaltari,à Libra ad Arietem deiici; Lunam verò exaltari à Tauro vſque ad Scorpium, deiici à Scorpio vſque ad Taurum; alióſque Planetas in aliis Signis deiici,vel exaltari,vt videre eſt apud Ptolemæum lib. 1. de Iudiciis,cap. 18. Et in exaltatione aſtrorum maximas eſſe vires,in deiectione exiguas. Idem cælum iterum alia ratione diuidunt in duodecim domos, vt ſuprà retulimus cap. 17. Soli tribuentes Signum Leonis, Lunæ, Cancri, aliáſque domos aliis Planetis, qui in illis potiſſimùm vires ſuas exercent. Iterum ſingula Zodiaci Signa in tres partes tribuerunt, eiſque tres decanos attribuêre: quod ex Firmico deſcripſimus ſuprà cap.21.22.24. Quamuis igitur totum Signum domus ſit Saturni, Martis, & alterius, in ea tamen admittit alios decanos, qui in ſuo decanatu, & finibus tantumdem valet, quantum domi ſuæ; ſingula prætereà

Digitized by Google

Zodiaci Signa vni ex his quinque Planetis, Saturno, Ioui, Marti, Veneri, Mercurio depurauerunt. His addiderunt directiones varias, multiplicesque reuolutiones, Alfridaria, & Abſides, caudam, caputque draconis, triangula, dextra, ſiniſtra, ignea, aërea, aquea, hexagona, tetragona, item dextra, ſiniſtraque, quadrata, antiſcia, dodecatemoria, aliaque innumera, quibus referti ſunt libri Cardani, Iunij, Bellantij, Gaurici, aliorumque.

Itaque quodcumque aſtrorum, quacumque cæli parte conſtitutum ſit, tam multis obnoxium faciunt extrinſecis cauſis, quibus in omnem partem eius virtus trahitur, vt nullus ſit adeò prodigioſus euentus, quem ſagax, & paulò acutior Aſtrologus ad illud referre nequeat. Quo fit, vt qui genituras obſeruant, cùm alius vnum, alius aliud triangulum, alius vnam, alius aliam directionem, aut reuolutionem, aut antiſcia, aut radiationem ſpectat, nullus autem omnia, quæ in vna genitura inſunt, aut mente complecti, aut conſideratè expendere poſſit, contraria de eadem genitura ferant iudicia, & cui vnus Neſtoris pollicetur annos, alter breuiſſimam præſcribat vitam, cui vnus Crœſi decernit opes, alter extremam præuideat egeſtatem. Facile mihi eſſet genituras percurrere omnes Bellantij, Iunctini, Gaurici, Cardani, Firmici, & docere aſtrologicas prædictiones, quas magna hominum admiratione exitus aliquando comprobauit, non fuiſſe ex Aſtrologiæ præceptis explicatas, potuiſſeque longè aliter, quàm factum ſit, exponi; potuiſſe alias ex eis prædictiones commodè colligi: ſed quia Sixtus ab Hemminga Friſius Aſtrologiæ laude longè clariſſimus id nobis laboris præripuit, & triginta geniturarum exemplis oſtendit, quàm varios Genethliaca ſyntagmata explicatus habeant, & Aſtrologis res eſt manifeſta, ſine exemplis; alij verò, qui hanc diſciplinam non attigerunt, non poſſunt ſine moleſtia in huiuſmodi geniturarum labyrinthos induci, in quibus infinitæ ſunt ambages, cuniculi inacceſſi, creberrimæ fores, occurſus, & recurſus, infiniti errores, denique inextricabiles, breuitati hæc omnia concedemus, cùm præſertim qui ſynceræ Aſtrologiæ magiſtrum vbique agit, Hieronymus Cardanus lib. centum geniturarum, genitura 43. ea, quæ de Franciſco Sfortia Mediolanēſium Duce, anno 1401. die 23. Iunij, hora 0. minuto 20. poſt Occaſum nato, ex natalitiis ſtellis deduxerunt, fateatur ingenuè eadem de eo enunciari potuiſſe, ſi vno die antè eadem hora natus fuiſſet. Martini Lutheri hæreſiarchæ variæ circumferuntur genituræ, diuerſæ ab ea, quam ponit Cardanus lib. centum geniturarum, genitura 11. ex omnibus tamen eamdem vitæ improbitatem, proditionem Religionis, eamdem impietatem, eamdem labem morum, eumdem vitæ exitum deducunt. Audiamus Tychonem Brahe lib. de noua ſtella, pag. 777. hac de re diſſerentem: [Silentio (inquit) præterire non poſſum, quàm inconſideratè, & perperam tam Gauricus, quàm Cardanus natalitium Lutheri tempus, vnà cum huic ſuperinſtructo cæleſti ſchemate deſignarit: natus eſt enim anno 1483. die 10. Nouembris, hora 1. ante mediam noctem ſequentem, vt habet Kalendarium Eberi, cùm tamen Gauricus integro anno pòſt natiuitatem eius aſſignet: & licèt Cardanus quoad annum ipſum rectiùs ſentiat, tamen quia tam is, quàm alter diem 22. Octobris illi natalitium faciunt, ambo nouemdecim dies anticipando aberrant. Taceo, quòd Gauricus vnam horam à meridie, alter decem elapſas habeat, &c.] Viuit etiam nunc Princeps clariſſimus, quem virtus, & probitas in altiſſimo dignitatis gradu collocarunt; huius tres diuerſæ genituræ prodierunt, ex qualibet Genethliaci

noſtrates

noſtrates eum eodem anno, eodémque die ad illum dignitatis gradum, quem magno iam Chriſtianæ Reipublicæ bono obtinuit, euehunt. Quæ eſt igitur iſta ars? quæ iſta diſciplina, quæ Aſtrologorum declarat ingenium potiùs, quàm aſtrorum vim, & poteſtatem? Quid aliud ſignificant contrariæ de eadem genitura ſententiæ, vel de diuerſis eadem iudicia, niſi ingeniorum acumen, coniecturas, huc, illúcque ducentium?

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

Aſtrologorum veras prædictiones nihil fauere huic diſciplinæ.

NVLLA res maiorem Aſtrologiæ conciliat auctoritatem, quàm prædictiones quædam admirabiles, quas præter omnium opinionem euentus confirmant. Quo die natus eſt Auguſtus, in curia agebatur de Catilinæ coniuratione. Octauius pater cùm ſeriùs in Senatum veniſſet, & vxoris puerperium excuſaſſet, P. Nigidius clariſſimus per ea tempora Mathematicus cùm partus horam accepiſſet, affirmauit dominum terrarum orbi natum. Itaque Auguſtus imperium adeptus thema ſuum vulgauit, nummóſque argenteos Capricorni Signo, quo editus eſt, notauit, deſcriptúmque ſtellarum ordinem, ſub quibus natus erat, in vulgus dedit. Sub eadem fermè ſyderum conſtitutione Coſmus Medices, qui Florentinorum Dux electus fuit, natus Capricorni Signo, non ſolùm in nummis, ſed etiam in vexillis, & publicis operibus vſus eſt. [Tiberius Nero ab Auguſto in Rhodum inſulam relegatus, ibi plurimam huic arti Thraſyllo magiſtro operam dedit, quem in rupes quaſdam inductum interrogauit, ecquid ſibi aſtra portenderent. Imperium, reſpondit Thraſyllus, magnámque fœlicitatem. Percuntatur rurſus, an ſuam quoque genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, quam diem ageret. Ille poſitus ſyderum, & ſpatia dimenſus hærere primò, deinde pauere, & quantum introſpiceret magis, tantò magis ſibi timere cœpit, tandem exclamat ambiguum ſibi, ac propè vltimum diſcrimen à Tiberio inſtare: tum complexus eum Tiberius præſcium periculorum etiam incolumem fore affirmauit, cùm idem, die quadam iuxta mare ambularet, & Tiberium ægrè exilium illud ferentem hortaretur, vt meliora ſperaret; ille iracundiâ percitus, in mare vanum Aſtrologum agere voluit. Tum Thraſyllus conuerſis ad mare oculis vidit nauem Rhodum venientem, affirmauítque eam nauem fœlicia Tiberio allaturam. Naue in portum delata, Tiberius literas ab Auguſto, Liuiáque accepit, quibus Romam reuocabatur.] Dion in Auguſto. [Idem Tiberius rerum potitus, nihil habuit antiquius, quàm Romanorum ciuium genituras introſpicere, atque animaduerſa eorum fortuna, & moribus, multos necari iuſſit, quos ſuſpectos habuit; & Galbæ, qui poſteà imperium obtinuit, prædixit, Et tu aliquando principatum deguſtabis: ſignificans eum ſerò, & breui tempore regnaturum; quod & euentus comprobauit.] Cornelius Tacitus lib. 1. annal.

Neronem Claudium Cæſarem 18. Kalend. Ianuarias natum ante Solis ortum Aſtrologus, qui conſpexerat ſyderum curſum, Romæ regnaturum reſpondit, ſed occiſurum matrem. Quod cùm Agrippina mater audiuiſſet, Interficiat,

Digitized by Google

reſpondiſſe fertur, modò imperet. [De genitura eius (inquit Suetonius) ſtatim multa, & formidoloſa multis coniectantibus, non fuiſſe coniecturas vanas, euentus declarauit. Veſpaſianus verò Aſtrologiæ peritiſſimus ſuæ genituræ tantum fidit, vt inter continuas coniurationes Senatui affirmarit, aut neminem, aut filios ſibi in imperio ſucceſſuros; & Domitiano apud ſe cœnanti, & fungos tamquam venenatos reſpuenti reſpondit, à ferro ſibi eſſe cauendum. Rectè ſanè: nam à Stephano Domitillæ procuratore, Saturio decurione cubiculariorum, aliiſque iuratis ſociis ſeptem vulneribus confoſſus interiit.

Nec Domitianus ipſe minùs, quàm pater, aut Aſtrologia valuit, aut Aſtrologicas prædictiones veras comperit: pridie enim quàm periret, vt ſcribit Suetonius, affirmauit fore vt ſequenti die Luna ſe in Aquario cruentaret, factúmq; aliquod exiſteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem.

Nerua Domitiano ab Aſtrologis relatus, quòd Imperatoriam geneſim haberet, non euaſit mortem, niſi quia vnus ex iis affirmauit, eum non diu victurum. Id quod euentus comprobauit: vno enim anno, & quatuor menſibus imperium tenuit.

Adrianus item Imperator ſingulis annis Aſtrologicas prædictiones comparauit, eáſque eo anno, quo è vita exceſſit, vſque ad menſem tantùm extendit, quo mortuus eſt, intelligens ſine dubio non licere per ſydera ſibi vlteriùs fatum extendere.

Et ne omnia ad veteres illos Gentilium Imperatores ſuperſtitionis pleniſſimos reuocentur, noſtra ferè ætate Ioannem Picum Mirandulæ Comitem, virum & generis nobilitate, & ingenij ſplendore, & doctrinæ copia poſteris omnibus commemorandum, cùm duodecim libris Aſtrologicas rationes vanitatis accuſaſſet, Aſtrologi ad experimentum prouocarunt, & inſpecto eius Genethliaco, trigeſimotertio ætatis anno illum à viuis migraturum pronunciarunt. Vaticinium comprobauit euentus: quo experimento exiſtimarunt duodecim libris, quos aduerſus Aſtrologiam vulgauerat, reſponſum ſatis.

Mortuo Leone X. Pont. Max. quæſitum fuit ex Paride Ceteſario Mantuano Aſtrologo per ea tempora celeberrimo, an Cardinali Farneſio vlla ex aſtris ſummi Pontificatus adipiſcendi ſpes affulgeret. Qui in hæc verba, vt refert Cardanus, reſpondit, Sydera pro nunc non ſunt diſpoſita, ſed in aliud tempus erunt benigniora: pollicentur enim aſſumptionem ad ſummum gradum anno Domini 1534. quo ille anno renunciatus fuit ſummus Pontifex. Nec minùs illuſtris fuit, vt ait Cyprianus Leouitius lib. 8. ſuorum Aphoriſm. de morte violenta, Hieronymus Cardanus, aliique recentiores Aſtrologi, Petri Aloyſij Pauli III. filij genitura, ex qua Lucas Gauricus, Lucius Bellantius, aliique permulti eius necem die 10. Septembris anno 1547. Placentiæ patratam multò ante prædixerunt: quorum ſuaſu Paulus III. literas illi dediſſe fertur, quibus ſignificauit, vt caueret à die 10. Septembris.

Rurſus Cyprianus Leouitius, Hieronymus Cardanus, Lucas Gauricus, Ioannes Sleidanus lib. 10. Commentariorum, deſcribunt Alexandri Medices Florentinorum Ducis geneſim, in qua luce clariùs aiunt videri cædem, quam à Laurentio Medices paſſus eſt.

Mitto Caroli V. Imperatoris, Franciſci II. Galliarum Regis, Edoardi VI. Regis Angliæ, aliorúmque Principum genituras, Aſtrologorum libris explicatas, non ſine magna omnium admiratione.

Cùm

Cùm Mediolani magni nominis Aſtrologus, Galeatio Mariæ Vicecomiti Mediolanenſium Duci denunciaſſet, illum interiturum ex vulnere à ſuo vaſſallo infligendo, iracundia percitus Dux, ex Aſtrologo tunc quæſiuit, quod mortis genus ipſe eſſet obiturus. Cui Aſtrologus fidenter reſpondit, ſe in publico ex caſu trabis exceſſurum; tunc Dux vt falſas eius præſagitiones oſtenderet, iuſſit illum capite plecti. Paratur locus, pulſatur campana, concurritur vndique ad funeſtum Aſtrologię ſpectaculum, occupantur feneſtræ, onerantur tecta, refertæ domus, oppletæ viæ expectantium miſerrimi Aſtrologi ſupremum opprobrium, educitur reus è carcere, ducitur ad certiſſimam necẽ, dum ante Ducis ipſius ædes ingreditur, è ſublimi cadit trabs, & è viuis tollit Aſtrologum cum carnifice; tunc enim verò timere ſibi Dux, & obſeruare Aſtrologiam, populus malè illi ominari, & cruentam Ducis mortem expectare. Nec Aſtrologia eos fefellit. Die feſto S. Stephani in Eccleſia eiuſdem inuictiſſimi Martyris, vniuerſo aſtante populo, ſpectantibus aulicis, Dux à ſuo vaſſallo multis vulneribus confoſſus interiit.

Irrideamus nunc Aſtrologos; vanos, futiles eſſe dicamus; diſſeramus contra Aſtrologica placita; ludicra, & cõmentitia eſſe oſtendamus; appellemus Aſtrologos vaniloquos, fallaces; condemnemus illos ſtultitiæ, fraudis, imprudentiæ; inuehamur in hexagona, tetragona, quadrata, triangula, domos, ſigna, gradus, ducatus, decanatus, doceamus hanc artem incertis ortam natalibus, nihil niſi futile, nihil niſi fabuloſum continere: potuiſséntne tot præſagia tã variis edita temporibus, eam veritatem conſequi, quam conſecuta ſunt, niſi Aſtrologia certis conſtaret præceptionibus, & ars eſſet veritatis plena? Poſſumúſne vanam eam diſciplinam iudicare, quam re, & euentis quotidie confirmari videmus? Pleni ſunt veterum Annales, plenæ hiſtoriæ, referta hominum vita huiuſmodi prædictionibus. Nobis de multis paucas retuliſſe ſatis eſt.

At ea nonnunquam, quæ prædicta ſunt minùs eueniunt: Ita ſanè, ſed errata hæc ſunt Aſtrologorum non Aſtrologiæ, cuius præceptionibus ſi quis ritè vteretur, nunquàm à verò aberraret. Nunc verò cùm multi Aſtrologiæ præcepta non teneant, & qui ea callent non obſeruent omnia, quæ ex arte obſeruanda eſſent, quid mirum ſi ea prædicunt, quæ nunquam eueniunt? Quæ tandẽ ars id non habet (inquit Q. Frater apud M. Tull. lib. 1. de Diuin.) earum dico artium, quæ coniectura continentur, & ſunt opinabiles? An medicina ars non eſt putanda? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores nónne falluntur? An non Achiuorum exercitus, & tot nauium rectores non ita profecti ſunt ab Ilio, vt profectione læti piſcium laſciuiam intuerentur, vt ait Pacuuius, nec tuendi ſatietas capere poſſet?

Interea propè iam occidente Sole inhorreſcit mare, Tenebræ conduplicantur, noctiſque, & nimbum occæcat nigror.

Num igitur tot clariſſimorum Ducum, Regum naufragium ſuſtulit artem nauigandi? aut num Imperatorũ ſcientia nihil eſt, quia ſummus Imperator, nuper fugit amiſſo exercitu? Aut num propterea nulla eſt reipublicæ gerendæ ratio, atque prudentia, quia multa C. Pompeium, quædam M. Catonẽ, nonnulla etiam te ipſum fefellerunt? Similis eſt omnis opinabilis diuinatio; coniectura enim nititur, vltra quam progredi non poteſt. Ea fallit fortaſſe nonnunquam, ſed tamen ad veritatem ſæpiſſimè dirigit: eſt enim ab omni æternitate repetita, in qua cùm penè innumerabiles res eodem modo euenirent, iiſdem ſignis

antegreſſis ars eſt effecta eadem ſæpe animaduertendo,atque notando.

Neque verò errata, quæ contingunt Aſtrologiæ, poſſunt derogare fidem, quæ etiam ſi ſemel tantùm verum præuidiſſet,vera ars cenſenda eſſet diuinandi, vt diſputat Cratippus apud M. Tull. lib. 1. de Diuinatione his verbis: [Si ſine oculis non poteſt conſtare officium, & munus oculorum, poſſunt autem aliquando oculi non fungi munere ſuo,qui vel ſemel ita eſt vſus oculis,vt vera cerneret, is habet ſenſum oculorum vera cernentium. Item igitur ſi ſine diuinatione non poteſt officium, & munus diuinationis conſtare, poteſt autem cùm quis diuinationem habet errare aliquando, nec vera cernere, ſatis eſt ad confirmandam diuinationem,ſemel aliquid ita eſſe diuinatum,nihil vt fortuitò cecidiſſe videatur; ſunt autem huius generis innumerabilia; eſſe igitur diuinationem confitendum eſt.]

Hæc fermè Genethliaci pro ſua Genethliaca diſputant, nec intelligunt, Si iſta concluſio vera eſſet, eadem vti poſſe Haruſpices, Fulguratores, Caballiſtas,Sortilegos,Zingaros,Coniectores ſomniorum,quorum generum nullum eſt,ex quo non aliquid,ſicut prædictũ fuerat,euaſerit,an tu cernes veteres Romanos, tam ſuperſtitiosè auguriis daturos fuiſſe operam, niſi vidiſſent multa ita eueniſſe vt Augures prædixerant? Calchantem,quem Augurem fuiſſe longè optimum,ſcribit Homerus,ad eam opinionẽ perueniſſe putamus,ob quam claſſis Dux conſtitutus fuit,niſi per multa vaticinia,quæ euentus confirmauit? Numquam Amphiaraüs, qui auibus,& ſignis admonitus futura dicebat, tantam apud Græcos famam conſecutus fuiſſet, vt ab eo etiam poſt mortem,& ex ſepulchro oracula peterentur,ſi verùm nihil vnquam prædixiſſet.Quid Helenus Priami filius, quem Æneas de ſuo in Italiam aduentu his verbis conſulit:

Troiugena interpres diuûm,qui numina Phœbi,
Qui tripoda Clarij lauros,qui ſydera ſentis,
Et volucrum linguas,& præpetis omnia pennæ
Fare age, &c.

Nihilne vnquam verum vidit? Quid Druidas Gallis, Perſis Magos, quid Etruſcos Romanis commendauit, niſi multæ, & admirabiles prædictiones euentis confirmatæ? Vnde orta eſſe extiſpicina, haruſpicina, niſi quia aliqua in auguriis, & haruſpiciis aliquando veritas eluxit? Cùm Lucius Vitellius contra Arabes exercitum duceret, Aretæ Arabum Regi Romanorum arma extimeſcenti reſponderunt Arioli, vt refert Ioſeph. lib. 18. cap. 7. exercitum illum non perueuturum ad Petram, ſed prius exceſſurum è vita, aut qui exercitum parauit, aut cuius iuſſu paratus fuerat. Præſagium euentus comprobauit, mortuus eſt Tiberius Cæſar, & exercitus dimiſſus. Caio Iulio Cæſari prædixit Spurina proximos triginta dies quaſi fatales caueret, quorum vltimus erat Idus Martiæ. Eo cùm forte manè vterque in domum Caluini Domitij ad officium conueniſſet, Cæſar Spurinæ, Ecquid ſcis, inquit, Idus Martias iam veniſſe? Et is,Ecquid ſcis, reſpondit,illas nondum præteriiſſe? Eodem die interfectus fuit Cæſar, nec augurium Spurinam, ſed ſecuritas Cæſarem fefellit. Valerius Max. lib. 8. & Suetonius in Iulio Cæſare. Agrippa Herodis nepos à Tiberio Cæſare in vincula coniectus, quòd Caio fauere videretur, ab Augure audiuit breui ſe è vinculis ad regnum perucnturum. Poſt ſex menſes, Tiberio vita functo, Caius ſucceſſit in Imperio, qui Agrippam Regio titulo, & dignitate cohoneſtauit. Ioſeph. lib. 18. c. 8. Alexandro Magno Oxydracarum

Indorum

Indorum metropolim oppugnaturo Demophon, qui ex oſtentis diuinare ſolebat, prædixit vulnus, quod in ea oppugnatione accepit. Diodorus Siculus lib. 17. Cœlio Pontico ius dicenti picus ſupra caput inſedit, tunc Haruſpices reſponderunt, Si auis libera euolaret, victuros hoſtes, ſi interficeretur, à Ciliciis victoriam ſtaturam, ſed moriturum qui interemiſſet; ita res euenit, oppreſſa aue, qui interfecerat, illico interiit. Volater. lib. 14. c. 2. Referta huiuſmodi exemplis vetuſtas. Lege veterum monumenta hiſtoriarum, nullam victoriam, nullam cladem, nullius Principis ortum, aut mortem reperies, quem augures non præſagierint; non potuerunt tamen huiuſmodi prædictiones impetrare à Chriſtianis hominibus, vt vllum eſſe Augurum, Haruſpicúmque diſciplinam exiſtimarent, nec efficere vt ex his auium volatui, aliiſque Gentilium ſuperſtitionibus fidem adiungeremus. Iamdudum ſublatum eſt collegium Augurum, iam interierunt Haruſpicini, Augurales, Rituales libri, quos Tullius commemorat. Age verò, ſi Auguriis, Auſpiciis, extis nullam conciliare potuerunt fidem prædictiones quædam, quæ verè euaſerunt, cur Aſtrologiam paucis quibuſdam, & ex omni æternitate repetitis prædictis confirmamus? Nonne qua ratione Aſtrologia inducitur, eadem induci poſſent Auguria, Auſpicia, cæteræque Gentilium ſuperſtitiones? Nonne Zingari quoque, quos vocant, aliquando diuinant? nonne ſortilegis etiam nonnunquam aliqua contingit veritas? Quo die interfectus fuit Tiberius Gracchus è domo egrediens, grauiſſimè ad limen offendit; idem accidit Craſſo eo die, quo infauſto prælio cecidit, an propterea Tibullo fidem habemus canenti:

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem?

Aut Laodomiæ ſcribenti marito:

Cùm foribus velles ad Troiam exire paternis,
Pes tuus offenſus limine ſigna dedit.
Vt vidi, ingemui, tacitóque in pectore dixi:
Signa reuerſuri ſint, precor, iſta viri.

Huiuſcemodi etiam nugis fidem me habere coges? coges ſine dubio, ſi hanc Aſtrologorum rationem recipimus. Faciamus Aſtrologiam confictam eſſe, faciamus excogitatam eſſe ad quæſtum, nónne ex innumerabilibus, quæ quotidie Genethliaci prædicunt, oporteret adhuc aliqua interdum vera euadere? poſſéntne ſemper falſa enunciare, etiamſi maximè vellent mentiri? Quæ eſt igitur iſta concluſio, aliquæ Aſtrologorum denunciationes euentis reſponderunt; Aſtrologia itaque certis, & exploratis præceptionibus conſtat? Quæ eſt iſta ratio, Quæ ſi quid efficit, efficit ea, quæ commentitia ſunt vera eſſe? At ſi oculis quamuis aliquando peccent, quia tamen vera aliquando vident, neceſſe eſt ineſſe vim vera videndi, cur ergo Aſtrologum, qui vera aliquando præuidet, tametſi nonnunquam peccet, diuinandi arte pollere non putamus? Ea de cauſa quòd oculi vera cernentes vtuntur natura, atque vi ſua; Aſtrologi, ſi quando vaticinando vera prædicunt, non vtuntur Aſtrologia, ſed cæco caſu, & fortuna, nec eorum præſagia ab Aſtrologia veritatem repetunt ſuam, ſed aliunde. Solàne Genethliaca obnunciationes veras reddere poteſt, ſi aliunde prædictiones haurire poſſunt veritatem, quàm ab Aſtrologia, quam nullam ſexcentis argumentis iam euici

cuicimus? Vnde norunt Aſtrologi ſua præſagia non ab alio, quàm ab Aſtrologia mutuari veritatem? Qui videt, non niſi oculis videt; idcirco, qui vel ſemel vſus eſt oculis, vt vera cerneret, cum oporter bahere ſenſum vera cernentem. Qui verum enunciat, ſi alio quopiam verum enunciare poteſt (ſicut vere poteſt) qua licentia veras præſenſiones ad Aſtrologiam refers? cur falſa vaticinia aliis cauſis vera Aſtrologiæ ſolum tribuis? an reſpóſurus es, quia Aſtrologia eſt veri diſciplina; id demum eſt de quo diſceptamus, an Aſtrologia diſciplina vera ſit, an commentitia, pones ne tanquam certum, & exploratum de quo maxime ambigitur? quo te conuertes? quomodo expedies hûc nodum? Dices fortaſſe, Aſtrologorum prædictiones huiuſmodi eſſe, quæ non aliunde, quàm ab Aſtrologia communicare poſſint veritatem. Vnde id planum facies? quomodo probabis? vnde id efficies? aſſumeſne quod dubium, & anceps eſt, pro certo atque conceſſo? quid inde efficies? aio quamuis nullum eſſet Aſtrologiæ nomen, nulla natura, ſed temere, & cæco caſu Aſtrologi enunciarent, quæ prædicunt aliqua neceſſario euentura ex iis, quæ prædixerunt, non ſecus ac nunc eueniant, quomodo ergo oſtendes ea, quæ Aſtrologi prædicunt, non poſſe niſi Aſtrologiam auctorem habere? ſi ſine Aſtrologia rerum omnium ratio conſtat, quomodo, aut vnde doces eam veri eſſe diſciplinam? Omitte tandem perſpicuas Aſtrologorum prædictiones iactabunde percenſere. P. Nigidius Octauio Auguſto orbis terrarum dominatum, Thraſyllus Tiberio reditum in Italiam, & ſummam rerum Tiberius Galbæ ſerum, & breue Imperium prædixit; quid tum? perſpicuas alias Aſtrologorum narras præſagitiones, quid eſt perſpicuum interdum eorum obnunciationes veras euadere, quid ad rem de qua agimus? Hæc præſagia ab Aſtrologia mutuari veritatem? quid magis ambiguum, quid minùs perſpicuum? P. Clodius Augur (vt apud Tull. lib. 1. de Diuinat.) Conſuli nunciauit addubitato ſalutis augurio bellum domeſticum triſte, ac turbulentum fore, quod paucis poſt menſibus exortum eſt; num propterea augurum diſciplina vera fuit?

Addam ad extremum, mirum eſſe cùm mendaci homini ne verum quidem dicenti credere iure ſoleamus, Genethliacos vna, aut altera prædictione, quæ vera euaſit velle Aſtrologica dogmata confirmare. Nos innumera, quæ longè aliter quàm ipſi prædixerint, quotidie euenire videmus, proferre poſſumus aduerſus pauca quædam quæ fortuitò vera euaſerunt; & nihil eſſe cauſæ contendimus, cur his potius Aſtrologia confirmari, quàm illis labefactari dicatur.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Prædictiones, quibus Genethliaci ſuam artem confirmare ſolent, non eſſe Aſtrologicas.

ASTROLOGORVM præſenſiones, ſi quæ veræ ſunt, nullam huic diſciplinæ conciliare auctoritatem, ſatis docuimus ſuperiori capite, ea præſertim de cauſa, quòd cùm aliunde quàm ab Aſtrorum ſcientia habere poſſint veritatem nullam, vera præſagia huic arti aſtruere poſſint fidem, niſi planum fiat, quod non poteſt, huiuſmodi

iuſmodi prædicta non ab aliis cauſis, ſed ab Aſtrologia petere veritatem quam habent. Nunc oſtendendum reſtat, prædictiones illas, quibus ſuam artem Aſtrologi confirmari exiſtimant non eſſe Aſtrologicas, id eſt, ex Aſtrologiæ præſcripto, quod cùm probatum fuerit, perſpicuum erit in iis prædictionibus, quas nobis obtrudere conſueuerunt, tanquam vnicum, & firmiſſimum artis ſuæ firmamentum, nullum Aſtrologiæ collocari poſſe præſidium; non abibo autem longiùs, ſed ex Aſtrologorum decretis rem deducam.

Primum quidem Mathematicis rationibus, & quibus ne Genethliaci quidem negare poſſunt fidem, id euincit Sixtus ab Hemminga Aſtrologorum facilè Princeps, libro Aſtrologiæ refutatæ, qui præcipuas genituras, quibus Aſtrologi ſuam artem confirmare ſolent, luce clarius oſtendit alienas eſſe à ſcitis Aſtrologorum & Aſtrologiæ decretis. Deinde non poſſe Aſtrologos ex arte enunciare, niſi generalia quædam, & indefinita auctor eſt. Ptol. in cent. numero 1. qui & lib. 2. quadripartiti, ſic ait: [Fieri autem nequit, vt qui ſciens eſt particulares rerum formas pronunciet: ſicuti nec ſenſus particularem, ſed generalem quandam ſuſcipit, ſenſibilis rei formam, oportetque tractantem hæc rerum coniectura vti: ſoli autem numine afflati prædicunt particularia.] Hinc Pontanus in dialogo quodam. [Illi ipſi (inquit) qui ad particulares delabuntur prædictiones ab ipſo etiam Ptolemæo habentur deriſui, &c.] Conſentit Hieronymus Volphius de Aſtrologiæ vſu. Cõſentit Franciſcus Iunctinus in Defenſione Aſtrologorum. Conſentit Cyprianus Leouitius in doctrina de iudiciis natiuitatum. Conſentit Cardanus ſect. 1. Aphoriſ. 3. lib. de temp. & motu erraticarum ſtellarum reſtitutione, c. xi. Conſentit Lucius Bellantius q. 1. a. 1. & a. 1. ad 3. qui indefinitè ſolùm aiunt Aſtrologum cognoſcere natum futurum Principem, diuitem, militem, literis deditum, non poſſe autem ex aſtris deduci futurum Imperatorem Romanorum, & non Græcorum. Item diuinare poſſe Aſtrologos aliquem obiturum morte violenta, non autem à quo inferenda illa ſit, aut quo inſtrumento, aut quo loco ſubeunda. Prædicere etiam poſſe itinera, nauigationes, vxores, non poſſe tamen præſcire, quo equo, quibus ſociis, quot diebus iter ſit facturus, quam ducturus ſit vxorem, aliaſque circumſtantias. Hinc Cardanus lib. de Iudiciis geniturarum, capite 8. negat eadem aſtra idem præſignificare in Germania, in Gallia, in Italia, in Hiſpania, quia ſtella quæ in Galliis ſignificat adulteram, non efficiet adulteram in Italia, vbi minùs viget hoc vitium. Et congreſſus ſtellarum, qui apud Romanos ſignificabant dignitatem Conſulis, Tribuni plebis, nunc extinctis huiuſmodi dignitatibus conſtat inter omnes non poſſe hoc ipſum indicare, neque ſydera quæ nunc Cardinalatum ſpondent, potuerunt apud antiquos eamdem dignitatem portendere. Dignitatem ergo indefinitè ſignificant aſtra, non hanc aut illam certam & conſtitutam.

Quare, ne rem manifeſtam onerare videar non neceſſariis exẽplis, conſtitutiſſimum eſt apud Aſtrologiæ magiſtros, & receptum, non poſſe Genethliacos niſi generalia quædam, aut præſentire, aut prædicere, at ea quæ proferunt Aſtrologi ad confirmandam artem ſuam ſunt certa, ac definita ſingularia, & determinata. Publius Nigidius Octauio Auguſto, Thraſyllus Tiberio non vagam, & incertam dignitatem, ſed imperium Romanum dicuntur prædixiſſe; neque qui Neronem Romæ regnaturum, ſed oc-

ciſurum matrem reſponderunt, generalem ſed ſingularem, pronunciarunt euentum. Vbi didicerat Mediolanenſis Aſtrologus, qui Galeatij Ducis necem prædixit, ſe ex caſu trabis, non lapidis, non tegulæ, alteriuſve rei interitu-rum? Qui aſtrorum congreſſus, quæ domus, qui aſpectus talem mortem portendit? Vbi Ptolemæus, aut alius vllus Aſtrologiæ magiſter diſputauit de trabium caſu, aut morte ex caſu trabis? Quib. auctoribus cognouerat, quando Princeps occidendus ſit à vaſſallo, & quando ab alio quopiam? Quibus aſtris naſcuntur ij, qui à vaſſallis perimendi ſunt? Qua Aſtrologiæ parte diſſeritur de morte à vaſſallo inferenda. Nullus à plebe, aut eorum, qui in alios dominij iura non exercent, naſcitur ſub huiuſmodi ſtellarum cœtu: Certum itaque, & exploratum eſt, eos non vti Aſtrologiæ arte, qui iſtiuſmodi prædictiones fundunt. Conſtat tranſcendere Genethliacæ fines quicumque ad euentus particulares deſcendunt. Et his prædictis confirmamus Aſtrologiæ diſciplinam? Quid? nonne Cardanus ſect. 1. Aphor. vltimo docuit Principum ſucceſſus aſtris non ſubiacere? nonne lib. centum geniturarum, genit. 7. quæ eſt Caroli V. Imperatoris, affirmat ex genitura non poſſe de publicis negotiis ferri iudicium? nonne Iulius Firmicus lib. 2. cap. vltim. non licere de ſtatu Reipublicæ, vel de vita, & negotiis Romani Imperatoris ex aſtris cognoſcere? Quid ergo pertinuit ad natalitia aſtra Principatus Auguſti, Tiberij, Neronis, Adriani, Veſpaſiani, Domitiani? quid clamat Cardanus ſect. 1. Aphor. 59? Artis veritatem oſtendunt Tiberij, Claudij, Neronis, Adriani, Gordiani Cæſarum experimenta, præter ea, quæ Piccinino, & noſtris temporibus acciderunt.

En tibi quod tibi ſuprà dicebamus, Genethliacos perinde diuinare, ſi ſeruant Aſtrologiæ precepta ac ſi negligant. Addo nunc, ad veritatem magis accedere, quando artis ſpretis legibus fortuito, & cæco caſu fundunt quidquid venit in buccam, id euincunt Auguſti, Tiberij, Claudij, Nerones, Domitiani, Galbæ, Gordiani, ſi quid euincunt.

Veniamus ad Octauium Auguſtum, cui Nigidius Principatum prædixit. Non potuit ille ad imperium peruenire, niſi orbatis Iulio Cæſare, & Pompeio, aut vita, aut ea auctoritate, quam maximam in republica obtinebant, at Aſtrologi, & Cæſari & Pompeio eadem obſeruatione, qua Nigidius Auguſto, & haud ſcio an etiam maiori, pollicebantur principatum. [Quàm multa, (inquit Tullius lib. 2. de Diuinat.) ego Pompeio, quàm multa huic ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini? neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum.

Perſimiles fuiſſe Auguſti, & Coſmi Medices genituras, ſcribunt ferè omnes, qui hac de re ſcribunt, quare Capricorni ſigno quo Auguſtus in nummis argenteis vſus eſt, Coſmus quoque vſus dicitur. In Coſmi porro genitura Hieronymus Cardanus nullum Principatus indicium, ſed ſolius prudentiæ ſigna vidit libro centum geniturarum, genitura 49. [Sol in Septimo loco (inquit) fortunam, quæ ex prudentia oritur, præſtat: Luna in aſcendente magnã fœlicitatem, quia verò cum Saturno iuncta eſt, & ad Iouis trinum vadit, ſeparans ſe à Saturno, & ſigno igneo, oſtendit maximum conſilium, quod ſi Iouis radij abeſſent, æquando tantæ prudentiæ ſtultitiam, nunc vides quantum referat immutatio, quæ poterat eſſe ſtultiſſimi ſi ſoli Saturno applicaſſet, ſic poſita ſapientiſſimi eſt. Sol autem fuit iuxta Virginis ſpicam per duas cœli partes;

tes; cætera,ingenuè fateor, tanto viro vix conſentiunt, &c.]Hæc Cardanus de genitura,in qua alij innumera alia,& incredibilia viderunt, ſed nimirum, vt ſuprà cap.18.dicebamus de eadem ſyderum conſtitutione, contrariæ ſunt Aſtrologorum ſententiæ;quemadmodum enim in nubibus ventorum vi huc, & illuc agitatis alius ſibi nauem, alius montem, alius arborem, alius milites armatos videtur videre, ita Genethliaci in genituris varia ſibi ſomniantium ludibria fingunt.Quod ſpectat ad Tiberium, Thraſyllus ex vaferrimo eius ingenio,ex beneuolentia Auguſti erga Liuiam eius matrem,ex Liuiæ dolis, ac fraudibus,quibus duo Auguſti filij interiiſſe dicuntur, multò faciliùs quàm ex aſtris præſagire illi potuit imperium. Periculum verò quod Tiberio interrogante quod genus mortis eſſet ſubiturus, ſibi imminere cognouit in Tiberij truculento ingenio, in animo ira percito, in vultu, in oculis vidit illè potiùs,quàm in ſtellis,quæ nec liberas Tiberij voluntates agere poterant in Aſtrologum, nec certam, ac indefinitam illius periculi horam ſignificare. Denique quod de naui nunciauit ad littus maris, excogitatum crediderim à Thraſyllo ad compeſcendam Tiberij iracundiam, à quo ſibi extrema timebat, caſúſque vt aliàs ſæpe fecit,confirmauit denunciationem,non ars, neque conſilium.Nil neceſſe habeo dicere de iis,quos geniturìs inſpectis,Tiberius è medio tolli iuſſit; res enim ipſa declarauit vanas fuiſſe aſtrorum vires, quæ pollicebantur Imperium.Nil de Galba, quem verbis, vt multos alios Senatores permulcere voluit Tiberius.Nil de Neronis natali, cuius truculentia cùm pertinuerit ad multos, non potuit ex vnius horoſcopo cognoſci. Nil de confidentia Veſpaſiani: Aſtrologia enim, quæ eſt coniecturalis, & probabilis ſolùm,non potuit certò cognoſcere filios ſibi in imperio ſucceſſuros. Nil de Domitiano natura timido, & ſuſpicioſo, qui non ea ſolùm nocte, ſed toto Imperij tempore cruentam mortem ſibi timuit. Nil de Neruæ geneſi, quam aliis negantibus, aliis affirmantibus eſſe Imperatoriam, neceſſe fuit alterutros diuinare.Nil de Adriani morte, qui alia de cauſa fortaſſe intercidit Aſtrologica ſtegmata, quàm quia putaret eum menſem ſibi fore ſupremum. Certè ſi ſui exceſſus tempus præſciuiſſet, num meliùs domui ſuæ, amicis, Imperio, Vrbi, Militibus conſuluiſſet? Num Claudium Cæſarem hominem ſtolidiſſimum, de quo hæc Suetonius Tranquillus? multos ex iis quos capite damnauerat, poſtero ſtatim die, & in conuiuium, & ad aleæ luſum admoueri iuſſit, & quaſi morantur vt ſomniculoſos per nuncium increpuit,mortis ſuæ ignarum fuiſſe exiſtimabis,qui cùm Conſules deſignaret, neminem vltra menſem quo obiit deſignauit, an caſu factum dicemus,vt immemor externæ necis quam mandauerat nō extenderit vltra menſem quo electus fuit reipublicæ miniſtris. Nihil de Galeatio Vicecomite, de quo plura ſuperius diſputata ſunt.

Ad Ioannem Picum Mirandulanum venio, cuius genituram deſcribit Cardanus lib.centum geniturarum, numero 65.his verbis: [En eius, qui per calumniam Aſtrologiam inſectatus eſt genitura,verùm non abſq; ratione Luna in Saturni & Mercurij quadrato,cum ipſa atque Saturnus in domibus, ac fixis ſignis ſint, ipſeque Saturnus genituræ dominus, profundiſſimam memoriam, acre ingenium ad ſtudia, incorruptamque perſeuerantiam decernunt;tum verò quia Luna in octauo loco erat,turbidū ingenium,& quia radiatio quadrata eſt,iudiciū tollit. Manifeſtū eſt autem & luce clarius quod diuitias ſpargeret:

nam Mars in ſecundo loco ; non tamen deficiente crumena ; nam Sol in eius trino,& ipſe in domo ſua. At quia ambo in triplicitate aquea, nomen decernunt glorioſum. Deiectum verò animum à generis origine alienum faciunt cadentes omnes Planetæ ab angulis præter Iouem , qui in Capricorno cadit , neceſſe verò eſt breuis vitæ hominem fore , cum ſola Luna , quæ ſuper terram eſt , à Saturni , & Mercurij radiis , tum etiam à Martis impedita vitam adimat : quæ niſi Solis ſextili foueretur , atque in Tauro domo ſua eſſet , mortem in infantia decreuiſſet. Vixit igitur annis 33. cum eius obitum Aſtrologus eodem anno prædixiſſet, qui etiam aduerſùs illum ſcripſit.] Ita Card.Ex quibus conſtat, nihil potuiſſe aliud Bellantium ex genitura de Mirandulano præſentiſcere, niſi futurum illum breuis vitæ.Itaq;quod addidit, exceſſurum anno 33.ætatis,non ex Genethliacis fontibus hauſit, ſed aliunde;vnde verò, ipſe nouit.

Planiùs adhuc facere poſſum, non fuiſſe hanc prædictionem ex artis Genethliacæ præſcripto , Ptolemæi clariſſimi Aſtrologiæ magiſtri teſtimonio, qui lib.1.de Iudiciis,c.5. negat poſſe quidquam certò, & indubitatò de vita & morte ſtatui ex ſolis aſtris.[Non autem exiſtimandum eſt (inquit)omnia à ſupernis cauſis in res humanas deriuari, támque inuiolabili , & diuino quodam edicto , vt nulla alia vis obſiſtere poſſit , quin illa grauentur : nam ipſe quidem cœleſtium corporum motus ſempiternus eſt, & procedit diuino , & inuariabili ordine,ac lege.Inferiora verò mutationibus ſubiiciuntur,de ſuperioribus quidem , & primis cauſis,ſed accidit hoc illis per conſequentiam legis, & ordinis naturalis,& variabilis.]

Rurſus ibidem : [Atque ita par eſt exiſtimare naturæ ſtudioſos prædicere hac ſcientia euenturas res hominibus , non inanitate quadam opinionum ingredientes : quæ enim habent multas , & ingentes effectionum vires , euitari non poſſunt, cùm alia,quibus illud non accidit,facilè conuerſiones admittát, hoc modo & medici,ſi qui in notandis morbis exercitati ſunt,præuident, qui lethales ſint,quíque curabiles. De his igitur,quæ mutationibus obnoxia ſunt, ita audiemus differentem Genethliacum,vt ſi verbi cauſa talem rationem habeat,quoniam talis eſt, de quo loquor,conſtitutio fiet,ſi proprietates aëris tali modo conuertantur , magis quidem aut minus ad ſubiectas congruentias , vt illinc talis quiſpiam morbus exiſtat,&c.]

Quid moror in re certiſſima?conſtans eſt omnium Aſtrologorum ſententia, hanc artem coniecturalem eſſe,& probabiles ſequi coniecturas , vltrà progredi non poſſe; noſter verò Bellantius certò,& affirmatè Mirandulano mortem à ſe prædictam fuiſſe gloriatur , quare vel non eſt vſus Genethliaca arte, quãdo tanta confidentia pronunciauit Mirandulanum obiturum anno 33.ætatis, vel temerè id affirmauit , & euentus cæco caſu rem confirmauit. Nos porrò non facimus controuerſiam,an multa Aſtrologi prædicant auctore malo dæmone , neque an Aſtrologorum prædictiones caſu aliquando veræ euadant. Id tam certum eſt,quàm quod certiſſimum.Negamus huiuſmodi prædictis vllam Aſtrologiæ accedere auctoritatem.Denunciarit Bellantius obitus annum, mẽſem,diem Mirandulano,quid poſtea?num propterea Aſtrologia eſt veri diſciplina? nihil minùs.Adhuc dubiũ eſt,caſúne & fortuna,aliáve arte,an Aſtrologica ratione id præſagiũ verũ fuerit.Niſi autem Genethliaci perſpicuũ fecèrint Genethliaca ratione vſos eos qui vera prædixerũt,nullis prędictis ſuæ arti

con

Digitized by Google

conciliabunt fidem: nihil enim Aſtrologiam iuuant obnunciationes, quæ Genethliacos fines tranſgreſſæ fortè fortuna veritatem aſſequuntur. Quid ſi hoc præſagium, cui tantum Aſtrologi noſtrates tribuunt, vt vel hoc vno firmamento Genethliacam conſtare poſſe ſcribant, non ſolùm Aſtrologica præcepta non confirmet, ſed etiam labefactet? Ita res habet. Denunciatio, quam aduerſus Aſtrologicas ſanctiones veritatem adeptam videmus confirmat id quod ſuprà dicebamus Aſtrologos perinde præſagire, ſiue artis ſuæ rationes ſectentur, ſiue non, nimiumque multum detrahit auctoritatis ſyderali diſciplinæ, & magiſterio.

Et illud quod Ptolemæus lib. 1. de Iudiciis, cap. 2. ſcribit his verbis: [Quis neſciat quantum ſeminum diuerſitas ad proprietatem generis vniuſcuiuſque momenti habeat? cùm & hoc ipſius cœli circumfuſi, & definiti omnibus terris hemiſphærij ambitus opus ſit vt vires omnibus ſeminibus inſtruantur, quibus vnumquodque in ſui generis effectione, & informatione excellat, vt hominis, equi, & cæterorum.] Dilucidè belléque declarat Lucij Bellantij temeritatem ex natalitiis aſtris definientis Pico Mirandulano certum vitæ ſpatium, ſi enim ea eſt ſeminum vis, quam deſcribit Ptolemæus, nec Bellantius perſpectum habere potuit ſemen, quo Mirandulanus effectus fuit, non niſi temere potuit ex aſtris deducere vitæ, mortiſque rationes: cùm enim & bonitas ſeminis, & multa alia poſſint ſtellarum malignitati obſtare, fortuitò in veritatem incidit, qui Mirandulano mortem ex ſtellis denunciauit.

Quid ceſſatis? me ipſum vobis ſcitote natum anno 1563. die 7. Iulij, ſecunda hora noctis. Si tam animoſum vobis pectus eſt, ſi tantum bonæ fiduciæ in Genethliacis rationibus, vertite iam Aſtrolabia, ſuſpendite quadrantes, expedite circinos, exiſtat Bellantius, aliquis definiat vitæ ſupremam diem, hoc experimento orbis terrarum diſcet vim Aſtrologiæ, hoc vno prædicto abſterrere vobis licet mortales, ne in poſterum audeant ſcriptis veſtram artem laceſſere, hoc niſi præſtiteritis, caſu Bellantium diuinaſſe Mirandulani mortem, æſtimabunt omnes mortales. Videte quale recepi experimentum: nihil tamen dubito: exploratiſſimum habeo quid aſtra efficere, quod Aſtrologi in aſtris cognoſcere poſſint.

Iam verò Pauli III. genituram à Paride Cereſario perperam explicatam fuiſſe, probat Sixtus ab Hemminga certiſſimis Aſtrologiæ decretis.

Petri Aloyſij Parmæ & Placentiæ Ducis geneſim cùm Lucas Gauricus expoſuiſſet, nec vllas eius necis cauſas in ea animaduerteret, profeſſus eſt non aſtra, ſed peccata miſerandi interitus cauſam fuiſſe.

Alexandri Medices genitura tam aliena fuit à morte, quam illi Aſtrologi præſignificarunt, vt neceſſe fuerit Gaurico detrahere ex hora natiuitatis minuta 4. ſecund. 20. vt tempus ortus congrueret cum eo genere mortis. Quod vitium frequens eſt apud Aſtrologos: ex euentis enim rectificant tempus natiuitatis, & rurſus ex hora natali, pudenda nugatione, de euentis decernunt. Huiuſmodi nos genituras admiramur, huiuſmodi illi genituris Aſtrologiam confirmant, huiuſmodi ſunt ſyntagmata quæ in eorum videmus libris.

Denique Caroli Quinti, Ferdinandi Imper. Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. Galliarum Regum, Henrici VIII. Edoard. VI. Regum Angliæ genituras alieniſſimis interpretationibus ab Aſtrologis deprauatas fuiſſe, & aduersùs omnes Aſtrologiæ tabulas, declaratas ab Aſtrologis leges apud Sixtum

ab Hemminga lib. Aſtrologiæ refutatæ, Coſmi Medices Florentinorum Ducis geneſim omnium Aſtrologorum literis illuſtratam, Cardanus lib. centum geniturarum, ingenue fatetur cum eius rebus geſtis non congruere.

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

Prima ratio, ob quam Aſtrologi verum aliquando denunciant.

QVAMVIS nihil poſſem diſputare quamobrẽ obnunciationes Aſtrologorum veræ aliquando euadant, & tantummodo docere eas non eſſe ex Aſtrologiæ præſcripto, nullaque huiuſmodi prognoſtica huic diſciplinæ facere fidem, quemadmodum neque auguriis, neque ſortibus, neque caballæ, neque Poëtis conciliant tales prædictiones vllam auctoritatem, abunde ſine dubio ſatisfeciſſem iis, qui re, & euentis quotidie hanc artem confirmari contendunt: verùm ne ſummo Dialecticorum iure ſecum agi Aſtrologi ægrè ferant, non grauabor cauſas aliquas exponere, ob quas euenit vt nonnunquam à veritate non omnino aberrent.

Principio caſu, & fortuna id euenire cenſent grauiſſimi viri, & cùm tam multa quotidie fundant prognoſtica, nihil mirum eſſe putant aliquid aliquando perinde ac prædictum eſt euenire, ſed mirandum potiùs eſſet, inquiunt, ſi in tanta prædictionum multitudine, & varietate nulla euaderet vera. Quis enim eſt (inquit Tullius) qui totum diem iaculans non aliquando collimet? Quid eſt tam incertum, quàm talorum iactus? tamen nemo eſt, quin ſæpe iactans, Venereum aliquãdo iaciat, nonnunquam etiam iterum, & tertiò. Aſperſa temerè pigmenta in tabula oris lineamenta effingere poſſunt; ſuem roſtro A, literam imprimere quid prohibet?] Tradidit Carneades in Chiorum lapicidinis ſaxo defoſſo caput extitiſſe Paniſci, nulla eſt tam delira anus, quæ aliquid interdum non diuinet, quid miramur igitur Genethliacos aliquid diuinare? Et quidem nobis conuenit cum Aſtrologis aliqua quæ ab iis prædicuntur euenire, multa, plurima longè aliter contingere, quàm Genethliaci prædixerunt, quare cùm aliqua vera, multò plura falſa ſint Aſtrologorum reſponſa, nõnne ipſa varietas, & inconſtantia, quæ eſt propria fortunæ, & caſus, declarat fortunam, & caſum, non artem cauſam eſſe cur Aſtrologi verum aliquid fundant; quòd ſi in aliis rebus multò plura, & magis mirabilia, quàm in Genethliaca caſu effici videmus, cur is inter prædictiones quoque Aſtrologicas locum non habeat? Sumenti Octauio virilem togam cùm tunica lati claui reſuta ab vtraque parte ad eius pedes decidiſſet, exclamauit ſutor futurum aliquando, vt is ordo, cuius illud inſigne eſſet, ei ſubiiceretur, diuinaſſe ſutorem dicemus, an forte fortuna eius verba vera fuiſſe? Thraſyllus, qui Tiberio affirmauit ea naui, quam appellere videbant, literas vehi læta, & fœlicia nunciantes, artene, an caſu vſus eſt?

At non poteſt caſu fieri, inquies, quod omnes in ſe habet numeros veritatis. [Aſperſa (inquit Q. Frater apud Tullium lib. 1. de diuinat.) temere pigmenmenta in tabula, oris lineamenta effingere poſſunt, num etiam Veneris Cnidiæ,

diæ, Coæque pulchritudinem effingi poſſe adſperſione fortuita putas? Sus roſtro ſi humi A, literam impreſſerit, num propterea ſuſpicari poteris, Andromacham Ennij ab ea poſſe deſcribi? Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis ſaxo diffiſſo caput extitiſſe Paniſci. Credo, aliquam non diſſimilem figuram, ſed certè non talem, vt eam factam à Scopa diceres: ſic enim ſe profectò res habet, vt nunquam perfectè veritatem caſus imitetur.] Enimuerò, hoc ipſum declarat fortuitam eſſe Aſtrologicarum prędictionum veritatem: quemadmodum enim ſus vnam, aut alteram literam humi imprimere ſolet, Virgilij Æneadam deſcribere non poteſt, & aliqua oris lineamenta caſu fieri nihil prohibet, Veneris tamen pulchritudinem caſus non poteſt exprimere, ita Genethliaci vnum, aut alterum euentum diuinant, omnia quæ in vita eueniunt aſſequuntur nunquam. Ex quadraginta rebus (inquit Cardanus lib. de Iudiciis geniturarum, cap. 6.) vix eueniunt decem. Legantur centum genituræ Cardani, quæ confictæ ſunt, & aptè excogitatæ ad eorum vitam, & mores, quorum res geſtæ iam perſpectæ erunt, tam paucos tamen continent euentus, vt ſi conferantur cum infinita rerum multitudine, quas viri clariſſimi in vita geſſerunt, ſus aliquam literam humi impreſſiſſe videatur. ipſimet Aſtrologi nihil in ſuis libris inculcant frequentiùs quàm non poſſe omnes vitæ actiones ex aſtris prædici, nec eas quæ prædicuntur certa, ſed probabili quadam coniectura prædici. Quod Tullius lib. de fato his verbis declarat: [Vt igitur ad quaſdam res natura loci pertinet, & operatur aliquid, ad quaſdam autem nihil: ſic affectio aſtrorum valeat, ſi vis, ad quaſdam res, ad omnes certè non valebit. At enim quoniam in naturis hominum diſſimilitudines ſunt, vt alios dulcia, alios ſubamara delectent; alij libidinoſi, alij iracundi, aut crudeles, aut ſuperbi ſint; alij à talibus vitiis abhorreant; quoniam igitur, inquit, tantum natura à natura diſtat, quid mirum eſt, has diſſimilitudines ex differentibus cauſis eſſe factas? Hæc differens, qua de re agatur, & in quo cauſa conſiſtat, non videt. Non enim ſi alij ad alia propenſiores ſint propter cauſas naturales, & antecedentes, idcirco etiam noſtrarum voluntatum, atque appetitionum ſunt cauſæ naturales, & antecedentes: nam nihil eſſet in noſtra poteſtate, ſi res ita ſe haberet, &c.]

Aut ergo omnia quæ fiunt, quæque futura ſunt, ex omni æternitate definita eſſe, fataliter confitendum eſt, quo nihil poteſt eſſe magis alienum, aut recipiendum (quod res eſt) Aſtrologicas præſenſiones non habere perfectam, & omnibus numeris abſolutam veritatem, ſed fortuitam, incertam, opinabilem, ex qua nulla planè huic diſciplinæ accedat auctoritas.

Aſſidebat (inquit Gellius lib. 7. noctium Atticarum, cap. 1.) P. Scipio Africanus, oppugnabatque oppidum Hiſpaniæ, ſitu mænibuſque ac defenſoribus validum, & munitum, re etiam cibaria copioſum, nullaque eius potiundi ſpes erat, & quodam die is in caſtris ſedens dicebat, atque ex eo loco ad oppidum procul videbatur, tum è militibus, qui in iure apud eum ſtabant interrogauit quiſpiam ex more, in quem diem, locúmque vadimonium promitti iuberet, & Scipio manum ad ipſam oppidi, quod oppugnabatur arcem protendens, Perinde, inquit, ſe ſe ſiſtant illo in loco, atque ita factum eſt die tertio, in quem vadari iuſſerat oppidum, captum eſt, eodem die in arce eius ius dixit.] Hæc ille. Num Scipionem diuinatione vſum exiſtimamus? Nihil minùs, id caſu contigiſſe dicimus libentiùs, nec huiuſmodi vaticinium aut

vatis

Digitized by Google

vatis illi conciliauit auctoritatem, aut inter Vates illum repoſuit, & Aſtrologo ſatis eſt, ſemel vera præſentire, vt inter Vates numeretur. Eſt tanta hominum poſt Aſtrologorum ludibria inſanientium væſana cæcitas, vt nec experimentis, nec exemplis reuocari poſsint ab errore. Sanè mirari ſatis non poſſum, cùm mendaci homini ne verum quidem credere ſoleamus, cur Genethliacis quotidie mentientibus adhuc habeatur fides.

CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

Altera cauſa, ob quam Genethliaci aliquando diuinant.

NON ſolùm caſus aliquando, ſed Aſtrologorum vafrum ingenium, qui ita Genethliacas prædictiones cōponere conſueuerunt, vt quodcumque euenerit, prædictum videatur, efficere ſolet vt Genethliaci vera præſagire non rarò putentur.

Primum quidem generatim, & indefinitè Aſtrologi enunciare conſueuerunt quæcumque denunciant è cœlo. Quare Ptolemæus in Centiloquio num. 1. [Fieri (inquit) nequit, vt qui ſciens eſt, particulares rerum formas pronunciet, ſicut nec ſenſus particularem, ſed generalem quamdam ſuſcipit ſenſibilis rei formam, oportet tractantem hæc, rerum coniectura vti, &c.] Et Cardanus ſect. 1. Aphor. 3. cùm artes, quæ propriis ſubiectis inhærent, nihil certi polliceri de futuris poſsint; Aſtrologus nunquam abſolutè quidquam de futuris pronunciare debet; generalia verò cùm trahi in varia poſsint, nihil mirum, ſi Genethliaci vera denunciare putentur. Sumam exemplum ex Cardani genitura, quam ponit lib. centum geniturarum, genitura 83. quæ eſt Herculis Ferrariæ Ducis. [Hæc genitura (inquit) eſt Principis viuentis, & cùm habeat Iouem in Veneris oppoſito, ſignificat abundantem luxum, fœlicitatémque, Sol cum Mercurio in Ariete diſcurrendi per ſingula rationem bonam, Mars, & Saturnus in Sextili Iouis potenti; Saturno cadente aliqua decernit pericula ex occultis inſidiis, ipſúmque ad aliqua peragenda diſponunt, quæ non adeò quandoque à cæteris probentur.]

Rurſus genitura 85. [Vitam habebit laboribus plenam, nam maximi ſuperiores ſunt in cœli medio, & retrogradi, &c.]

Item genitura 50. [Luna Veneri iuncta in Cancro (inquit) & caput in prima fortem decernunt vitam, amplámque fortunam, &c.] Lib. de Iudiciis, cap. 6. Quia Mercurius (inquit) & Iupiter in genitura ſunt ſignificatores ſubſtantiæ, & Promiſſor, eſt Venus, & hi tres ſunt in trino ac ſextili, hoc anno aliquid inchoabo, quod erit cauſa lucri non mediocris.]

Et cui hæc non poſſunt accommodari, in quem non cadunt, quæ adeò indefinitè dicuntur, quid eſt quod adeò generali obnunciatione non contineatur? Nullus planè eodem actu, & fraude ſæpe denunciant imminere periculum aliquod, & ſiue offendamus ambulantes per vrbem, ſiue calce petamur ab equo, ſiue ſella decidat in cubiculo, ſiue aliud quodcumque contingat, id demum eſſe contendunt, quod prædicebant. Pollicentur alias dignitates, & honores, cui

prædictioni

prædictioni incredibile eſt quàm multis euentis concilient fidem, ſiue quis ab amicis honorarius arbiter in cauſa aliqua conſtituitur: ſiue quis ſacris initietur, ſiue donatur laurea doctoratus, ſiue à Principe honorificè excipiatur, ſiue vrbi, aut oppido præficiatur, ſiue in Principis aulam aſciſcatur, ſiue alia quacumque ratione ſplendoris aliquid, & dignitatis conſequatur, inſolenter iactant id eſſe à ſe multò antè præuiſum.

Quare quod Cardanus ait genitura 31. ſtellas decernere Hieronymo Morono gratiam apud Principes, poteſtatémque maximam, quandoque etiam ſupremam, quàm multis modis verum eſſe potuit? Quod Philippo Archinto genitura 32. canit, cùm Sol ad Lunæ quadratum peruenerit, merito honore decorabitur, quot habere potuit veritates? Cauere prætereà ſolent tam callidè ſuis prædictis, & tam multa ad ea requirere, vt mira quadam arte ab Aſtrologia planè diuerſa, vera denuncient: nam cùm omnia fermè, quæ mundo toto fiunt, naturali quadam colligatione copulata ſint; vt, Inuenies theſaurum, nimirum ſi terram effoderis, ſi ſanus, non æger fueris, ſi per Principem licuerit, ſi veneris ad eam ætatem, qua aſtra theſaurum pollicentur, ſi id non prohibuerit violentus aliquis caſus, deinde reliqua. Item ſuſcipies liberos, copulata res eſt: non enim poteſt dici, ſiue vixeris, ſiue non, ſi duxeris vxorem, ſiue non duxeris, ſiue vxor ſterilis fuerit, ſiue fœcunda, ſiue cōcubueris cum vxore, ſiue non, ſuſcipies liberos, vno verbo ita muniunt ſuas prædictiones, & in ea ſe allidunt penetralia, quibus nonniſi vera reſponſa prodire poſſunt: nam ſi ea omnia, quæ requirunt ad ſua prædicta, conſertè, contextéque conueniant ad rem efficiendam, non poteſt id, quod denunciatum fuit, non eſſe verum: ſi aliquid deſit ex iis, quæ Aſtrologus exigebat, vera adhuc eius eſt enunciatio, quæ rem antecedentibus omnibus cauſis, & re nulla impediente dixit eſſe futuram. Prædicit exempli gratia Aſtrologus, Conualeſces è morbo, ita accipiendum aiunt, ſi adhibueris Medicum gnauum, ſolertem, peritum, ſi Medico obtemperaueris, ſi pharmaca non fuerint vitiata, ſi alius non interceſſerit grauis error, deinde reliqua. Siue itaque conualeſces, ſiue non, Aſtrologus vera vidit: ſi enim non ſequitur ſanitas, aliquid defuit ex iis, quæ neceſſaria erant ad valetudinem. Si conualueris, rectè Aſtrologus vaticinatus fuit, qui ſanitatem pollicebatur. O præclaras prædictiones! ò admirabilem diſciplinam! Quorſum tot Aſtrolabia, tot Quadrantes, tot Tabulæ, tot Alfridaria, tot Abſides? Quilibet è vulgo certò, & indubitatè ſalutem polliceri poteſt, ſine vlla aſtrorum ſcientia: ſi enim nihil eorum deſit, quæ ad ſanitatem conducunt, ſine dubio ſequetur ſalus.

Quo loco admirari ſatis nequeo Aſtrologorum inconſtantiam: quando enim eis oſtendimus, nihil poſſe certò ex aſtris cognoſci, proptereà quòd ea, quæ fiunt, non ſolis aſtris agentibus fiunt, ſed concurrentibus etiam ſublunaribus cauſis, quas Aſtrologi nec obſeruant, nec obſeruare poſſunt, reſpondent ab aſtris moueri, & aptari reliquas cauſas ad id efficiendum, quod aſtra portendunt.

Rurſus quando re, & euentis eorum prædicta quotidie refelli luce palam oſtendimus à proximis, & coniunctis cauſis, aiunt aſtra prohiberi, ne id præſtent, quod Aſtrologus pollicebatur. Egregiam verò diſciplinam!

Quid dicam de verborum inuolucris, & inaceſſis latebris, ita interdum loquuntur, vt Chaldæos, aut Ægyptios loqui putes: hinc creberrima Arabicarum vocum vſurpatio, *Allilage*, *Almugea*, *Rabut*, hinc flexiloquæ orationes, hinc

Digitized by Google

obſcura prædicta,& quæ aſtrorum perlucido aſpectu egeant, vt intelligantur; hinc ambiguæ prædictiones,& quæ ad Dialecticos referendæ, hinc amphiboliæ tales, quas nec dæmones in Gentilium oraculis adinuenerunt; hinc verborum triçæ inexplicabiles, & æquiuocationes. C.Caligulam monuit Aſtrologus, vt à Caſſio caueret: qua de cauſa Caſſium Longinum Aſiæ tunc Proconſulem occidendum delegauit,ſed à Cherea tribuno, qui alio nomine Caſſius nuncupabatur, occiſus fuit. Ioanni Manardo Ferrarienſi Medico prædixerat Aſtrologus non ignobilis, in fouea periturum, exinde Medicus cauere omnes foueas,ſuperſtitioſè obſeruare ſcrobes,quoad ducta vxore,nomine Fouea immodico coitu extinctus fuit,in quem Paulus Iouius non inſulsè luſit:

In fouea qui te periturum dixit haruſpex,
Vates verus erat, coniugis illa fuit.

Quid opus eſt circuitu, & anfractu verborum? quid ambiguis prædictis, ſi è ſtellis præuident, imminent? cur non apertè denunciant quæ clarè intuentur? quorum tot ambages? quò pertinent tot obſcuritates,& ænigmata verborum? qua mente Aſtrologi denunciant ea, quæ intelligi non poſſunt, niſi euentu ſequuto? Nónne perſpicuum eſt,nihil eos habere certi,& conſtituti? idcircò ea quærere verborum inuolucra,quæ aptari poſſunt quibuſque euentis.

Scitè ſanè Phauorinus apud Gellium,lib.14.cap.1.[Extremò nos monet,vt caueamus, ne qua nobis iſti ſophophantæ ad faciendam fidem irrepant,quòd videntur quædam interdum vera effutire, aut ſpargere: non enim comprehenſa, inquit,neque definita,neque percepta dicunt, ſed lubrica, atque ambagioſa coniunctione nitentes,inter falſa,atque vera pedetentim,quaſi per tenebras ingredientes eunt, & aut multa tentando incidunt repentè imprudentes in veritatem; aut ipſorum, qui eos conſulunt, multa crudelitate ducente, perueniunt callidè ad ea, quæ vera ſunt,& idcircò videntur in præteritis rebus, quàm futuris veritatem faciliùs imitari; iſta tamen omnia, quæ aut temerè, aut aſtutè vera dicunt, præ cæteris (inquit) quæ mentiuntur, pars ea non fit milleſima, &c.]

His fallaciis Genethliaci confidunt magis, quàm aſtris; hæc ſunt triangula, & tripodes, quibus eorum vaticinia inſiſtunt: his eorum reſponſa coagmentantur fallaciis.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Multa Aſtrologos diuinare ex prudentia,& vſu rerum, quàm ex arte Aſtrologica.

NON pauca diuinant, qui Aſtrologi habentur, ingenij quodam acumine, & peritia rerum humanarum potiùs, quàm aſtrorum admonitu: qui enim ingenio valent, & prudentia, perſpecto vniuſcuiuſque temperamento, ex corporis habitu, & conſtitutione,ingenio,conſiliis,opibus,ſtudio, animíq; propenſione, inſtituto vitæ genere, conſuetudine, familia, domo,patria, maioribus, parentibus, vxore, libertis, dignitate, munere, poteſtate, cæteriſque huius generis,

ſagaci

ſagaci quadam ſolertia,& rerum vſu multa prœuident futura, quæ rude vulgus ex aſtris deduci magno errore exiſtimat: quid enim eſt facilius, quàm graſſatori prædicare violentam mortem, furi præſagire ſuſpendium, aleatori vappæ, nebuloni rei domeſticæ euerſionem, auaro, & qui argento poſt omnia ponit, canere Horatianum illud:

Non vxor ſaluum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris, cùm tu argento poſt omnia ponas:
Si nemo præſtet, quem non merearis, amorem?
Vuidius quidam(inquit Horatius)*non longa eſt fabula,diues,*
Vt metiretur nummos;ita ſordidus,vt ſe
Non vnquam ſeruo melius veſtiret:ad vſque
Supremum tempus, nec ſe penuria victus
Opprimeret,metuebat;at hunc liberta ſecuri
Diuiſit medium.

An aſtris opus fuiſſet, vt huic quiſquam necem comminaretur? ex pecunia, quam congeſtam habebat, nónne ſatis coniecturæ ſumi poterat multorum illum inſidiis expoſitum eſſe?

Quid Virgilium? ex aſtriſne,an ex proximis, coniunctiſque cauſis, ex genere vitæ,ex negotiorum natura deduxit ea,quæ lib.2. Georgicorum ſcribit?

O fortunatos nimiùm,ſua ſi bona norint,
Agricolas,quibus ipſa,procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victu iuſtiſſima tellus,
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſq; auro veſtes, Ephyreiaq; æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui:
At ſecura quies,& neſcia fallere vita,
Diues opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, viuiq; lacus;at frigida Tempe,
Mugituſq; boûm, molleſq; ſub arbore ſomni.
Non abſunt:illis ſaltus,ac luſtra ferarum,
Et patiens operum,paruoq; aſſueta iuuentus,
Sacra Deûm,ſanctiq; patres:extrema per illos
Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit, &c.

Hæc ſpectant, qui vera præſagire ſolent, & ex his coniecturam faciunt, non ex aſtris,vt perſpicuum iam fit, ſublato caſu,ſublata fraude, ſublata coniectura, quæ ex conſuetudine, & vſu rerum deſumitur, mendaces omnes Aſtrologorum præſagitiones eſſe, & Aſtrologiam, qua Aſtrologia eſt, & ab aliis coniecturis ſeiuncta, nihil fundere niſi mendacia. Quare omittant iam Aſtrologi vrgere ſua prædicta euentis confirmata: hæc enim aliunde, quàm ab Aſtrologia veritatem deducunt. Quare aut oſtendendum eſt, quæ vera Aſtrologi prædicunt, non aliunde vim, & veritatem habere, quàm ab Aſtrologia; quod efficere poterunt nunquam: aut fatendum Aſtrologiam nullis certis

Digitized by Google

experimentis, aut prædictis confirmari; quod ſi vel ſemel admittatur, nullis machinis ſuſtineri illa poterit, quin ad exploratiſſimum interitum ruat.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Leuitate conſulentium vera prædicere Aſtrologi putantur.

HÆc nimia conſulentium credulitas, & leuitas in credendo iuuat parum Aſtrologorum prædictiones. Hæc in bello (inquit Tullius lib. 2. de diuinatione, de prodigiis loquens) plura, & maiora videntur timentibus eadem, non tam animaduertuntur in pace, accedit illud etiam, quòd in metu, & periculo, cùm creduntur faciliùs, tum finguntur impuriùs: tunc enim maximè Genethliacos conſulere ſolemus, quando vel periculi aliquid imminet, vel quando magna aliqua ſpe erecti ingens aliquod bonum anxiè expectamus; inter hos animorum fluctus, & agitationes, nimirum quantum fidei tribuimus rebus etiam falſis: quemadmodum enim ebriis, & mente motis multa falſa pro veris videntur; ita ij, qui timore, aut ſpe vehementi agitantur, falſa pro veris crebrò admittunt. Huc accedit, quòd Genethliaci mali, bonique opiniones excitant: pollicentur enim aliquando opes, dignitates, ampla matrimonia, Principum gratiam, cæteráque huius generis; aliquando comminantur egeſtatem, exilia, carceres, morbos, mortem, ſimileſque calamitates, opinione porrò imminentis boni, aut mali, duo exiſtunt animi motus, ſpes, & metus, quibus duobus animi motibus inuehunt ſæpe caſus, quos prædicunt, efficiúntque verius id, quod fit, quàm ex aſtris diuinent. Multi namque, qui ne cogitaſſent quidem de Principis aula, excitati Aſtrologorum amplis, certiſque pollicitationibus, ſe Principi dant ſeruitio; eáque, quam conceperunt, maximarum rerum ſpe diu, noctúque ſtimulante animum, tantum adhibent curæ, laboris, vigiliarum, munerum, officiorum, obſequij, induſtriæ, ita omnes neruos, omnes cogitationes intendunt in procuranda Principis gratia, in aſſequenda dignitate aliqua, vt labori aliquis tandem reſpondeat fructus. Et tu huiuſmodi euentum ab aſtris deduci potiùs, quàm à muneribus, ab officiis, à ſtudio, quibus hi operam ſuam Principi probarunt. Rurſus prædicunt iidem alicui magnas opes ex mercatura, accendúntque vehementem quæſtus cupiditatem, quæ permeat in venas, hæret in medullis, altè in viſceribus inſidet. Ardet ille mercaturæ deſiderio, curas omnes, & conatus dirigit in mercimonium; quid multa? tradit ſe totum mercaturæ, non parcit labori, non ſomno, non ſanitati, non vitæ, omnes quæſtus rationes init; peruenit ad amplas opes, parat diuitias; diuinauit Aſtrologus, diuinauit quidem, ſed non è cælo.

Contrà verò denunciant alicui infauſtam aulam, mercaturam, literarum ſtudium, eúmque à negotio, ab aula, à literis abſterrent. Ille viuit inglorius, inops, rudis literarum. Conclamata res eſt. Genethliacus multò ante diuinauit. Egregium planè vaticinium, & in quo magnam vim habent aſtra.

Sic

Sic P. Nigidij vaticinium Octauium Auguſtum, Thraſylli Tiberium erigere potuit ad ſpem Imperij, qui ad illud poſtea non ſyderum ductu, ſed proprio conſilio, & induſtria peruenerunt.

CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Auctore dæmone interdum Genethliacos diuinare.

MAGNA inter Genethliacos cum humani generis hoſte intercedere ſolet conſuetudo, eóque vtuntur ſæpe familiariter, quo auctore mira quædam, & quæ humanam ſuperant coniecturam præſagire nonnunquam conſueuerunt. [His omnibus conſideratis (inquit S. Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate, c.7. extremo) non immeritò creditur; cùm Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare, non horoſcopi notati, & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt.]

Rurſus lib. 2. de doctrina Chriſtiana, c.22. & 23. [Quare iſtæ quoque opiniones quibuſdam rerum ſignis humana præſumptione inſtitutis ad eadem illa, quaſi quædam cum dæmonibus pacta, & conuenta referenda ſunt; hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio Diuino cupidi malarum rerum, homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eos, atque decipientibus præuaricatoribus Angelis, quibus iſta pars mundi infima ſecundum pulcherrimum ordinem rerum diuinæ prouidentiæ lege ſubiecta eſt; quibus illuſionibus, & deceptionibus euenit, vt iſtis ſuperſtitioſis, & pernicioſis diuinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicantur, multáque obſeruationibus ſecundùm obſeruationes ſuas eueniunt, quibus implicati curioſiores fiunt, & ſeſe magis, magíſque inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſſimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ ſalubriter diuina Scriptura non tacuit, nec ab ea ſic deterruit animam, vt propterea negaret talia eſſe ſectanda, quia falſa dicuntur ab eorum profeſſoribus, ſed etiam ſi dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis; non enim quia imago Samuelis mortui, Saüli Regi vera pronunciauit, propterea talia ſacrilega, quibus imago illa præſentata eſt, minùs execranda ſunt; aut quia in Actibus Apoſtolorum ventriloqua fœmina verum teſtimonium perhibuit Apoſtolis Domini, ideo Paulus Apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potiùs fœminam illius dæmonij correctione atque excluſione mundauit. Omnes igitur artes huiuſmodi ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & dæmonum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta penitus ſunt repudianda, & fugienda Chriſtiano.] Hæc ille. Vix autem reperies Genethliacum vllum qui arctiſſimo neceſſitudinis vinculo cum dæmone non ſit coniunctus; iuſto enim Dei iudicio (quod docebat paulò antè S. Auguſtinus) fit, vt qui perquirunt, quæ humanum captum excedunt, in dæmonum conſuetudinem dilabantur: ille enim admiſcere ſe ſolet magnis auſibus, & conatibus eorum inſerere, qui aliquid humano faſtigio maius moliuntur.

Digitized by Google

Multi quidem ſecretas dæmonum amicitias colunt, multi non quidem explicitè, ſed tacitum cum illis fœdus habent; multi fortaſſe nec animaduertunt dæmonum operam,qua vtuntur prædicendo multis nullo inito pacto.Sponte ſua dæmones duces ſunt ad diuinandum, veráſque immittunt futurorum præſenſiones,vt illi illecti,& irretiti ad venerationem ſuam, & cultum ſenſim, & paulatim pertrahātur.Hac ratione vaferrimus anguis ſuperioribus ſęculis idolorum cultum inuexit;hac ratione ante Euangelij lucem frequenter effudit vera oracula, quibus cultum ſuum & venerationem retinuit.

At ego ipſe,qui Aſtrologorum inſipientiam coarguo, videar deſipere, niſi intelligam profligatam iam eorum cauſam:vnicum enim eſt huius artis firmamentum præſenſiones quas Genethliaci fundunt à veritate non abhorrentes: at euicimus iam ea, quæ nonnunquam ita eueniunt vt prædicta ſunt, à Genethliacis præſenſa, & præuiſa fuerunt multis aliis cauſis ita euenire: conſequens igitur eſt,turbidam hanc eſſe diſciplinam,& ſine certo fundamento.

Multa illi quidem cœlo finxerunt Aſtrorum gaudia,ſimultates, conſenſiones, diſſenſiones, odia, amicitias, antiſcia,alfridaria, ſigna,domus;multa ſomniarunt de arcanis,& abditis cœli viribus, de horoſcopo, de triangulis, tetragonis,hexagonis, quadratis; multa aduersùs Philoſophiæ tabularia, de fœtu, de temperamento corporis, de animi propenſionibus, commenti ſunt, quæ dum à nobis validis cuiuſque rationibus euerterentur,dum ſingulorum rationes exquireremus, in mirificam ſe latebram coniecerunt,rem ſe videre, rationem causámque ignorare, quid fieret,non cur fieret, ad rem pertinere,experimentis ſuam artem conſtare, non rationibus, ſed iam Deo auctore oſtendimus, nullum eos aut proferre, aut proferre poſſe præſagium, quod ab aſtris, non ex aliis cauſis deducat veritatem. Quid igitur ſupereſt,niſi vt ab omnibus ſcriptoribus,ordinibus,ſæculis,linguis,legibus, Academiis, populis, Regibus, nationibus,eorum ludibria,& commenta exſibilentur,explorentur aliquando, Deo duce,& liberabitur genus hominum innumeris ſollicitudinibus, & curis, quas nobis iniiciunt Aſtrologorum vanæ præſenſiones.

CAPVT QVADRAGESIMVMTERTIVM.

Nihil poſſe Aſtrologos de ſummo Pontificatu ab aſtris decernere.

NVLLA in re ludunt magis Genethliaci,quàm in ſummo Pontificatu. Non ſolùm promittunt eam dignitatem, quæ eſt maxima, ſed & annum, & diem, & horam prædicunt electionis. Hinc illud Paridis Aſtrologi Mantuani,de quo ſuperiùs c.36.de Pauli III. Pontificatu memorabile vaticinium, omnium Aſtrologorum libris, & linguis celeberrimum. Hinc Cardanus genitura 47. de Leone X. ſcribit. [Sol verò exiſtens (inquit)in ea conſtellatione trium fixarum,cùm peruenit ad Iouis locum,& Iouis quadratum ad cœli medium,quod eſt cor,dedit Pontificiam maximam dignitatem,& hoc cum radicibus noſtris concordat.]Et Genitura 48.de Iulio II. Quid mirum (inquit) hunc ſtirpe quamquam ignobili,ad ſummum faſtigium euectum

euectum fuiſſe tanto ſyderum conſenſu. Quid ais, ſyderum impulſu Paulum III. & Leonem X. & Iulium II. Chriſti Domini Vicarios electos? Enimuerò Chriſtianis tanta impietas ferenda non eſt; aſtrorum ergo afflatu potiùs quàm diuina prouidentia fiunt noſtræ Religionis Antiſtites? Quid eſt Chriſtiana Religio? nónne à Chriſto Domino diuinitus inſtituta, nónne ſupernaturalis, nónne ſupra omnium naturalium cauſarum efficientiam? Quid eſt ſummus Pontifex? Chriſti Vicarius, moderator huius Religionis, quam ſupernaturalem eſſe profitemur. Stellarum itaque naturales vires quam habent communionem cum ea dignitate, quam Euangelij auctor Chriſtus Dominus vltra omnes naturæ leges gratuitò & liberaliter in ſua Eccleſia inſtituit? Chriſtiani haberi volumus? fidem Catholicam profitemur, & pronis auribus audimus eos, qui ex aſtris religionis moderatores, quotidie ſpondent? Video fontem, & originem, vnde tanta impietas defluat. A ſtellis docent humanis mentibus religionem ingenerari, à ſtellis varias ſeri religiones, congreſſúque vario ſtellarum varias identidem leges excitari. Et quoniam Iouem aiunt auctorem eſſe Religionis, qui pro vario congreſſu cum alio, & alio Planeta varias religiones efficit; ſunt autem ſex ſolum Planetæ cum quibus Iupiter ingredi poteſt, quare ſex etiam ſpecies religionum, non plures, non pauciores eſſe poſſe contendunt. Quare Albumazar Mahumetanam ſuperſtitionem ex concurſu Iouis & Saturni in Scorpione ortam ſcribit, Chriſti Euangelium, ex magna quadam coniunctione, quæ in Leone contigit Chriſti Domini ætate, non Arabes ſolùm mendaces, ſed Chriſtiani etiam Aſtrologi (ſi tamen Chriſto credunt) religionem omnem aſtris ſubiiciunt. Cardanus lib. centum geniturarum, genitura 8. quæ eſt Franciſci Gallorum Regis: [Porro (inquit) Chriſtianam legem fouet igneus triginus Mahumeti Aqueus, vnde à centum quinquaginta annis circiter ſecta illa inualuit: fundata enim eſt poſt Saturni Iouíſque congreſſum in Scorpione factum in anno 630. Annis autem poſt mundum quatuor legem promulgauit, vel, vt quidam volunt, promulgata eſt ex anno 619. coniunctio autem præceſſerat in anno 610. in Piſcibus. Porro Chriſtianam legem præceſſit eodem anno promulgationis magna coniunctio in Leone Chriſtum exorientem ſex annis; exorientem Mahumetem in initio Caneri anno Domini 590. non maxima, ſed magna tantùm coniunctio.] Rurſus genitura XI. quæ eſt Martini Lutheri: [Porro quod ad Religionem attinet (inquit) iam ſæpius adeò dictum eſt propter ſpicum Virginis, & repetere pigeat.] Incredibile igitur quantum augmenti breui tempore habuerit hoc dogma; nam Germaniæ magnam partem adegit, Angliam totam, multáſque alias regiones, cùm adhuc viuat, nec vlla eſt ab huius ſectatoribus immunis præter Hiſpanias. Feruet mundus huius ſchiſmate, quod quia Martem admixtum habet, & caudam, ſoluitur in ſe ipſo, infinitáque reddit capita, vt ſi nihil aliud errorem conuincat, multitudo ipſa opinionum oſtendere poſſit, cùm veritas vna tantùm ſit. Scitè & veriſſimè Tycho Brahe lib. de noua ſtella ſcripſit: [Certum eſt aſtrorum decreta, in veram Religionem & pietatem nihil iuris habere, cùm hæ non ab vlla Aſtrali influentia, aut naturali lumine, ſed ſolius Dei Spiritu & diſpoſitione procedunt.] Cùm ergo omnem Religionem impia temeritate ex Aſtris deducant, & ne Euangelio quidem parcant, quod Chriſtus Dominus diuinitus ſupra omnes naturæ gradus, trans omnem naturalem vim, & poteſtatem collocauit. Chriſtianæ quoque religionis moderatorem maximum Aſtrorum

naturali

naturali vi, non diuina prouidentia eligi impiè exiſtimant; quid expectamus? an dum in foro, in plateis, in theatro clament contra Euangelium, contra ſacras, diuináſque literas, nullam eſſe ſummi Pontificis poteſtatem, aut eſſe humanam ſolùm, non diuinam illius auctoritatem? an nihil in Chriſti Eccleſia eſſe ſupernaturale, nihil arcanum, & diuinum? an coërcebimus aliquando tantam licentiam, quæ per ſacra omnia & diuina dibacchatur? Sed ad Theologiam per imprudentiam delapſus, ad Philoſophiam, ex cuius principiis quatuor hiſce libris aduersùs Aſtrologorum vanitates diſputauimus, reuocabo orationem.

Euectio alicuius ad ſummum Pontificatum non ex vnius, ſed ex omnium Cardinalium genituris pendet (ſi pendet ex geniturís) cùm enim omnes ad eam dignitatem euehi poſſint, ſi ſtellarum ductu ad eum gradum dignitatis perueniretur, nemo iudicare poſſet quis futurus ſit ſummus Pontifex, niſi qui omnium Cardinalium natalitia aſtra perſpecta habuerit, expenderítque diligenter cuius ſydera cæteris præpolleant: omnium verò Cardinalium geniturus cùm nullus Aſtrologorum habere poſſit, nugas eos vendere neceſſe eſt, & ſomniantium deliria.

Nec ſatis fuerit omnium Cardinalium geniturus perſpectas habere, ſed cùm ſingulis fermè annis aliis demortuis, alij ſuccedunt Cardinales, eum, qui Pontificatum alicui vaticinaturus eſt, oportet omnium qui poſſunt ad Cardinalatus dignitatem euehi, genitalia ſydera noſſe, eáque conferre cum eius aſtris cui Pontificatum decernit; alioquin pugnantibus multorum geniturís, & impedientibus ſe mutuò aſtris, præſagire nihil poteſt Aſtrologus.

Præterea vnius Pontificatus pertinet ad plurimos, ad cognatos, ad affines, ad amicos, ad Reges, ad Principes, ad Chriſtianos omnes, ad Chriſtianorum hoſtes; & cum quibus Chriſtiani bellum gerunt, horum quoque omnium genitalia ſydera ſpectare oportebit, & animaduertere, quæ eius promotioni aduerſentur, vel faueant. O delirationem maximam! neque enim omnis error ſtultitia dicendus eſt.

Adhæc profitetur Hieronymus Cardanus in genitura Caroli V. Imperatoris, quæ eſt ſeptima in libro centum geniturarum, ex natalitiis aſtris nihil poſſe de Imperatorum, aut Regum negotiis publicis decerni, ſed ea pendere ex Regnorum, & Statuum ſtellis, ſed ſolùm coniecturas fieri poſſe, de vita priuata, de temperamento corporis, de ſanitate, & morbo, de prudentia, & conſilio. At Pontificatus non pertinet ad vitam priuatam, ſed ad publicam Chriſtianæ Reipublicæ adminiſtrationem: non ergo ex genitura cuiuſquam de eo iudicari poteſt Aſtrologorum ſententiâ, ſed ex ſtellis Regnorum, Prouinciarúmque illi ſubiectarum.

Poſtremò Aſtrologiæ profeſſores tradunt, genitalia ſydera non vagè, ſed certo ac definito tempore agere, quæ pollicentur, promittant ergo alicui Pontificatum 60. aut 70. alio quocumque ætatis anno, manifeſtum eſt quòd eo anno ad Pontificatum euehunt aſtra, ſi quid valent, & non alio, quando maligna irradiatione percelluntur, quando premuntur aduerſa reuolutione, quando ſigno, vel domo infortunantur; at fieri poteſt, vt per id tempus non vacet ſedes Pontificia, Cardinales non agant de Pontifice eligendo. Quid ergo proderunt ſtellarum ſuffragia? Quid vaticinari poteſt Aſtrologus ex Aſtris? Nugæ ſine dubio, & mendaciſſima commenta ſunt, quæ Genethliaci per aulas venditare

ditare conſueuerunt, nec ego cognoui quemquam, qui maiori auctoritate venderet deliria; ſed ego inſipientior ſim, quam illi, qui Aſtrologorum fabellis aures præbent, qui contra tam aperta mendacia diutius diſputo. Quare vt aliquem noſtra oratio finem reperiat, ſi aduerſus Aſtrologos ſtant omnium iudicia ſapientum; ſi contra eos faciunt ratio, experientia, Philoſophorum decreta, eorum in primis, qui familias ducunt, & quibus alij omnes faſces ſubmiſere; ſi non potuerunt ſæpius iidem ſyderum congreſſus obſeruari; ſi nunquam redeunt iidem aſtrorum cœtus, & ſi redirent, nunquam eamdem offenderent materiam; ſi veterum, recentiorúmque Aſtrologorum obſeruationes contrariæ & pugnantes ſunt; ſi ex qualibet genitura quodlibet confici poteſt; ſi vnam eandémque ſyderum conſtitutionem vnus in vnam, alter in alteram, atque adeò contrariam partem deducit; ſi incredibilis eſt eorum, qui hanc artem profitentur, rerum cœleſtium ignoratio; ſi non habent Aſtronomi perſpectos planè aſtrorum motus: ſi Aſtrologorum pars maxima ſuæ artis eſt ignara, & ipſimet auctores artis negant poſſe quemquam eam conſequi: ſi iidem profitentur tam ſe diuinare poſſe ſeruatis quàm neglectis artis ſuæ præceptis; ſi mala fide tractant artem ſuam; ſi dolis, fallaciis, & fraude vtuntur; ſi dæmonum operam adhibent frequenter; ſi nihil aliud propoſitum habent, quàm mendaciis ſibi cibum quærere, corradere alienam pecuniam; ſi nihil aſtra efficere poſſunt ſine ope ſublunarium cauſarum, quas Aſtrologus nec memoria complecti, nec obſeruando notare poteſt; ſi hæc ars nullis nititur experimentis; ſi nulla certa obſeruatione conſtat; ſi tota commentitia eſt; ſi omnibus ſæculis, omnibus gentibus, populis, linguis, iure ſuſpecta, atque infenſa fuit; ſi omnia, quæ de domibus, de ſignis, de directionibus, de reuolutionibus, de principio anni, de ſtellarum gaudiis, odiis, antiſciis, combuſtione docet, fictitia ſunt, & ebriorum ſomnia; quid ſupereſt, niſi vt hæc ludibria omnium ſapientum vocibus, libris, diſputationibus, ſcriptis, lucubrationibus explodantur, vt hoc genus hominum fallax, & Reipublicæ perniciosſum Principum omnium legibus, decretis, conſtitutionibus in vltimas terras amandetur, & tandem aliquando pellatur ex aulis, ex vrbibus, è Republica, vt omnes communi ſtudio, parique conatu enitamur Aſtrologica vaticinia, quæ imperitam multitudinem, hoc eſt, hominum imbecillitatem per ſummam fraudem occuparunt, funditus euertere. Ego quidem Philoſophorum, Theologorúmque omnium poſtremus in tanta ingenij, doctrinæque mediocritate, rei indignitate commotus, poſtquam Aſtrologicas vanitates, poſtquam Aſtrologorum fraudes perſpexi, debere me hanc diſputationem imperitæ multitudini intellexi, cui per ſummam fraudem Aſtrologorum aſtus imponit. Ceſſarunt veterum Romanorum augures, receſsêre Præneſtinæ ſortes, ſublata ſunt haruſpicina, ſiluerunt Apollinis oracula, nemo ampliùs conſulit exta, ſublatæ ſunt diuinationes, ex auium volatu, cantu, paſtu, tripudio, ſoliſtimo, ex prodigiis, ſomniis, ſpero fore vt Aſtrologia quoque, quæ nullo fermè innititur fundamento, Deo auctore tandem aliquando euaneſcat.

* * *

CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

Nil Aſtrologos de futuris honoribus dicere poſſe ex aſtris.

DE ſummo Pontificatu nulla certa arte pronunciare Genethliacos, cumulatè (ni mens vehementer nos fallit) ſuperiùs docuimus: reſtat vt generatim oſtendamus nihil è cœlo decerni poſſe de dignitatum gradibus, quas iidem ex natalitio themate paſſim pollicentur iis præſertim qui honoris appetentiores animaduerterunt. Qua de re Claudius Ptolemæus in hæc verba ſcribit lib. 4. de Iudiciis, cap. 3.

[Quæ ad dignitatem pertinent, & hanc beatitudinis partem à luminum ſtatu, & ſatellitum aſtrorum accipimus, obſeruantes eorum familiaritates: nam ſi in maſculinis ſignis fuerint ambo luminaria, & in angulis, ſiue alterum horum maximè conditionarium, & ſtipatum quinque erronibus, erga Solem quidem matutinis, veſpertinis verò erga Lunam, Reges erunt qui naſcentur. At ſi ſatellites Planetæ, vel in angulis ipſi fuerint, vel ad ſuperiorem cœli cardinem configurati, magnam decernunt ac ſtabilem potentiam, orbiſque Imperium.] Hæc ille. Quæ dum explicat Hieronymus Cardanus, affirmare non dubitat talem aſtrorum conſtitutionem, non ſolùm Principis viri, aut Regis filio, ſed ruſtico etiam cuiuis, & mendico indubitato regnum conferre, neque nudum ſolum quemdam præbere acceſſum ad huiuſmodi faſtigium, ſed perdurabilem ſtabilémque poteſtatem, regnúmque florentiſſimum. Quale, inquit, eſt Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, negátque ad extremum Ptolemæum in opere, quod de Iudiciis inſcripſit, quidquam verius docuiſſe.

Ego verò omnia quæ Ptolemæus in fœliciſſimi Regis ortu deſiderat in Franciſci Valleſij, Henrici II. Gallorum Regis filij genitura reperio, qua vix vllus vnquam Aſtrologorum fortunatã magis vidit ſyderum compoſitionem, hic porro cui tam præclarè cœlum effulſit, vt omnes fœlicitatis gradus polliceretur, hic fortunæ filius in ipſo iuuentutis flore anno ætatis 16. & regni primo magno Galliæ mœrore, ac damno exceſſit è viuis vix inter Reges numerandus, ſi Reges dicuntur, qui populos regunt, & ſupremi imperij iura adminiſtrant. Confer eius natale ſchema cum Franciſci Valleſij eius aui, cum Henrici II. patris, cum Henrici III. fratris, Henrici IV. Gallorum Regum clariſſimorum, cum Caroli V. Ferdinandi II. Maximiliani II. Imperatorum, cum Philippi II. & III. Hiſpaniarum Regum genituris, videbis nullam ex his, ſi Ptolemæo habemus fidem, poſſe cum Franciſci geneſi comparari. At is qui omnes noſtri æui Principes ſyderum claritudine anteceſſit, idem omnibus fœlicitate conceſſit, quo vix alterum legimus Rege patre ortum, & primogenitum, minori fortuna ad hæreditarium regnum perueniſſe. Contrà porro multos vidimus diutiſſimè regnaſſe, quorum genituras Lucas Gauricus, Hieronymus Cardanus, Cyprianus Leouitius, clariſſimi aſtrologorum, accuratè deſcripsère, nihil huiuſmodi in natalitio themate præferentes.

His accedit, quòd ea cœli compoſitio ſæpe viſa fuit, qua vtrumque luminare in ſigno maſculino, & in cardine aliquo extiterunt, Planetis omnibus, aut Solem ab Oriente, aut Lunam ab Occidente ſtipulantibus, & in angu-

lis, nul

lis, nullus tamen per ea tempora, & ſub tali cœlo, proditur natus Rex. Atque ne longè abeamus eodem menſe quo Franciſcus I I. Gallorum Rex venit in lucem ab ingreſſu Solis in Aquarium, ſignum maſculinum, vſque ad ingreſſum in Piſces, triginta ipſis diebus, Planetæ omnes Orientales fuêre Soli, Lunaque interea plura maſculina ſigna peragrauit, quo tempore multos per Galliam, per Germaniam, per Hiſpaniam, per Italiam, ortos conſtat, quorum nullus ad Regiam dignitatem peruenit. Et non dubitat Hieronymus Cardanus ſcribere, tam exploratæ fidei Ptolemæi eſſe doctrinam, vt huiuſmodi genitura humili etiam loco natos, & filios, ſi Deo placet, terræ ad opulentiſſima regna indubitato euehat! cui iſta arrident, meis non gaudeat.

Hæc & huiuſmodi recentiores Aſtrologi animo reputantes variis modis Ptolemæi doctrinam vndique diffluentem confirmare conantur.

Placet primùm dignitates ſignificari à luminaribus, præſertim à Sole, & Planetis medietate ſuorum orbium circumſtantibus, aut aſpicientibus vtrumque luminare, præſertim Solem, & à medio cœlo, & Planetis conſtitutis in medio cœlo.

Secundò, ſi huiuſmodi ſignificatores dignitatum reperiantur in proprio domicilio, exaltatione, aut mutua receptione eſſentiali, natum conſecuturum amplas adminiſtrationes, munera publica, magnos honores; ſi fuerint in triplicitatibus, in terminis, in faciebus, mediocria fore omnia; ſi fuerint peregrini, in ſuis deiectionibus, vel detrimentis abſque eſſentiali receptione, exiguas aut nullas decernere dignitates.

Tertiò, ſi dignitatum auctores ex angulis proſpectent partum, futuras magnas dignitates; ſi ex ſuccedentibus mediocres; ſi ex octaua domo & ſuccedentes, exiguas aut nullas; ſi honorum ſignificatores ſint in proprio domicilio, in angulo duplici teſtimonio magnas dignitates deſignari.

Quartò, ſi honorum moderatores iuncti ſint, aut certè non plus diſtent quàm quinque gradibus ante aut retro à ſtellis fixis Regiis primæ aut ſecundæ magnitudinis, & quæ parum ab ecliptica deflectunt decernere magnos honores; huiuſmodi ſtellas eſſe:

Regulum ſiue cor Leonis, in 23. ferè gradu Leonis.

Oculum Tauri in 3. ferè gradu Geminorum.

Herculem in 3. ferè gradu Cancri.

Spicam Virginis in 18. ferè gradu Libræ.

Illuſtriorem lancem Meridionalem Libræ in 18. ferè Scorpij.

Antares in 5. ferè gradu Scorpij.

Quintò, Planetas beneficos in decima domo promittere magnos honores, maleficis negare, mediis mediocres ſignare.

Sextò, Dominum horoſcopi in medio cœli, vel contrà dominum medij cœli in horoſcopo indicium eſſe magnarum dignitatum.

Ex his quaſi honorum promptuariis Cyprianus Leouitius & plerique recentiorum vatum, expromunt ſceptra, coronas, purpuras, faſces, Pontificatus, Cardinalatus, Epiſcopatus. Quare ſi probatum fuerit, multos, qui maximas ampliſſimáſque dignitates aſſecuti ſunt, nihil huiuſmodi ſtellis debuiſſe, contrà verò multos, quorum genituræ tali ſtellarum compoſitione illuſtres fuerunt, nullos aut exiguos adeptos honores, euerſa fuerit Aſtrologiæ pars

Digitized by Google

multò præcipua, quæ in prædictionibus honorum verſatur, conſtiteritque eos qui Auguſto, Tiberio, Claudio, Neroni, Ottoni, Galbæ, Neruæ, Macrino, Diocletiano, Veſpaſiano orbis terrarum Imperium prædixerunt, non ex arte vaticinatos fuiſſe, ſed aut caſu & fortuna, aut humana aliqua coniectura, aut dæmonum opera vſos. Item eos qui Leonis X. Iulij II. Pauli III. Sixti IV. Marcelli II. Pontificatus vaticinati ſunt, nihil certi habuiſſe vnde huiuſcemodi præſagia deduxerint, ſed fortè fortuna in veritatem incidiſſe, quod & Zingaris, & agyrtis, & olitoribus aliquando vſuuenit: nam ſæpe & olitor eſt opportuna locutus.

Ad hoc autem demonſtrandum non eſt neceſſe nouas cudere genituras, ſed vulgatæ ſatis ſunt, & receptæ, quas Lucas Gauricus, Hieronymus Cardanus, Cyprianus Leouitius, aliique Aſtrologiæ ſine controuerſia Magiſtri deſcripſerunt.

In genitura Pauli II. Pontif. vt hinc initium ſumatur, videre eſt Solem in deiectione ſua in Aquario, in oppoſito Saturni in termino Martis, Lunam peregrinam in Piſcibus in termino Martis in octaua domo, Venerem dominam medij cœli, in ſextili Lunæ, in Capricorno poſitam peregrinam, in cadenti cœli loco, in termino Saturni, Caudam Draconis in medio cœli. Tempore electionis, hoc eſt anno Domini 1464. die 31. Auguſti ætatis anno 46. expleto, menſe 6. & die 24. medium cœlum peruenerat directione ad gradum 19. min. 2. Geminorum, in quem nulli cadunt radij beneficorum reuolutione peruenerat ad gradum 20. minut. 46. Piſcium.

In genitura Alexandri VI. Sol eſt in Capricorno, Mars Dominus medij cœli in Aquario, domo ſecunda, ſine vlla prærogatiua, Luna eſt iuncta Ioui debili, peregrina in domo cœli cadente tertia. Tempore electionis, hoc eſt, ætatis anno 61. menſe 7. die 17. medium cœli peruenerat directione, ad gradum 1. minut. 1. Capricorni reuolutione ad ſextilem Martis, & Veneris in Sagittario, quod parum ad rem facit.

In genitura Iulij II. cernimus Solem dominum medij cœli peregrinum in Cancro in domo octaua, Lunam in Aquario, in quo nullam habet dignitatem, in domo cadente tertia, Martem in trigono Lunæ in Geminis & domo octaua. Tempore electionis, anno ætatis 58. menſe 3. die 26. medium cœli peruenerat directione ad 23. gradum, min. 0. Libræ. Reuolutione ad gradum 3. minut. 5. Cancri. Regulus quidem fuit in medio cœli, & illuſtrior lanx Libræ Meridionalis in horoſcopo, ſed Sole & Luna præcipuis honorum auctoribus malè conſtitutis, quid facere potuerunt ſtellæ fixæ, quæ auxiliares ſolùm vires habere dicuntur?

In genitura Leonis X. indices dignitatum fuerunt Sol, Luna & Iupiter reſpiciens Lunam ex trigono, Saturnus Lunam aſpicit ex ſextili, Venus domina medij cœli, quorum nullus in propria domo, aut in ſua exaltatione fuit, Saturnus in ſuo detrimento, & octaua domo exſtitit, Luna in abiectiſſimo cœli loco & domo ſexta, Iupiter oppoſitus Saturno in domo ſecunda. Tempore electionis ætatis anno 37. menſe 2. die 22. peruenerat medium cœli directione ad gradum 22. minut. 53. Scorpij, qui gradus nullis beneficorum radiis illuſtratur. Venus quidem domina medij cœli in horoſcopo fuit, & ſpica Virginis in apice medij cœli: at contradicentibus aliis pluribus & potentioribus aſtris tanti effectus cauſa eſſe nequiuerunt.

In

In genitura Clementis VII. Pont. Max, nulla cernitur de amplis honoribus ſignificatio.

De genitura Pauli III. in qua multi multa luſerunt, quot capita, tot ſententiæ. Paris Cereſarius, vt refert Cardanus ex directione ſolis ad trigonum Mercurij, futurum illum ſummum Pont. anno ætatis *66*. die 153. hora 9. minut. 34. multò antè prædixit, cuius vaticinium cùm euentus confirmaſſet, anno Domini 1534. mira Genethliacæ diſciplinæ per ea tempora auctoritas acceſſit. Alij verò Aſtrologorum longè Principes nihil Mercurio in bonis fortunæ iuris eſſe contendunt, pro quibus & Ptolemæus & Arabes teſtimonium ferunt. Alij Pauli Pontificatum tribuunt directioni Solis ad Iouem quæ in eundem annum, Cardano teſte quoque incidit. Alij, inter quos Sixtus ab Hemminga nullos in ea genitura magnos vident honores. Alij directiones & reuolutiones quibus mortuo Leone x. anno Domini 1521. & ætatis 54. Paulus ad Pont. ferebatur præferunt iis, ſub quibus anno 1534. ætatis *66*. Pontifex renunciatus fuit, vt omnia alia, quam aſtra ſpectaſſe oporteat Cereſarium illum, qui mortuo Leone x. affirmaſſe fertur anno 1534. Paulum futurum Pontificem, non anno 1521. vel 1522. In tot tamque variis Mathematicorum ſententiis de genitura Pauli III. illud certò conſtat, nihil Genethliacos ex arte de eius Pontificatu pronunciare potuiſſe.

Mortuo Paulo III. anno 1550. Patres ex more conuenerunt pro electione ſummi Pont. quorum aliis Cardinali Polo Anglo & Regio ſanguine orto, aliis Cardinali Saluiato Florentino Pontificatum deferentibus, magna in conclaui coorta diſſenſio eſt, quæ vt componeretur die 7. Februarij omnium ſuffragiis Ioannes Maria Cardinalis de Monte Pontifex dictus fuit & Iulius III. appellatus. Nemo ambigit, aut ambigere poteſt Cardinalis Saluiati geneſim etiam ex deſcriptione Lucæ Gaurici, in dignitatum negotio longè præſtare genituræ Iulij III.

Genitura Marcell. II. qui & pater ipſe è cœlo auguratus dicitur Pontificatum à præcipuis Genethliacis deſcripta vix vllas dat honorum ſignificationes.

In Themate Pauli IV. tres fecerunt periti honorum ſignificatores, Solem peregrinum in Cancro & domo ſuccedente, Lunam in Aquario domo cadēte, Saturnum Dominum medij cœli, in ſuo detrimento.

De Cardinalium genituris, quas plurimas deſcripſit Lucas Gauricus nihil attinet dicere, non enim eos puto eſſe Aſtrologos, cui cùm Pontifex vno eodémque tempore, vno eodémque temporis momento viginti aut triginta Cardinales dicit diuerſæ ætatis, gentis, nationis, velint eorum omnium directiones & reuolutiones, Solis, Lunæ, medij cœli eodem temporis momento ad radios beneficorum perueniſſe.

Euicimus iam plurimos ad ſupremos honores perueniſſe, quorum genituræ honorum ſignificatione illuſtres non erant; reſtat eorum genituras nunc percenſere, in quibus ampliſſimas dignitates ſine vllo ſucceſſu aſtra ſpoponderunt.

Georgius Trapezuntius, vir doctiſſimus in natalitio Themate, Solem habuit in Ariete domo propria, iuxta gradum imi cœli, Venerem dominam medij cœli, & Sextili Lunam aſpicientis in domo propria Tauro, conſtitutam in angulo imi cœli, & Iouem quadrato Lunam aſpicientis

Digitized by Google

iuxta Aldebaram inſignis magnitudinis ſtellam, Martem quoque dominum ſigni intercepti in decima domo, poſitum in Ariete domo propria. In tanta ſyderum claritudine per Italiam profeſſione literarum Trapezuntius victitauit, donec à Nicolao V. ſcriba Apoſtolicus factus fuit fame alioquin periturus.

In Geneſi Andreæ Alciati Iuriſconſultiſſimi, vt ſi in vlla alia conſpicuæ viſuntur maximarum dignitatum ſignificationes, is tamen, præter eum qui ex Iuriſprudentiæ magna opinione,apud omnes obtinuit honorem, qui ad exercitationem pertinuit,nullo gradu dignitatis claruit.

Edidit Lucas Gauricus genituram Romuli Vtinenſis oratoris eximij,ſummorum honorum ſignificatione clariſſimam, ſed tanta ſyderum benignitas nihil homini eloquentiſſimo præſtitit.

Petrei Tyara Medici ac Philoſophi non poſtremi Thema Sixtus ab Hemminga ab ſignificatione honorum mirificè commendat, quem medicè nihilominus vixiſſe,& Medicum mortuum eſſe conſtat.

Idem alterius genituram conſcribit, qui natus eſt anno 1509.die 20.Martis hora 11. minut.50. tanta (quod ad honores attinet) ſyderum claritudine, quanta vix in alterius ortu viſa fuit: qui iam ſenex in diuitum menſis aliena coactus fuit viuere quadra. Matthæus ille Thaphurius literis & Græcis & Latinis,omnique liberali eruditione penitus imbutus, cuius genituram honorũ ſignificatione inſignem Lucas Gauricus vulgauit, obſcurus & inglorius vixit.

Cernere eſt apud eundem genituram Franciſci Roſcij Rauennatum quondam oratoris ad Leonem x. Pont.Max. cui honorum ſignificatione non facilè parem reperies,qui vix honeſtam duxit vitam, quam abſciſſione ſiniſtræ manus & violenta morte finiuit.

Franciſci Monzæ Mediolanenſis muſici genituram magnis laudibus celebrant & Lucas Gauricus,& Hieronymus Cardanus: quatuor enim in ea Planetæ ſunt in dignitatibus ſuis eſſentialibus, qui honores deſignant, vt Cardanus non dubitarit affirmare, vix poſſe meliorem ſyderum conſtitutionem optari. Monza verò præter Muſicæ laudem,quæ ad dignitatem non pertinuit honorum, aſſecutus eſt nihil.

Lucas Gauricus quantus in Genethliacis vir hoc de Henrico II. Gallorum Rege præclarum vulgauit vaticinium: Inuictiſſimus Gallorum Rex Henricus II. Chriſtianiſſimus erit Regum quorumdam Imperator,ante ſupremos cineres ad rerum culmina perueniet, fœliciſſimamq;,ac viridem ſenectam,vt colligitur ex Sole in ſuo throno partiliter ſupputato; in ciuitatibus Arieti ſubiectis maximum ſortietur dominium.Ita verò Henricus nullum adeptus eſt Imperium, vt anno ætatis 40. paternum Regnum infœliciſſima morte amiſerit.

Atque his tam clarè probatum eſſe confido,nullam Genethliacis præceptis, quibus de futuris dignitatum gradibus vaticinari ſolent Mathematici, ſubeſſe fidem, vt ſuperuacaneum putem percurrere omnes genituras à Cardano, à Gaurico, à Bellantio,à Iunctino,à Leouitio deſcriptas,in quib. ſplendidas cernimus honorum ſponſiones, omni effectu deſtitutas.

CAPVT

CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

Nihil Aſtrologos ex natalitiis aſtris decernere poſſe de cuiuſque proſpera aut aduerſa fortuna.

[TOTO mundo (inquit Plinius libro 1.c.7.& locis omnibus, omnibúſque horis, omnium vocibus fortuna ſola inuocatur, vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitiis colitur, volubilis; à plerîſque verò, & cæca etiam exſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix: huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit, &c.]
Et Horatius lib.1.ode 35.

O Diua gratum quæ regis Antium
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Vrbéſque gentéſque, & Latium ferox,
Regúmque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.
Iniurioſo ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiúmque frangat.
Te ſemper anteit ſæua neceſſitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeuerus
Vncus abeſt, liquidúmque plumbum.
Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno: nec comitem abnegat,
Vtcumque mutata potentes
Veſte domos inimica linquis.
At vulgus infidum & meretrix retro
Periura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis, amici
Ferre iugum pariter doloſi, &c.

Hoc quoque ludibrium vagum, volubile, inconſtans, cæcum, varium, incertum, ad ratos cœli motus referunt Genethliaci, & quaſi virgula quadam diuina

diuina è cœlo deduceret; quid tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm caſus & fortuna? quid magis ratum, ac definitum quàm aſtrorum motus inuiolabiles? quis ergo ſit adeò à veritate auerſus, qui dicat fortuitos euentus ab aſtris, hoc eſt, ſempiterna cauſarum ſerie pendere, & ea quæ temere, cæco caſu, & volubilitate fortunæ fiunt, certas cœlo habere cauſas, cur rato tempore fiant? hoc verò eſt quod volunt Mathematici, qui è cœlo de cuiuſque proſpera aut aduerſa fortuna diuinant: quorum duo præcipua ſunt placita. Primum quatuor, aut plures Planetas in ſuis dignitatibus eſſentialibus conſtitutos proſperam ſpondere fortunam; ſecundum, totidem aut plures in ſuis deiectionibus poſitos aduerſa omnia indicare. Ad duo hæc principia referunt quæcumque de proſpera aut aduerſa fortuna dicuntur, his quaſi fortunæ fanis tamquam in Delphico templo ſuperſtitioſa oracula concipiunt; ex his duabus ſpeculis vniuſcuiuſque vitæ curſum, multò ante præuideri poſſe contendunt.

Nos contrà infœliciſſima duo hæc principia putamus, certiſſimiſque experimentis ex eorummet libris petitis euerti. Ludouicus ſiquidem Sfortia, Mediolanenſium Dux, natus anno 1451. die 3. Auguſti, in genitura habuit Solem in gradu 19. Leonis minut. 20. Iouem in Piſcibus, Venerem in Libra, Martem in Ariete, Saturnum in Libra, id eſt, quinque Planetas in dignitatibus ſuis eſſentialibus. Aluit prætere domi Aſtrologum non infimæ conditionis, ex cuius præſcripto omnia egit. In tanta ſyderum fœlicitate infœliciſſimus ſemper vixit: perpetuis diuexatus bellis à Ludouico XII. Gallorum Rege, tandem bello captus fuit, & in vinculis aliquot annis ignominioſe habitus, omnium malorum lernam expertus migrauit è vita.

Franciſcus Sfortia Ludouici filius natus anno 1495. die tertia Februarij, nullum Planetam, præter Martem, in ſua dignitate habuit; quin etiam in eius genitura videmus Solem in ſuo detrimento in fine Aquarij in domo 12. termino maleficæ, quadrato Martis, in domo hæreditatis poſiti, Lunam in quadrato Saturni, tanto verò patri fœlicitate præſtitit, vt quem ille Ducatum amiſerat, hic Caroli V. Imperat. auſpiciis receperit, & ad paternam ditionem & opulentiam reuocatus bonis omnibus affluentem vitam duxerit.

In Ferdinandi Gonzagæ Mantuæ Ducis genitura anno 1507. die 27. Ianuarij nati, quinam Planetæ ſunt in ſuis dignitatibus? Solem cernimus in grad. 17. Aquarij minut. 54. Venerem in Ariete, Saturnum in Leone, Mercurium in Piſcibus, quatuor videlicet Planetas in ſuo detrimento. Vixit tamen ille fœlix vt ſi vllus alius Mantuæ Ducum, domi militiæ clarus à Carolo V. Roman. Imper. ſummo loco habitus, Ducali dignitate auctus, & Inſubriæ cum ſummo Imperio præfectus fuit.

Alexander Vitellius dux militari laude longè clariſſimus in ſecundo ac proſpero rerum omnium curſu Lunam habuit in ſua deiectione in gradu 19. Virginis, Iouem in Capricorno, Martem in Libra, Mercurium in Sagittario, quatuor Planetas extra dignitates eſſentiales.

Adulphus Holſatiæ Princeps, natus anno 1517. die 25. Ianuarij, quo tempore quinque Planetæ in ſuis detrimentis verſabantur, quam tandem calamitatem ſubiit? aut quam eſt aduerſam fortunam expertus?

Ioannes

Ioannes Picus Mirandulanus, malleus ille Aſtrologorum, Lunam habuit in Tauro, Venerem in Piſcibus, Martem in Scorpione, Saturnum in Aquario, nullo proſperæ, aut aduerſæ fortunæ notabili euentu.

Michaël Angelus Bonarota, pictor, ſculptor, architectus nobiliſſimus, ortus dicitur Sole peregrino in Piſcibus, Luna in Capricorno, Venere in Ariete, Saturno in Cancro; de eius aduerſa fortuna nullus fando audiuit.

Sixti ab Hemminga Friſij nobilis mater quinque Planetas ſortita eſt in propriis domiciliis, & quidem omnes, ſi Venerem excipias in angulis conſtitutos, vt cernere eſt in themate à Sixto filio expoſito, quæ multorum exercita calumniis, perpetuis diuexata litibus, multorum appetita inſidiis, infœlicem duxit vitam.

Matthæus ille Taphurius, cuius ſuprà meminimus, quatuor Planetas in ſuis dignitatibus eſſentialibus nactus, nónne ſæuientis fortunæ ludibrium fuit?

Atque hæc ita conuellunt Aſtrologorum de proſpera, & aduerſa fortuna apoteleſmata, quæ retulimus, vt ſuperuacaneum ſit alia exempla recenſere, hoc ipſum conficientia, quæ in Gaurici, in Cardani, in Sixti, in Iunctini genituris viſuntur.

Iam verò ſi quis reſpondeat, propria hæc eſſe apoteleſmata Cypriano Leonitio, & aliis quibuſdam non probari omnibus Aſtrologis, alios aliis vti principiis, aliis niti apoteleſmatibus, quando de alicuius fortuna coniectant, vrbem ipſam Aſtrologiæ funditùs euertet: ſi enim alia cudit Leouitius, alia Rantzouius, alia Bellantius, alia Cardanus, vnus his, contrariis alius vtitur obſeruationibus. Vnus hos, alter contrarios canones condit, ſic vnus, aliter alter obſeruauit: fateri profectò cogimur, nihil Genethliacos certi habere, vnde de ſecunda, aut aduerſa fortuna diuinent; arbitraria eſſe omnia fortunæ apoteleſmata.

CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Nihil Aſtrologos prædicere poſſe ex arte de vita, aut morte.

MALAM metimus meſſem Aſtrologicas vanitates; ſed quoniam cœpimus, non pigebit me dicere, quanta temeritate de cuiuſque vita, & morte Mathematici decernant. [Addam (inquit Sixtus ab Hemminga, clariſſimus Aſtrologus, in genitura Caroli à Brimeu) inſuper argumentum, quod refutari non poteſt, inſpecto themate cæleſti natalitio infantis alicuius, non poſſunt Aſtrologi affirmare, aut artificioſa aſſequi coniectura, vtrùm viuat, nécne. Quòd ſi viuat, vtrùm ſuperuicturus ſit, ad menſem vnum, ad diem vnum, aut horam vnam; multò minùs de morbis, de vitæ longitudine, de genere, & qualitate mortis, laudabile iudicium ferent.]

Hæc vir in Mathematicis rationibus verſatiſſimus, poſt diuturnum experimentum, poſt multorum annorum ſtudium in Genethliaca collocatum, omnibus teſtata eſſe voluit.

Et verò cùm omnia, quæ de vita, & morte Genethliaci edunt prognoſtica, ex directionibus ſignificatorum vitæ, ad promiſſores eiuſdem ducantur, tres

Digitized by Google

autem in vniuerſum eſſe poſſint ſignificatores vitæ, Sol, Luna, horoſcopus, etſi aliqui addunt etiam ſortem, ſiue partem fortunæ, & dominum horum locorum, & difficile admodum ſit ex his verum ſignificatorem eligere, difficilius verò ſignare promiſſorem, quis non videt, nec exploratis, nec ſatis prouiſis principiis Mathematicorum præſagia de vita, & morte firmari? Contingit porrò hæc incertitudo tam in exiſtimatis, quàm in veris genituris: in vtriſque enim par eſt deſignandi promiſſores, & ſignificatores difficultas.

Vſu præterea venit id, quod ne Mathematici quidem inficiari poſſunt, vt multi ſine manifeſtis cauſis directionum, & reuolutionum moriantur, vt infinitus ſit eorum numerus, qui eo tempore è viuis exceſſerunt, quo neque vlla erat aut reuolutio, aut directio ſuſpecta, neque vllus luminarium ominoſus defectus præceſſerat, neque anni ingreſſum maleficorum aſpectus maculatant.

Plurimi quoque morte naturali extincti fuêre, quibus apertè aſtra violentam portendebant; contrà verò alij, quibus ſydera violentam mortem minabantur, naturalem oppetierunt, vt in tanta, & tam perſpicua inconſtantia luce clarius ſit, nihil certi habere Aſtrologos, vnde fundant præſagia. Res euadet exemplis manifeſtior.

De Henrico II. Gallorum Rege Chriſtianiſſimo Hieronymus Cardanus, ille aſtrorum fœliciſſimus interpres, illud Aſtrologiæ prodigium, illud Aſtrologorum lumen, tale edidit oraculum: [Vetor (inquit) à fatis quidquam dicere, ſed Iupiter in Occidente regnum decernit, erit certè ſenecta tantò fœlicior, quantò etiam plura expertus fuerit, &c.]

De eodem Lucas Gauricus, alterum Aſtrologiæ columen, ita vaticinatus eſt: [Inuictiſſimus (inquit) Gallorum Rex Henricus erit Regum quorumdam Imperator, ante ſupremos cineres ad rerum culmina perueniet, fœliciſſimamque, ac viridem ſenectam, vti colligitur ex Sole, Venere, & Luna horoſcopantibus, & potiſſimùm Sole in ſuo throno partiliter ſupputato in ciuitatibus Arieti ſubiectis maximum ſortietur dominium, ſi fortè ſuperauerit ſuæ ætatis annos 56. 63. 64. ad annos 69. menſes 10. dies 12. facili, ac fœlici tramite perducetur, &c.] Papæ quàm præclarè ſummi vates! quanta conſenſione viridem, fœlicémque ſenectam pollicentur ei, qui anno 40. in ipſo flore ætatis extinctus eſt, eóque genere mortis, quo vix aliud miſerum magis cogitari poteſt.

De Franciſco II. item Gallorum Rege, & Henrici II. filio ſic vaticinati ſunt: [Spes eſt fore, vt ſignificationes reuolutionum, principalium locorum, ad maleficorum corpora, vel radios, & ingreſſum ab anno 1562. vſque ad annum 1571. quàm minima mala adducant, &c.] O rem dignam, in qua non modò docti, ſed etiam agreſtes erubeſcant! mortuus enim Franciſcus eſt anno 1560. die 4. Decembris; quam mortem cùm Mathematici non poſſent vlla malitia ad Aſtrologicos calculos reuocare, coacti ſunt ad ſolitum aſylum confugere, dicentes falſatam eſſe genituram. Siſyphi artes: cur enim prius, quàm quidquam pronunciarent, non rectificarunt genituram per accidentia, per Hermetis trutinam, per Aminodar, & huiuſmodi. Quis credat in genitura tanti Regis prætermiſiſſe Aſtrologos quidquam aut artis, aut diligentiæ, aut ſtudij?

Carolus IX. Gallorum Rex, qui Franciſco fratri in regno ſucceſſit, natus eſt anno 1550. die 26. Iulij, hora 10. minuto 30. obiit, nihil cælo mali ominante,

nante,anno 1574.die 30.Maij,ætatis anno 23.menſ.10.die 4.ex febri acuta,& magna ſanguinis effuſione. Cuius euenti cùm nullam cælo toto cauſam Mathematici repererint, genituram ex aliis euentis conſtitutam per ſupremum vitæ actum conuellere coacti ſunt, haud obſcure profeſſi, veram genituram haberi non poſſe, niſi poſt ſupremos cineres.

Iſabella Valleſia Henrici II. Chriſtianiſſimi Regis filia,& Franciſci, ac Caroli ſoror, Philippi Regis Catholici coniux clariſſima, nata anno 1546. die 2. Aprilis, hora 11. minut. 26. ſecund. 44. mortua eſt ex difficultate partus anno 1568.die 7. Octobris, nil tale ſuſpicantibus Mathematicis.

Petrus Aloyſius,Parmæ,& Placentiæ Dux,diem obiit anno 44.ætatis,1547. die 10.Septembris,repugnantibus aſtris,quæ robur corporis,& longam vitam ſpondebant, vt Lucas Gauricus primæ auctoritatis Aſtrologus, inſpecto natalitio themate,peſitatis directionibus,& reuolutionibus omnibus,in hæc verba proruperit: [Non ſtellæ,ſed ipſius Aloyſij peccata huius cædis cauſa fuerunt.] Scio poſt Petri Aloyſij necem Hieronymum Cardanum,Aneretis quibuſdam, & Aphetis tribuiſſe Aloyſij obitum,nauſeantibus cæteris Aſtrologis.Scio monitum Aloyſium à Paulo III.per literas,vt caueret à 10.die Septembris.Sed hæc nihil ad rem,ex aſtris nihil illi eo tempore timendum fuiſſe,fatentur præcipui Aſtrologorum. Alexandro Medices Floretinorum Duci Lucas Gauricus,aliiq; principes Aſtrologorum,introſpecta genitura, expenſis reuolutionibus,& directionibus,timendum cenſuerunt annum 1.29.42.59.64.vltra negarunt illum viuere poſſe: is verò à Laurentio Medices è medio ſublatus fuit anno ætatis 25.quem nullus Aſtrologorum inter fatales numerauerat.Itaq; ipſorum Mathematicorũ confeſſione conſtare poteſt,Baſilium,&alios Genethliacus,qui Alexandro prædixiſſe dicũtur imminere necem ab affine quopiam corpore gracili, taciturnitate ſuſpenſo, moribus inſociabili; humanam aliquam coniecturam ſequutos fuiſſe, ex ſimultatibus, quæ inter Alexandrum, & Laurentium Medices,à quo interfectus fuit,intercedebant,deductam, non Aſtrologicas rationes,in quibus,vt demonſtrat Sixtus ab Hemminga,nihil huiuſmodi erat,quod violentam mortem portenderet.

Henricus VIII.Anglorum Rex obiit anno ætatis 55.menſ.7.1547. ita nihil natalitiis aſtris de morte ſignificantibus,vt Lucæ Gaurico, de horoſcopo loco mutando cogitandum fuerit ad tuenda aſtrologica decreta.Sed fruſtrà eam ſuſcepit cogitationem:in vita enim Henrici ſæpius per accidentia rectificata fuit eius geneſis. Alterum ergo fatendum eſt,aut eam fuiſſe veram Henrici genituram, ſed morti non reſpondiſſe, aut non potuiſſe Aſtrologos Henrici genituram rectificare per accidentia, quæ multa, & maximè inſignia in viro illo fuerunt, quorum vtrumque Genethliacam artem conuellit.

In Edoardi Anglorum Regis, & Henrici VIII. filij genitura interpretanda centum horas ſe poſuiſſe ſcribit Hieronymus Cardanus, poſt quod ſtudium ſic ſtatuit:[Vita debilis omnino erit:nam luminaria infra terram ſunt,& Venus, quæ in aſcendente eſt,eſt infœlix,& Saturnus illi ſuccedit,aſcendens quoq; ex Signis minimè vitalibus;Saturnus tamen,aut Venus Apheta eſt. Aſcendens ad Saturnum peruẽniet in annis 25. menſ.9.dieb.12. & tũc animi,& corporis languores patietur.Saturnus quoq; ad Martis ſextilem in annis 34.mẽſ.5.dieb.10. & ſignificat morbum in cute,& febrem leuem. Sed & ad Lunæ quadratum in annis 35. menſ.3. dieb.17. poſt quod tempus diuerſis conflictabitur morbis; &

Digitized by Google

Mars cùm ſit Anæreta, erit mors cum ſanguinis profluuio, & feruore maximo.) Hæc Cardanus ille, qui lib. 1. com. cap. 2. ſcribit: [Noſtra certè quantulacumque ſedulitate effectum eſt, vt ſi ars gloriæ eſſe non potuerit, tam profligatis eius rebus, ſaltem dedecori non fuerit. Atque pro vna genitura centum coronatos habuerimus, aliáſque reieecerimus non minori honorario remunerandas, &c.] Hæc Cardanus ille, qui acriter in eos inuehitur, qui hanc artem oſcitanter tractant. Atqui omnia, contrà ac prædixerat ter maximus vates, euenerunt: Rex enim variis morbis diuexatus fuit annis maximè ſalutaribus, & anno 16. ætatis, 1553. 6. Iulij, ſine vlla aſtrorum ſignificatione, exceſſit febre tabifica. Quare Cardanus in tam apertis, & tam ſplendidis deprehenſus mendaciis, Epignoſticon edidit de longitudine vitæ Edoardi Regis Anglorum, quo palinodiam recantauit, excuſauítque fatum, quod Aphetas non direxerit. Sed hoc familiare eſt Aſtrologis fatum ad aſtra reuocare. Egregiam verò artem, quæ poſt rerum euenta vaticinatur!

Ferdinandus Romanorum Imperator natus anno 1503. die 10. Martij, hora 9. minut. 50. cùm multos ſuperaſſet annos infauſtos, tandem anno 1564. die 20. Iulij ſub integris, & fœliciſſimis aſtris obiit.

Mauricius Saxonum Dux, ſub tanta cæli benignitate interiit, vt ne poſt obitum quidem eius mortis toto cælo Mathematicis cauſam comminiſci licuerit.

Carolus à Brimeu Friſiæ Præfectus mortuus eſt anno ætatis 47. menſ. 11. die 7. otiantibus ſtellis, & nihil aduerſi molientibus.

Quid ad hæc Genethliaci? (vt prætermittamus alia innumera, quæ nobis & quotidianus vſus, & Aſtrologorum libri ſuppeditant.) An reſponſuri ſunt, Aſtrologorum hæc eſſe errata, non Aſtrologiæ? Et qui erunt Aſtrologi, quibus habenda ſit fides, ſi iis, qui omnium conſenſione principem locum obtinent, nemo tutò credit? Vbi reſidet vera Aſtrologia, ſi apud eos non reſidet, quos duces, & magiſtros omnes agnoſcunt? quos audiemus Mathematicos, ſi eos audire tutò non poſſumus, quorum ore ipſa Aſtrologia loquuta putatur?

An dicturi ſunt id, quod tradit Ptolemæus lib. 1. Quadripartiti, Initio, eos etiam, qui ſingulari diligentia hanc artem tractant, ſæpe falli, non quòd Aſtrologica præcepta non ſint certiſſimæ fidei, ſed propter imbecillitatem humani ingenij, quod magnitudinem artis non conſequitur? Ita ſit. Sed meminerimus tenuitatis noſtræ. Quid cæco cum ſpeculo? nónne perinde nobis eſt; ſiue nulla ſit Genethliaca, ſiue ſit ſupra noſtrum captum, & longiùs ab humano ſenſu ſepoſita? Delphinum patina non capit. Cur ſequimur quæ conſequi non poſſumus? noſtra mediocritate contenti nihil vltrà quæramus.

At cur admittimus hæc errata eſſe Aſtrologorum? nónne oſtendimus multos tunc oppetiiſſe mortem, quando ars ipſa Genethliaca maximam pollicebatur incolumitatem?

Quæ nos commemorauimus, leges ipſas Aſtrologicas petunt, non arguunt Aſtrologos iniuriæ, aut negligentiæ; artem ipſam hæc euertunt, non accuſant artificum oſcitantiam. O maximam Aſtrologiæ labem! ſublatis iis obſeruationibus, è quibus de vita, & morte Mathematici diuinant; quid tandem reliquum eſt, quo de magiſterio, de liberis, de ſeruis, de honoribus, de diuitiis, de itineribus, de coniugiis vaticinentur?

CAPVT

CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Non licere Aſtrologis per accidentia rectificare genituras.

ITA omnes Aſtrologicas præſenſiones à natalitio Themate dependere volunt Mathematici, vt eo vel leuiſſimè commutato, eorum ſententia totius vitæ curſum, omniúmque rerum ordinem mutari oporteat. Cùm autem difficillimum ſit notare illud temporis momentum, quo ex materno vtero infans egreſſus primò ſpiritum ducit, varias adinuenerunt rationes ad verum natiuitatis tempus deferentes: æſtimatas enim genituras, & à veritate dilapſas, per Aminodar, per Hermetis trutinam, hoc eſt, per moram fœtus intra viſcera matris, demum per accidentia, reſtituere ſolent. Sed priùs cancer rectà incedet, quàm Aſtrologi ad verum natiuitatis tempus perueniant; priùs lupus ouem ducet vxorem, quàm Genethliaci, lapſam genituram in ſuum domicilium laremque reducant. Atque vt alias prætereamus artes, quibus Aſtrologi ad verum horoſcopum perueniri contendunt, poſtremam, quæ ex accidentibus verum natiuitatis Thema conficit, exponere hoc loco decreuimus, vt ex vna, quæ omnium certiſſima putatur, & cui recentiores omnia ſua vaticinia credunt, de aliis coniecturam facere liceat; Quoniam vim quandam eſſe aiunt in Zodiaco, quod ſuprà retulimus, talem vt eius orbis vnaquæque pars aliam & aliam vim obtineat, quam variè moueant Planetæ & in contrarios deducant effectus, perinde atque ſtellæ in iis finitimiſque partibus ſint quoque tempore, varios à cœlo docent dimanare effectus. Quare cùm Planetæ in eam partem orbis incidunt, in qua eſt ortus eius, cuius fata quæruntur, aut in eam quæ coniunctum aliquid habet, aut conſentiens, quæ triangula & quadrata nominant, non veriſimile ſolùm, ſed etiam neceſſarium cenſent, tunc eum qui ſub tali horoſcopo ortus ſit afflari à ſyderibus iis, immutarique: quare, vt inueniatur verus horoſcopus, aiunt tempore alicuius accidentis, putà morbi, caſus, periculi, & huiuſmodi, obſeruandum eſſe locum Martis aut Saturni, aut vtriuſque. Quòd ſi eorum alter vel vterque repertus fuerit in eodem gradu, in quo in exiſtimata natiuitate eſt horoſcopus, ritè natalem horam notam fuiſſe exiſtimant; ſin autem Saturni, aut Martis, aut vtriuſque locus longè diſtat ab eo gradu, qui cenſetur horoſcopus, nec cum eo coniunctum aliquid habet, falſatam aiunt eſſe genituram, relictóque priori horoſcopo, locum quo tempore accidentis vel hi Planetæ occupant, vel aliqua irradiatione attingunt, pro vero horoſcopo habent: quo fit vt in exiſtimata genitura ſi gradus 20. Virginis cenſeatur horoſcopus, Mars verò tempore mortis non in 20. ſed in 17. gradu Virginis reperiatur ſecundum artem 17. gradus Virginis ſtatuatur verus horoſcopus, & tempus illud quo 17. gradus Virginis fuit in horoſcopo cenſeatur verum tempus natiuitatis.

Cyprianus Leouitius hanc reſtituendi horoſcopum rationem ad omnes Planetas pertinere putat. [Dato (inquit) tempore alicuius accidentis, vide in Ephemeridibus vtrum eo ipſo tempore Planeta, cui ſignificatio talis accidentis conuenit, tranſeat gradum horoſcopi, aut aliquo aſpectu cum irradiet

 quod

quod ſi fiat, gradum & minutum eius Planetæ verum aſcendens natiuitatis eſſe ſcias, &c.]

Rurſus ſi Planeta, qui effectum quempiam ſignificat, huiuſmodi accidentis tempore non reperiatur quidem in gradu qui pro horoſcopo habetur, ſed certo aliquo aſpectu eum irradiet, puta ex trigono, quadrato & huiuſmodi verum in genitura tempus natiuitatis contineri exiſtimant. At ſi neque aſpectu vllo, neque corpore, vt loquuntur, horoſcopum attingit, tempore accidentis falſatam genituram putant, & ex aſpectu, vel loco Planetarum geneſim reſtituendā cenſent, gradúmque illum faciendum horoſcopum ad quem Planetam talis euentus auctor, accidentis tempore, vel corpore, vel aliquo aſpectu peruenit. Hæc Genethliaci, qui tanquam ardeliones huc & illuc volitantes, nunc ab horoſcopo ad futuros euentus, nunc ab euentis ad horoſcopum progrediuntur: ſed nimirum telas texunt aranearum, tricas nent apinas.

Primùm cùm alij per Aminodar, alij per trutinam Hermetis, alij hoc, alij alio modo reſtituendum horoſcopum cenſeant, hæc inconſtantia declarat nihil Genethliacos adhuc certi habere quo ad natalem horam perueniatur.

Deinde conſtat maleficos Planetas ſæpius tranſgreſſos eſſe horoſcopum, eiúſque triangula & quadrata, conſentientibus etiam annorum initiis, ſine vllo omnino effectu; id quod multis exemplis planum facit Sixtus ab Hemminga in genitura Ferdinandi Imperatoris, Federici Saxonum Ducis, Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ, Pauli III. Pont. Petri Aloyſij Parmenſium Ducis, Alexandri Medices, Mariæ Reginæ Angliæ, Eliſabethæ Reginæ Angliæ, Henrici VIII. Anglorum Regis, Bernardi de Merode, Caroli à Brimeu, nobis ex Caroli V. Imper. geniti per accidentia à Mathematicis reſtituta, plures maleficorum coitiones cum horoſcopo proferre licet ſine vllo ſucceſſu. In ea ſiquidem genitura alij 6. alij 7. alij 8. alij 11. gradum Capricorni conſtituunt horoſcopum: at Saturnus menſe Decembri anni 1517. menſe Ianuario anni 1518. in eiſdem gradibus hæſit nequidquam Carolo V. incommodi patiente. Iterum anno 1547. ab ineunte Ianuario ſpatio ſex menſium, Saturnus per initium Capricorni delatus nullum malignitatis ſuæ veſtigium reliquit, quin is annus præ cæteris Carolo fœlix fortunatúſque illuxit ob inſignem memorabilémque victoriam, quam de Principibus Germaniæ reportauit.

Hieronymus Cardanus, qui triginta ipſos annos in ſua genitura exponenda laborauit, apud Sixtum ab Hem. horoſcopum ponit Aphetam ſiue vitæ ſignificatorem, cuius gradum 7. Tauri permeauit, Saturnus anno 1528. menſe Aprili, anno 1557. menſe Maio & Iunio, anno 1558. menſe Februario, ſine vlla Cardani noxa. In genitura Alexandri Medices, quam ex morte, quæ accidit anno 1537. ætatis 24. Mathematici reſtituerunt, Directio horoſcopi ad quadratum Saturni, quæ incidit in annum 1519. Ianuario menſe irrita fuit, alia quæ accidit eodem anno menſe Iulio ſine effectu effluxit. In genitura Doconis ab Hemminga Sixtus eius frater enumerat 20. huiuſmodi coniunctiones ſine effectu vllo.

His ſi addas quod Genethliaci profitentur, non omnia, quæ hominibus contingunt, defluere ab Aſtris, ſed multa à liberis proficiſci voluntatibus, multa à ſublunaribus & proximis cauſis, nec vlla nota internoſci ea quæ ab Aſtris, quæque à ſublunaribus cauſis efficiuntur, intelliges nihil tam præpoſterè, nihil tam monſtruosè cogitari potuiſſe, quàm ex rerum euentis, verum

horoſcopum

horoſcopum deducere. Fateberis & illud non minùs temerè ex incertis euentis de natalitiis aſtris, quàm ex natalitiis incertis aſtris de euentis fieri coniecturam.

Quamquam Cyprianus Leouitius in doctrina de iudiciis natiuitatum ſcribit quendam ex directione horoſcopi ad Solis ſextilem dextrum lucratum eſſe Carolinos aureos 20. Et Franciſcus cognomento Monachus, magni nominis Aſtrologus, ex occurſu medij cœli ad radium benefici Planetæ nouum, par calceamentorum ab amico ſibi dono datum tradit. Conſentiunt tamen probati Aſtrologi, quod videre eſt apud Card. lib. de temp. & mot. errat. reſtitut. cap. 11. plurimos euentus non pendere à cœlo. num fortuitos etiam & repentinos animi impetus in leuiſſimis rebus moueri deſuper, agitarique putabimus? num ſi forte ire in forum volueris, ac deinde nolueris, atque id rurſus volueris ex errantium quadam ſyderum reciprocatione contingere potiùs exiſtimabimus, quàm ex varia diſparique animi agitatione? ſtudeâtne quis, an otietur, legat, an ſcribat, ſedeat, an ſtet, vigilet, an dormiat, comedat, an bibat, ne Mathematici quidem profitentur ſe dicere poſſe. In tanta accidentium varietate, quis non videt aleam quandam in iis deligendis, per quæ verus horoſcopus requiratur?

Quid? quòd euentus ſæpe non conſentiunt, ſed vnus hunc, alius alium horoſcopum poſtulat? Quod videre eſt in genitura Caroli V. Imper. quam ad vnguem reſtitutam ex electione ad Imperium, ex coronatione Aquiſgranenſi, & Bononienſi, cùm animaduerteret nobilis quidam Aſtrologus non congruere cum aliis Caroli euentis; hæc ſcripta reliquit. [Neceſſariò (inquit) vel hoc ipſum tempus ſtatuendum eſt, vel aliud ab hoc diuerſum, ſi aliud non conueniens cum electione directio longè præcipua medij cœli ad trigonum Veneris, nec reuolutio Solis ad medium cœli. Neque cum coronatione Aquiſgranenſi reuolutio medij cœli ad trigonum Veneris, Lunæ ad oppoſitum Veneris. Neque cum inauguratione Bononienſi directio medij cœli ad quadratum Iouis, reuolutio ad ſextilem Iouis, neque Lunæ reuolutio ad trigonum Iouis & medij cœli, ſed ſine vllo effectu præteriiſſe videntur. Si ſtatuendum hoc tempus eſt occurſus Lunæ ad trigonum Saturni ac Martis, breuium aſcenſionum horoſcopi ad eundem trigonum Lunæ, & horoſcopi ad quadratum Saturni & Martis, horoſcopi ad quadratum proprium Solis ad Saturnum & Martem, irriti fuerunt; nulla autem numeratarum directionum, aut ſimilis fuit tempore mortis.]

Sed diſputauit hæc ſubtiliùs Sixtus ab Hemminga in ſua genitura, c. de rectificatione horoſcopi: ex morbis enim quibus laborauit anno ætatis 26. menſ. 10. & anno 33. menſ. 10. euidentiſſimè conficit, non poſſe vnum horoſcopum pluribus accidentibus accommodari. [Quòd ſi (inquit) ex priori directione ſtatuamus gradum 23. minut. 6. Scorpij in horoſcopo, iam altera directio ſeptem menſibus & diebus aliquot anticipauit aſſignatum effectum, & differt verum momentum ab exiſtimato minutis plus minus 7. ſi verò ex altera ponamus gradum 22. minus 40. in horoſcopo, iam prior directio totidem menſibus & diebus euentum aſſignatum ſubſecuta eſt, & differt verum momentum ab exiſtimato minutis plus minus 9. ſi inter duos hos locos medium eligamus gradum 22. minut. 53. iam prior directio euentum ſubſecuta fuit menſibus ferè 4. altera totidem menſibus præceſſit, &c.]

Non

Non faciam longius. Legimus plurimas genituras à Gaurico, à Bellantio, à Iunctino, à Cardano, à Leouitio, ab Aſtrologiæ magiſtris rectificatas per mortem, quas nimirum reſtituere nequiuerunt per accidentia vitæ. Si ex poſtremo ſolum vitæ actu de vero horoſcopo decernere licet, iam Aſtrologiæ nomen euanuit, omnia Mathematicorum Apoteleſmata conciderunt; nihil enim Aſtrologi prouidere poſſunt futurum ignorato vero ortus tempore, hoc noſſe nequeunt ante obitum; ea ergo quæ facta ſunt aliqua illi interpretatione ad Aſtrorum compoſitionem reuocare poſſunt, quid futurum aut non futurum ſit dicere non poſſunt. Ex quo efficitur, genituras, quas in Aſtrologorum libris legimus, ex amuſſim reſpondentes euentis, compoſitas eſſe, & accidentibus accommodatas, & non huiuſmodi, ex quibus præſenſum aliquid, aut præuiſum fuerit.

* * *

IN ASTROLOGOS CONIECTORES
LIBER QVINTVS.

Qui & exotericus.

RVTVLI auxilium petiuere à Diomede, arbitrati eum, qui Troianorum fuerat hoſtis, in acie Troiana in Italia quoque prono futurum animo in Troianorum internecionem.

Mittitur(inquit Virg.)*& magni Venulus Diomedis ad vrbem*
Qui petat auxilium, & Latio conſiſtere Teucros,
Aduectum claſſe Aeneam, victóſque Penates
Inferre, & fatis Regem ſe dicere poſci
Edoceat, multóſque viro ſe adiungere gentes
Dardanio, & latè Latio increbeſcere nomen.

At res longè aliter euenit quàm putarant, Diomedes in contrariam abiuit ſententiam, cedendum Troianorum armis cenſuit, abſterruítque Rutulos quibus potuit modis à bello ſuſcipiendo.

Hos inter motus (ait idem) *medio fragrante tumultu*
Ecce ſuper mœſti magna Diomedis ab vrbe
Legati reſponſa ferunt, nil omnibus actum
Tantorum impenſis operum, nil dona, nec aurum,
Nec magnas valuiſſe preces: alia arma Latinis
Quærenda.----

Haud aliter Genethliaci aduersùs eos qui in Aſtrologiam arma ſumpſerunt à Philoſophis & Philoſophorum Principe Ariſtotele ſuppetias implorant, opinati illos, qui tantam cœlo auctoritatem arrogarunt, vt eius motum omnium motuum principem & cauſam fecerint, l. 8. Phyſ. t. 75.76.77. libr. 2. de Gen. à t. 56. li. 2. Cœl. t. 17.

Digitized by Google

ſtrologorum quoq; conſiliis & conatibus ſubſidio futuros, ſed lõgè alia Ariſtoteli & Philoſophis mens eſt, neq; enim qui anni tempora vicéſque generationum ſine definito quodam curſu recurſúq; Solis per Tropicos & Æquatorem conſtare poſſe negant, continuò aſtrorum conciliis, congreſſibus & conſiſtoriis res omnes humanas adminiſtrari affirmant, & quidem Solis ac Lunæ imperium, quod in res ſublunares exercent, internoſcit etiam vulgus Nautarum, Agricolarum, Paſtorum, Saturni, Iouis, Martis, Mercurij, Veneris arcana iura deliteſcunt in Aſtrologorum ſcriniis, & in inuolutis planè voluminibus, quare videamus, ſi placet, & quid ſapientum Senatus de Aſtrologia & Aſtrologorum gente cenſuerit.

CAPVT PRIMVM.

Nullam ſapientes viri Genethliacæ diſciplinæ habuerunt fidem.

SI vlla Genethliacæ diſciplinæ ſubeſſet veritas, ſine dubio non neglexiſſent rem tantam viri ingenio, & doctrina præſtantes, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Hippocrates, Galenus, cæterique ſapientiæ antiſtites: cur enim ij, qui in veri perueſtigatione omne æuum conſumpſerunt, qui ad omnia naturæ arcana aditũ ſibi patefecerunt, præteriiſſent eam diſciplinã quæ miris vaticiniis & præſagitionibus omnium ad ſe animos mentéſq; conuertit? At nullus eorũ aut in iis ineptiis verſatus eſt, aut inter Mathematicas diſciplinas Genethliacã numerauit. Socrates ſanè qui in Phædone Mathematicas omnes diſciplinas recẽſet, Geometriam, Arithmeticam, Aſtrologiam, Muſicã, quamobrem in Mathematicum cenſum Genethliacam non refert, niſi quia veritate planè deſtituta indigna eſt, quæ in diſciplinarũ numero cenſeatur? Plato verò, qui li. 7. de Repub. in fœliciſſima illa ſua Repub. quam omnibus cõmodis affluere, omnib. ornamẽtis efflorescere cupiebat, reliquas Mathematicas diſciplinas retinendas cenſuit, Arithmeticã, Muſicam, Geometriam, Sterometriam, Aſtronomiam, vnam Genethliacam neglectui habuit, qua rude vulgus humanæ vitæ rationes, & rerum ſummam cõtineri exiſtimat. Multum ille quidẽ Aſtronomiæ tribuit, quæ aſtrorum curſus numeris, & ratione proſequitur, quòd rei militari, quòd nauigationi, quòd agriculturæ apprimè ſit neceſſaria. Cur Genethliacã ſilentio præteriit, quæ ſi adeſſet veritas, vel ſi abeſſet vanitas, omnes alias diſciplinas vtilitate, vſu, ſplendore, dignitate longè antecelleret, à qua innumera commoda in omne genus vitæ manare ab Ægyptiis, ad quos ſtudij cauſa peregrinatus dicitur, ſine dubio acceperat?

Quid Alcinoum, quid Proclum, quid Plutinum, quid reliquos Platonicæ diſciplinæ alumnos cõmemorẽ, qui innumeras cõplexi fabulas & vaniſſimas ſuperſtitiones, Genethliacas tamẽ nugas, Philoſopho homine indignas duxerũt.

Ariſtoteles Stagirites vberrimum, & fœliciſſimum ingenium, ad omnia sũma factũ, omnes alias diſciplinas arctiſſimè cõplexus vnam Genethliacam neglexit, non quòd eam conſequi nõ potuerit, conſecuti enim ſunt alij ingenio, & doctrina infinitis interuallis inferiores; nõ quòd per ea tempora nulla eſſet

Ge

Genethliaca;lõgè enim altiùs hęc ars ortũ reperit ſuũ,& iã per ea tẽpora quod videre eſt apud Tulliũ li.2.de Diuinat.multi Philoſophorũ in Græcia illã vallicabant; ſed quòd meraciſſimis ineptiis conſtare animaduertiſſet, & quã ille artiũ omiſit,vel earũ,quæ in inſpectione & exiſtimatione rerũ poſitæ ſunt,vel earum quæ in agẽdo cõſiſtũt:quã multa de Theorica, de Poëtica , de Politica, de Oeconomica,Ethicis,de Phyſica,de Cœlo , de rerum ortu , & interitu , de Meteoris,de anima,de hiſtoria animalium,de eorundem generatione,de ſanitate,& morbo,de Metaphyſicis ſcripſit?Vnde in tot & tam luculẽtis voluminib.tã altũ Menethliacæ ſilentiũ? vnde tantus præſtantiſſimæ diſciplinarũ neglectus?cur nihil de cœleſtiũ domorum poteſtate,de ſignorũ virib. de aſtrorũ congreſſibus,de ſtellarũ gaudiis,antiſciis,auditu , viſu tradit, vbi de cœlo, vbi de ſtellis,vbi de Zodiaco diſſerit?quãnto acumine à Phyſica,li.2.Phyſ.tex.16.17.18.19.20.lib.11.Meta.ſumma 3. c. 1.ſecernit Perſpectiuã,Harmonicã, Geometriam,Aſtrologiam? quàm accuratè Mathematicarum naturam diſcutit toto lib.13.Metaph.?quantam tribuit Aſtrologiæ lib.2.Cœli, tex.57.58.59.li.12. Metaph. tex.44.?quantis laudibus eandem effert lib.12.Meta.tex.44.45.?quàm multa ibidẽ tex.46.47.& lib.2.Cœli,tex.41.& ſequent.de orbium cœleſtium numero,ordine,motu,de Zodiaci obliquitate,de Aſtrorũ motu,figura,natura, diſputat?de natalitiis aſtris,de diurnis,& nocturnis,de fœmininis, & maſculinis,de fœcundis,& infœcundis, vbi diſſerit?lib.2.de ortu , & interitu inquirit cauſas, quibus exiſtant ea quæ ſingulis annis , & ſtatis temporibus gignuntur fruges, arbuſta, herbæ , plantæ , nihil tribuit aſtris , nihil ſignis, nihil domib. cœleſtib.ſed rem totã reuocat in auctorẽ luminis Solem, qui nũc accedendo, nunc recedẽdo quatuor anni tempora,ver,& æſtatẽ,autumnũ,& hyemem efficit,& ea quæ ortus habẽt,& interitus ſtatas vices lib.2.Meteororum ſumma 2. c.2.interrogãti cur circa Canis ortũ Eteſiæ vẽti incipiant flare, quã facilè erat Procionẽ in cauſam vocare & reſpondere, eius occulta vi ventũ illũ concitari? nihil tamen huiuſmodi reſpondet,ſed Solẽ facit huius rei auctorẽ.[Eteſiæ (inquit) flãt neq; tũc quãdo maximè propè fuerit Sol,neq; quãdo longè,quia propè fuerit Sol,neq;quando longè,quia propè quidem exiſtens præuenit exiccãs, antequam fiat exhalatio , cùm autem abſceſſerit modicum , mediocris iam fit caliditas, &c.]

Requirẽs ibidem,qua de cauſa Orion,& occũbens,& oriens moleſtus eſſe ſoleat,nõ cõmemorat aſtri iura,& imperium,ſed rẽ totam ad tempus hybernũ & æſtiuũ, in quod huius ſyderis ortus & occaſus incidit reuocat.Sect.1. probl. 17.ſciſcitatur cur à Vergiſiarum occaſu ad Fauonis vſq; flatus,ij potiſſimũ pereãt,qui diuturno morbo laborarunt, omnia alia,quã aſtra vocat ad calculum? Probl.26.cur circa vtrumque ſolſtitium per centum dierũ ſpatiũ mori maximè contingat:non Aſtrorum ortus,aut occaſus, ſed temporis verſiones , & commutationes aëris in cauſa eſſe docet.

Libro 4.de Generat.animalium,quàm anxiè perquirit cauſas ob quas filij vt plurimũ parentib.ſimiles prodeant,ob quas alij fœcundi,infœcundi alij ſint, ob quas alij integri,& valẽtes,alij naſcãtur debiles,aut mãci,nec implorat ſtellarum opem,non confugit ad Cãcri,Tauri,aliorũmq;ſignorũ naturam, nõ ſpectat aſtrorũ congreſſus,& cõpoſitionẽ,ſed omnia ad materiã,ad vim effectricẽ, ad proximas cauſas refert. Vt multa paucis cõplectamur, omnia quæ ad hominis conſtitutionẽ,ad tẽperationẽ humani corporis pertinent,executus eſt Ariſt.

libris de hiſtoria,de partibus,de generatione animalium,nec quidquam à Marte,à Ioue,à Saturno,à Tauro,à Geminis,à Cãcro,à Leone, à Vergiliis,à ſucculis emendicauit,nõ quòd Genethliacas rationes ignoraret,quas rude etiã vulgus per ea tempora callebat,vt videre eſt apud Tullium 2.de Diuinat.ſed quòd eas ad retinendas otioſorum aures,ad fallenda tardiorum hominum ingenia, ad deriuandam ex imprudentium loculis pecuniam,confictas eſſe intelligeret.

Quid Hippocrates, quid Galenus? quàm multa diſputant de ſeptimeſtri partu, de partu octomeſtri,de genitura ſterilibus,de fœtatione,de formatione fœtus,de natura humana, de ſemine,de natura pueri, de cauſis morborum,de temporibus morborum, de morbis vulgaribus, quæ omnia è ſtellis Genethliaci pendere contendunt, nec in tam luculentis diſputationibus vel fando audiuntur Alfridaria, directiones,reuolutiones,aſpectus,congreſſus, digreſſuſq; ſtellarum?cur in formatione fœtus conticeſcunt aſtra genitalia, fœminina, maſculina, benigna,maligna,ſigna contorta,integra?cur in partu ſilent horoſcopi,fortunæ,dæmones,geniturarum cardines,Mars quadratus,Saturnus trigonus?cur inter morborum cauſas non cenſentur dilapſus Planetarum,locorũ congreſſus,& huiuſmodi ſexcenta? Hippocrates aureo libello de Aëre, aquis, & locis obſeruanda Medico præcipit ſolſtitia, & æquinoctia,quorundam præterea aſtrorũ ortũ,& octauũ Arturi,Canis,Pleiadũ.[Multi(inquit)in his maximè diebus iudicantur,alij enim perimũt,alij deſinũt,aut in aliam ſpeciẽ, aliũve ſtatũ trãſmutantur,idque nõ horũ ſyderum arcanis viribus, non Planetarum congreſſibus tribuit,ſed mutationib.aëris,quæ his maximè temporibus cõtingere ſolẽt,à quib.conſtitutio humani corporis mirificè afficitur, aſtrorũ aſpectus,domicilia,fines,antiſcia,exaltationes,deiectiones,gaudia, cæteraq; Aſtrologorũ commenta,ne nominanda quidem ſapientibus viris, exiſtimauit.Nullas Philoſophi, nullas Medici in hominis conſtitutione agnoſcunt aſtrorum partes,rudes ſolùm Aſtrologi, & qui ne à limine quidẽ ſalutarũt Philoſophiã, à ſtellis & ſtellarum vario congreſſu aiunt humana corpora efformari.

CAPVT SECVNDVM.

Sapientum conſenſu Genethliaca damnatur.

ITA Philoſophorum Medicorúmque Principes de Aſtrologia cenſuerunt, quorum iudicia omnium ſapientum ſuffragatio comprobauit. Et Socrates quidem negabat, vt refert Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de præparatione Euangel.cap.4.[homini per cæleſtia corpora,futurorum,quæ in poteſtate diuina ſunt,cognitionem eſſe quærendã:nec enim poſſe homines illa cognoſcere,aiebat,nec diis gratum eſt,ſi quæ illi occultarũt,ea tu diligenter inquiras,poſſetque facile ira deorũ in inſaniam Anaxagorę cadere,qui cùm cęleſtium ſcientiam profiteretur,in id amentiæ incidit,vt Solem ignem eſſe putaret,&c.]Eudoxus, Platonis auditor,in Aſtrologia iudicio doctiſſimorũ hominum facilè princeps,ſic opinatur (id quod ſcriptum reliquit) Chaldæis in notatione cuiuſque vitæ ex natali die maximè eſſe credendum.

Panætius quoque Stoicus vt eſt apud Tull.li.2.de Diuinatione,Aſtrologorũ prædicta reiecit.Archelaus pręterea,& Caſſandrus,ſũmi Aſtrologi eiuſdẽ ætatis,cũ cæteris Aſtrologiæ partib.excelleret,hoc prędictionis genere nõ sũt vſi.

Item

Itē Scylax Halicarnaſſæus,familiaris Panætij excellēs in Aſtrologia , ideq; in regenda ciuitate ſua princeps , totū hoc Chaldaicum negotium repudiauit.

Phauorinus Philoſophus apud Aulum Gellium,lib.14.Noctium Atticarum, cap.1. Genethliacam ait eſſe offuciarum genus ab eruſcatoribus excogitatum, ad eradendam ex alienis loculis pecuniam. Sapienter & Dion ridiculos Aſtrologos eſſe pronunciauit,qui non videntes piſces iuxta ſe ad littus nantes, profitentur ſe videre piſces cœlo labentes. Nec magis acutè quàm verè Diogenes Cynicus cuidam oſtendenti in Aſtrologorum egregia concione depictas ſtellas errantes,reſpondiſſe fertur , Ne mentiaris,bone vir,ſtellæ nequidquam errant,Aſtrologi inſaniūt potiùs. Intellexit Alexandria,vrbs celeberrima,eorum inſaniam & tarditatem ingenij , qui Genethliacos conſulunt , & hac de cauſa vectigal quoddam eos perſoluere iuſſit , quod fatuū appellauit,vt vel ipſo nomine moneret non niſi fatuos homines huiuſmodi ineptiis vti ſolere.

Bardaſſenus Syrus , Genethliaca doctrina longè clariſſimus , apud eundem Euſeb.lib.6.de præparat.Euangelica,c.8.luculēta oratione Aſtrologos proditæ veritatis crimine cōuincit; quod & à Marco Tullio factū leges lib. 2. de Diuin.

Lactantius noſter lib.2.de origine erroris,cap.17. dæmonum inuentum eſſe Aſtrologiam,ſcripſit.

Tertullianus lib.de Idololatria, [De Aſtrologis(inquit)ne loquendum quidem eſt, ſed quoniā quidem iſtis diebus pronunciauit defendens ſibi perſeuerantiā profeſſionis iſtius,paucis vtar. Non allego quòd idola honoret,quorum nomina cœlo inſcripſit,quibus omnem Dei poteſtatem addixit,quod propterea hominis non putant Deum requirendum , præſumentes nos ſtellarum immutabili arbitrio agi,vnum propono,Angelos eſſe illos deſertores Dei,amatores fœminarū,proditores etiam huius curioſitatis,propterea quoq; damnatos à Deo.O diuina ſentētia vſq; ad terrā pertinax,cui etiā ignorātes teſtimoniū reddūt!Expellūtur Mathematici ſicut Angeli eorū.Vrbs Italia interdicitur Mathematicis,ſicut cœlū Angelis. Eorū eadē pœna eſt exilij diſcipulis,& Magiſtris.]

Tatianus orat.contra Græcos figuras poſitionis inquit ſyderum hominibus dæmones oſtendentes , tanquam in teſſerarum ludo fatum , rem prorſus iniquam introduxerunt.

Cyrillus Alexandrinus lib.10. in Iulianum ſic de Mathematicis loquitur. [Vides illos habere erroris officinas , mendaciorum fora. hi admirantur ſemper aſtrorum curſus , & pro minimis obolis interdum cœleſtia loquuntur ſacramenta,mulieres autem comprehendentes,& plebeiorum mentem demulgentes, extenuant marſupia,& ſuffurantes paruos quæſtus,ſuæ frigidæ vaniloquentiæ mercedem lucrantur,&c.]

Idem lib.4. in Eſaiam cap.47. extremo. [Si verò putas meum ſermonem à veritate aberraſſe,ſtent,& ſeruent te Aſtrologi cœli, qui cenſuerunt ſtellas,annuncient tibi,quid tibi ſit venturum,alius hic eſt ordo nugarum,&c.]

Eodem pertinent quæ S.Gregor.diſſerit homil.in cap.2.Matth. S.Chryſoſt. hom.2.ad 2.c.S.Matth. S.Hieron.lib.2.in Ierem.c.10. in c.2. Sophoniæ,& quæ ex S.Aug.S.Baſil.S.Ambroſ.Orig.Euſeb. referemus ſequentibus capitulis.

In horum ſententiam turmatim iēre Theologi quoque Scholaſtici , & S. Thom.Aquin.in primis 1.p.q.115.2.2.q.85.a.5. Alexand.Alenſis,S.Thomæ Magiſter 2.p.ſummæ, q.164.in 6.reos,ait,eſſe,qui huiuſmodi nugis fidem habent, & S.Bonauentura in 2.d.14.art.4.q.3. qui non obiter,ſed ex profeſſo rem hanc

 diſcu

Digitized by Google

diſcutit. Scotus in 2.d.19. q.3. S.Antoninus 2.p. ſum.tit.12. cap.1.§.6. Ioannes Baonius in 4.quæſt.9. prolog.art.3.& 4. Heruæus tract. de materia cœli,q.9. Richard.2.d.14.art.3. q.5. Mairon. 2.d.14.q.4. Gabriel 2.d.14.q.vnica,dub.vlt. Argentina in 2.d.14.q.1.art.3.& 4. Dominicus Dagnes 1.p.q.115.art.4. dub.1. Franc. Zumel,1.p.q.57.art.3.§.ad tertium. Franc.Ouandus in 2.d.7.q.1. Ioan. Cælaia in 2.d.14.q.4.& qui ſubtilius rem hanc limarunt Gulielmus Pariſienſis tract.de legibus,& Michaël Medina lib.2.de recta in Deum fide,cap.1.

Eandem ſententiam frequenti ſuffragio Philoſophi firmarunt Iulius Firrenus lib.9.de fato,cap.29. Georgius Trapezuntius lib.cuius titulus, cur Aſtrologorum iudicia,vt plurimum ſint falſa, Franciſcus Valeſius lib. de ſacra Philoſophia,cap.31. Cornelius Dorcenſis lib.de ſuperſtitione, par.2.cap.5. Marſilius Ficinus com.ad librum Plotini. [Vtrùm ſtellæ aliquid (inquit) agant quæritur inter ſapientes, ſed omnium quæ nobis accidunt, ſiuntve à nobis, manifeſtas ſufficientéſque cauſas apud nos reperimus in propria generis noſtri natura, in conſuetudine, affectu, conſilio, actione, occaſione, concurſu circumſtantium cauſarum, neque vnquam ſine his cauſis è cœlo fit aliquid: vt nihil opus ſit horum in cœlo cauſas perſcrutari, quæ ſæpe in terra patent,neque tamen inueniuntur in cœlo, &c.] Ioannes Picus Comes Mirandulanus libris duodecim contra Aſtrologos,Franciſcus Picus eius nepos libris 5.de prænotat. Longum eſſet Philoſophos omnes percenſere, qui Aſtrologicas rationes damnarunt, quotquot lib.1. huius operis, cap.5. influentiarum iniquum philoſophiæ forum eiurarunt,Genethliacæ vanitatem profeſſi ſunt.

Ad hos acceſſerunt Iuriſconſulti, prudentiſſimi viri,Ioannes Andreas Anchar. Abbas ad c.ex tract. de ſortilegiis, Ioannes Cardinalis Turrecremata ad c.illos, eodem titulo, & iterum in ſumma de Eccleſia, Albericus Roſatus verbo,ſortilegus.Trailus Maluctius tract.de ſortibus,p.1.Baldus,Salicetus,aliique permulti ad l.artem, & l.nemo,C. de maleficiis, & Mathematicis. Girardus de ſortilegiis quæſt.3. num.8. quæſt.11. num.16.

Sed quis maiori fide teſtificari poteſt Genethliacæ vanitatem quàm Mathematici ipſi Aſtrologicis præceptionibus egregiè inſtructi,& arcanorũ omnium myſteriorũ conſcij?quos ſi omnes turpis egeſtas,aut iniquus queſtus pateretur, id quod ſentiũt ingenuè fateri nullos iam haberemus Aſtrologicarum fabularũ patronos. Certè ij qui procul fraudes,procul habuerũt mẽdacia luce palam artis ſuæ vanitatẽ profeſſi ſunt, ex quorũ infinito numero vt præcipuos proferamus,Claudius Ptolemæus lib.2. quadripartiti.[Fieri autem nequit(inquit)vt qui ſciens eſt,particulares rerũ formas pronunciet: ſicut nec ſenſus particularem, ſed generalem quandam ſuſcipit formam,oportet autem tractantem hæc rerum coniectura vti, ſoli autem numine afflati prædicunt particularia.]

Rurſus Pontanus in dialogo quodam ſic ſcribit: [Quid quòd rem certa cognitio,eáque quæ ſcientia dicitur, generalibus verſatur in perſcrutationibus? quis igitur humorum, è quibus conſtamus, ſingulas aſſequi poſſit ſiue commiſtiones,ſiue temperaturas? quis rurſus ſyderum particulares vires,quæ tum abſtruſiſſimæ ſunt, tum penè infinitæ? quis item aduerſantium inter ſe gladiationes particulatim cognitas & obſeruatas habeat, & quantum, & quouſque? Itaque illi ipſi, qui ad particulares delabuntur prædictiones, ab ipſo etiam Ptolemæo habentur deriſui, cùm neceſſe ſit eorum coniecturas obſeruationeſque hac in parte vacillare,ipſoſque non ſolum errare è via,verùm tur-

piſſimè dilabi, deque veſtigio ruere, &c.] Ioannes Kepplerus, & propter ingenij magnitudinem, & propter doctrinæ copiam, iure inter Aſtrologiæ Principes numerari poteſt; at hic lib. 1. de ſtella noua, cap. 2. extremo, repudiatis omnibus Aſtrologiæ inſtrumentis, ſolos ſtellarum aſpectus retinẽdos cenſet. [Atque hoc genus rerum (inquit) aſpectus duarum ſtellarũ, quarum vel vtraque vel altera ſit immobilis, illud eſt, quod ego penè ſolum, in Aſtrologia retinendum cenſeo, quod quidē tanta contētione contra Philoſophos artis penitus ignaros philoſophicè, & ex doctrina harmonica (penè in ſolidũ ignorata) defendo, quãta fidentia reliquam Aſtrologorum ſupellectilem penè omnem eliminandam eſſe cenſeo, idque in omnib. meis ſcriptis Aſtrologicis indeſinenter proteſtor.]

Sixtus Hemminga Friſius in Aſtrologicis diſciplinis apprimè verſatus recenti opere cui Aſtrologiæ refutatæ titulũ fecit, multis geniturarũ allatis exemplis diuturno vſu & experientia edoctus, Aſtrologorũ deliramẽta patefecit.

Tycho Brahæ lib. 1. de noua ſtella, pag. 612. aſtrorum vires Aſtrologis perceptas negat, & Aſtrologiã, ſi quæ eſt, à mortalibus longè abeſſe contendit, & pag. 648. docet aſtrorũ congreſſus non poſſe certò Aſtrologos notare. Pag. 650. [Fruſtra (inquit) pro ſe Arabum, atque aliorum Aſtrologorum placita veritatibus implicita allegat Appianus, &c.] Aſtrologorum futilitates appellat, & pag. 777. ita aduerſus .... & Cardanum Aſtrologos agit, vt planè oſtendat Aſtrologiam nō eſſe humanã diſciplinã. Neque Ioanni Pico Mirandulano Comiti, neq; Franciſco eius nepoti obiici poteſt Aſtrologiæ ignoratio, tam multa, tam accuratè huius diſciplinæ placita, & arcana myſteria referunt, vt facilè pateat omnes Genethliacæ latebras & abditos receſſus illis perſpectos fuiſſe, tã multis tamē modis Aſtrologicas fabulas exagitat, vt longè, lateque veritas colluceat.

His addo Eudoxum Archelaum, Caſſandrum, Scylacem, Halicarnaſſæum Aſtrologiæ ſcientiſſimos, qui apud Tullium, lib. 2. de Diuinatione Genethliacæ vanitatem profitentur, tam denique ſapientum omnium teſtificatione manifeſta, tam Mathematicorum confeſſione certa ſunt Aſtrologiæ ludibria, tam pudenda ſunt Genethliaca commenta, & mendacia, vt Poëtæ etiam fabularum, mendaciorũmque Magiſtri Genethliacis ſuperbè illudere, & ſubtilitatem artis exprobrare non dubitarint.

Non habeo denique (inquit Ennius) *nauci Marſum augurem,*
Non vicanos Aruſpices, non de circo Aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomniûm;
Non enim ſunt hi, aut arte diuini, aut ſcientia,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentéſque arioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat,
Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias,
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam,
Quibus diuitias pollicentur ab his drachmam petunt,
De his diuitiis deducant drachmam, reddant cætera.

Mitto quæ Iuuenalis ludit lib. 2. ſed non poſſum omittere quatuor aureos verſiculos inuictiſſimi, clariſſimique Martyris Mori in vatem fama inclytum:

Aſtra tibi, inquit, *æthereo pandunt ſeſe omnia vati*
Omina, vel quæ ſint fata futura monent.
Omnibus aſt vxor quod ſe tua publicat: id te
Aſtra licèt videant omnia, nulla docent.

Quare

Quare in tanto omnium diſciplinarum, omnium Academiarum, Scholarum omnium, omnium ætatum, temporum omnium, Philoſophorũ omnium, omnium ſapientum de Genethliaca vanitate conſenſu, neminem reperiri arbitror ita ſtolidum, ita ad intelligẽdum hebetem, qui huius artis incredibilem leuitatem non videat; ipſimet hoſtes veritatis, etiam ſi inſanire velint, quòd omnium ſapientum iudiciis reſpondere poſſint, reperient nihil. Verùm ne ſola auctoritate ſapientum circumuentos ſe Genethliaci querantur, aliquot diſertiſſimorum hominum luculentas diſputationes his attexam, quibus rationes continentur, ob quas ſapientiæ optimates iure Aſtrologos tamquam veritatis hoſtes à republica literaria amouerunt.

CAPVT TERTIVM.

Diſertiſſima S. Ambroſij in Genethliacos diſceptatio.

ADVERSVS eos qui ſe Chaldæos ſeu Genethliacos appellant, & de motu poſitúque ſtellarum quæ futura ſunt, dicere ſe poſſe profitentur, omnes qui literis & doctrina pollent ſtare; ſuperiori capite docuimus, verùm ne quis exiſtimet ſapientes viros temere, nec ſatis perſpecta cauſa in Genethliacam leuitatem tuliſſe ſententiam, placuit eorum hoc loco adſcribere diſputationes, vt planum fiat eos nõ ignoraſſe Aſtrologorum ſcita, ſed improbaſſe. Initium autẽ faciemus à S. Ambroſio, qui lib. 4. hexameron, c. 4. deſcripſit S. Baſilij diſputationẽ ho. 4. in hexamerõ. Sic autẽ ait: [Denique nonnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit vnuſquiſque, qui natus ſit: cùm hoc non ſolùm vanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus, impoſſibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quàm vt vnuſquiſque perſuadeat ſibi hoc eſſe, quòd natus eſt? Nemo ergo debet vitam ſuam, ſtatum, moréſque mutare, neque eniti quo melior fiat. Sed in ea perſuaſione neque probum potes laudare, nec condemnare improbum, cùm neceſſitati natiuitatis ſuæ reſpondere videatur. Et quomodo Dominus aut bonis præmia propoſuit, aut improbis pœnas, ſi facit neceſſitas diſciplinam, & conuerſationem ſtellarum curſus informat? Et quid eſt aliud, quàm hominem de homine exuere, ſi nihil moribus, nihil inſtitutioni, nihil ſtudiis derelinquitur? Quàm multos videmus ereptos criminibus, atque peccatis, in meliorem ſtatum eſſe conuerſos? Redempti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus: non vtique natiuitatis ſuæ hora, ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus, & hora Dominicæ paſſionis redemit à morte. Latro ille damnatus, ille cum Domino crucifixus, non beneficio natiuitatis ſuæ, ſed fidei confeſſione ad Paradiſi æterna tranſiuit. Ionam in mari non ius natiuitatis, ſed diſſimulatæ diuinæ præceptionis præcipitauit offenſa, eumdémque cetus excipiens ad indicium futuri myſterij poſt triduum reuomuit, & propheticæ merito gratiæ reſeruauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum Angelus Chriſti, non ſtellarum ſeries liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, & percuſſum à vipera, turbatúmque naufragio, non remedia natiuitatis, ſed deuotionis merita ſeruauerunt. Quid de illis dicimus, qui eorum precibus, cùm fuiſſent mor-

tui,reuixerunt? Vtrùm illos ſua natiuitas,an Apoſtolica gratia ſuſcitauit? Quid opus fuit,vt ſe ieiuniis,periculiſque committerent,ſi quò volebant natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quòd ſi crediđiſſent, dum expectant fatorum neceſſitatem, nunquam ad tantam perueniſſent gratiam. Inutilis igitur iſta perſuaſio. Quid, quòd etiam impoſſibilis? Nam vt de eorum aliquid diſputatione ſumamus redarguendi gratia,non probandi, magnam vim dicunt eſſe natiuitatis, eámque minutis quibuſdam, & certis colligi oportere momentis: ac niſi veriùs colligatur ſummam eſſe diſtantiam. Breui enim atomo, exiguóque momento diſtare natiuitatem inopis, & potentis, egentis, & diuitis, innocentis,& noxij;& plerumque eadem hora generari,longæuitati debitum, & prima pueritiæ ætate moriturum, ſi reliqua diſparia ſint, & aliquo puncto diſcreta.Hoc quemadmodum poſſint colligere,reſpondeant. Conſtituent partum fœminæ;obſtetrix vtique cum primò recognoſcit, explorat vagitum,quo natiuitas colligitur, attendit vtrùm maſculus ſit, an fœmina. Quot vis inter has moras præterire momenta? Pone Mathematicum præparatum, nunquid poteſt vir intereſſe puerperio? Dum mandat obſtetrix, audit Chaldæus, ponit horoſcopum, in alterius ſortem iam nati fata migrarunt: de altero quæritur, & alterius genitura proponitur. Pone veram eſſe eorum opinionem de natiuitatum neceſſitatibus, non poteſt vera eſſe collectio. Puncta tranſeunt, fugit tempus irreparabile. Non eſt dubium, quod tempus in atomo, & momento oculi ſit: adducor, vt credam quando omnes in atomo, in momento, in ictu oculi reſuſcitamur, vt Apoſtolus proteſtatur, dicens: Ecce myſterium vobis dico, omnes quidem reſurgemus, non omnes autem immutabimur, in momento,in ictu oculi,in nouiſſima tuba, (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti,& nos immutabimur.Inter effuſionem,& ſuſceptionem,depoſitionémque pignoris, fletum eius,& nuncium quot atomi tranſierunt? Et hoc, vt ſimpliciter iſta texuerim. Nam & ipſi vitalem illum Signorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt, & quia triginta diebus Sol duodecimam partem ſphæræ eius, quæ inerrabilis habetur, egreditur, quo gyrus Solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas, quas μοῖρας Græci vocant, vnamquamque duodecim illarum diſtribuunt portionem, ipſam quoque portiunculam in ſexaginta vices conferunt. Rurſus vnumquodque de illis ſexaginta ſexagies ſecant.Quàm incomprehenſibile eſt in quoto ſexageſimo ſexageſimæ portiunculæ natiuitatis momenta conſiſtant;& qui ſingulorum Signorum ſit aut motus,aut ſpecies in natiuitate naſcentis! Vnde cùm impoſſibile ſit tam ſubtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem mutatio inuehat vniuerſitatis errorem,totum negotium plenum eſt vanitatis. Diſputatores eorum quæ ſua ſunt neſciunt, quomodo alia nouerunt? quid ſibi immineat ignorant,quomodo poſſunt aliis quæ ſibi futura ſunt denunciare? Ridiculum eſt credere, quia ſi poſſent,ſibi potiùs prouiderent. Iam illud quàm ineptum, vt ſi quis ſigno Arietis ortum ſe dicat, ex vſu pecudis æſtimetur præſtantiſſimus conſilio, quod in grege huiuſmodi emineat pecus; aut locupletior, eo quòd veſtitum habeat Aries naturalem, & quotannis lucrum capiat indumenti, eóque viro illi familiaria videantur quæſtuum eſſe compendia? Similiter & de Tauri & de Piſcium ſignis argumentátur, vt ex natura vilium animantium cœli motus, & ſignorum interpretandas exiſtiment poteſtates. Cibus ergo noſter viuendi nobis decreta conſtituit, & alimenta noſtra nobis, id eſt, Aries,

Digitized by Google

Taurus, & Piſcis, morum imprimunt diſciplinam? Quomodo igitur de cœlo nobis cauſas rerum, & ſubſtantiam vitæ huius accerſunt, cùm ipſis cœleſtibus ſignis cauſas motus ſui ex qualitatibus eſcæ vilis impertiant? Liberalem aiunt ſigno ortum Arietis, eo quòd lanam ſuam Aries non inuitus deponat: & huiuſmodi virtutem vilis animantis malunt naturæ deputare, quàm cœlo, vnde & ſerenitas nobis fulget, & pluuia ſæpe deſcendit. Laborioſos, & patientes ſeruitij, quos naſcentes Taurus aſpexerit, quia animal laborioſum, & aſſuetum iugo ſpontanea ſeruituti colla ſubmittat. Percuſſorem quoque, cuius natiuitatem Scorpius in ſua parte complexus ſit, & malitiæ venena reuomentem, eo quòd animal venenatum ſit. Quid igitur auctoritatem viuendi daturum te ſignorum cœleſtium dignitate prætendis, & de nugis quibuſdam argumentum aſſertionis aſſumis? Nam ſi de animalibus aſſumptæ huiuſmodi morum proprietates cœli motibus imprimuntur: & ipſum videtur beſtialis naturæ poteſtati eſſe ſubiectum, ex qua cauſas vitalis ſubſtantiæ, quas hominibus impertiret, accepit. Quòd ſi hoc abhorret à vero, multò magis illud ridiculum veri ſubſidio eos deſtituros, hinc fidem ſuæ diſputationis accerſere. Deinde illud conſideremus, quòd Planetas illa ſigna appellant, quorum motibus formari aſſerunt vitæ noſtræ neceſſitates. Siue igitur, vt nomen ſonat, ſemper vagentur: ſiue, vt ipſi dicunt, quod concito motu ferantur, & decies millies in die, aut, ſi hoc incredibile videtur, multiplicem ſpeciem innumera ſui conuerſione commutent: fide caret, quòd tam vago ſui errore, & tam celeri motu fixam nobis, atque immobilem viuendi ſubſtantiam, ſortémque decernant. Ferunt tamen non eſſe æquales omnium motus, ſed aliorum celeriores, aliorum tardiores eſſe circuitus, vt in eadem hora & videant ſe frequenter, & frequenter abſcondant, dum aliud ab alio prætereitur. Aiunt autem plurimum referre, ortum generati benefica Signa videant, an malefica, & noxia: & in eo natiuitatis eſſe diſtantiam, quòd benefici Signi aſpectus plurimum conferat, malefici, & noxij plurimum noceat. Sic enim eadem Signa, quæ venerantur, appellare conſueuerunt. Neceſſe enim habeo eorum vti nominibus, quorum vtor aſſertionibus, ne ignorata magis, quàm vacuefacta, atque deſtructa ſua argumenta commemorent. Itaque cùm illum vagum, celeremq; motum non queant comprehendere, ſæpe fit, vt per illam puncti, & momenti incóprehenſibilis ſubtilitatem ponant, benefici Signi aſpectum, vbi grauis, atque nocitura incurrat offenſio. Et quid mirum, ſi ibi luduntur homines, vbi Signa innoxia blaſphemantur? Quæ ſi natura noxia eſſe creduntur, Deus ergo ſummus arguitur, ſi fecit quod malū eſt, & fuit improbitatis operator. Si verò ex ſua volūtate putantur aſsúpſiſſe quod noceat inſontibus, & nullius adhuc facinoris peſſimi ſibi cóſciis, quibus pœna adſcribitur, antequā culpa: quid tam irrationabile, quod etiam irrationabilium beſtiarū excedat immanitatem, vt vſus fraudis, aut gratiæ, non meritis hominū deputetur, ſed Signorū motibus deferatur? Nihil (inquit) ille deliquit, ſed noxia eum ſtella conſpexit, Saturni ei ſydus occurrit, auertit ſe paululū, & ærumnam abſtulit, & crimen aboleuit: ſed hæc eorū ſapientia telæ araneæ comparatur, in quam ſi culex, aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt: ſi verò validiorum animantiū vllum genus incurriſſe viſum eſt, pertranſiuit, & caſſes rupit infirmos, atq; inanes laqueos diſſipauit. Talia ſunt retia Chaldæorū, vt in his infirmi hæreant, validiores ſenſu offenſionem habere non poſſint. Itaq; vos, qui validiores eſtis, cùm videritis Mathematicos, dicite: Telam araneæ texunt, quæ nec vſum aliquem

aliquem poteſt habere, nec vincula, ſi tu non quaſi culex, aut muſca, lapſu tuæ infirmitatis incurras, ſed quaſi paſſer, aut columba caſſes inualidos præpetis volatus celeritate diſſoluas. Etenim quis prudentiũ credat, quòd Signorũ motus, qui ad diem ſæpe mutantur, & multipliciter in ſe recurrunt, inſignia deferant poteſtatum? Nam ſi ita eſſet, quantæ ad diem regaliũ natiuitatũ exprimerentur figuræ? Quotidie ergo Reges naſcerentur, néc Regalis in filios tranſmitteretur ſucceſſio, ſed ſemper ex diuerſo ſtatu, qui ius imperiale acquirerent poteſtatis, orirentur. Quis igitur Regũ genituram filij ſui colligit, ſi ei debeatur imperiũ, & non proprio ſucceſſionem regni in ſuos transſcribit arbitrio? Legimus certè, quòd Abia genuit Aſa, & Aſa genuit Ioſaphat, & Ioſaphat genuit Ioram, & Ioram genuit Oziam; & reliqua omnis vſque ad captiuitatem per Reges generis pariter, & honoris ducta ſucceſſio eſt, Nunquid quia Reges fuerunt, Signis cæleſtibus formandos motus ſuos imperare potuerũt? Quis enim hominũ poteſt habere in his dominatũ? Deinde ſi ad neceſſitatem genitalem, non ad inſtituta morũ actus noſtri, factáq; referantur, cur leges propoſitæ ſunt, iura etiã promulgata, quibus aut pœna improbis decernitur, aut ſecuritas defertur innoxiis? Cur non venia datur reis, cùm vtique, vt ipſi aiunt, non ſua volũtate, ſed ex neceſſitate deliquerint? Cur laborat agricola, & non magis expectat, vt inelaboratos fructus priuilegio ſuæ natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus eſt, vt ei diuitiæ, atq; opes affluant, vt ſibi ſpontaneos reditus ſine vllo ſemine, atq; opere terra parturiat: non vomerem aruis imprimat, non curuæ manũ falci admoueat, non legendæ vindemiæ ſubeat expenſam, ſed vltrò ei in omnes ferias vina fundantur fluentia, ſpõte ei oleum nullis inſerta caudicibus ſylueſtris oleæ bacca deſudet, nec diffuſi æquoris transfretaturus periculũm, propriæ ſalutis ſollicitus mercator horreſcat, cui otioſo poteſt, vt aiunt, quadam ſorte genitali diuitiarum theſaurus illabi. Sed non hoc eſt vniuerſorum ſententia. Deniq; impiger depreſſo aratro terram ſcindit agricola, nudus arat, nudus ſerit, nudus Sole feruente toſtas æſtate colligit fruges, & negotiator impatiens flantibus Euris, in tuto plerumq; nauigio ſulcat mare. Vnde importunitatem eorũ, temeritatémq; condemnans Propheta ait: Erubeſce Sidon, dixit mare: hoc eſt, ſi pericula vos non mouent, vel pudor comprimat, verecundia confundat. Erubeſce Sidon, in qua nullus virtuti locus, nulla ſalutis cura, nulla iuuentus pro excubiis patriæ bello dedita, armíſq; exercita, ſed omnis ſollicitudo de quæſtu, omne ſtudium mercaturæ. Semen, inquit, mercatorum ſicut meſſis. Quæ autem merces homini Chriſtiano, ſi non ex volũtate, ſed ex neceſſitate curas ſuas, & opera componit? Vbi enim directa neceſſitas, ibi inhonorata induſtria.] Hæc S. Ambroſius mellita quidem, ſed neruoſa æquè, & aculeata oratione.

CAPVT QVARTVM.

Diſceptatio S. Auguſtini aduerſus Aſtrologos coniectores.

DEBEO & S. Auguſtini lectiſſimam de Genethliaca leuitate diſputationem hic ponere: is enim & propter magnitudinem ingenij, & propter incredibilem doctrinæ copiam, & propter ſingulare huius diſciplinæ ſtudium, quod tum lib. 4. Confeſſ. cap. 3. tum lib. 7. cap. 6. profitetur,

meritus, vt eius teſtimonium omnium rationum momenta contineat: Libro ergo 2. de doctrina Chriſtiana, cap.21.22.23. ſic ſcribit: [Neque illi (inquit) ab hoc genere pernicioſæ ſuperſtitionis ſegregandi ſunt, qui Genethliaci propter natalium dierum conſiderationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur. Nam & ipſi, quamuis veram ſtellarum poſitionem, cùm quiſque naſcitur, conſectentur, & aliquando etiam peruestigent; tamen quòd inde conantur vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miſerabilem ſeruitutem. Nam quiſque liber cùm ad huiuſmodi Mathematicum ingreſſus fuerit, dat pecuniam, vt ſeruus inde exeat, aut Martis, aut Veneris, vel potiùs omnium ſyderum, quibus illi, qui primi errauerunt, errorémque poſteris propinauerunt, vel beſtiarum propter ſimilitudinem, vel hominum, ad ipſos homines honorandos, impoſuerunt vocabula. Non enim mirandum eſt, cùm etiam propioribus, recentioribúſque temporibus ſydus, quod appellamus Luciferum, honori, & nomini Cæſaris Romani dicare conati ſunt. Et fortaſſe factum eſſet, atque iſſet in vetuſtatem, niſi auia eius Venus præoccupaſſet hoc nominis prædium, neque iure vllo ad hæredes traiiceret, quod nunquam viua poſſederat, aut poſſidendum petiuerat. Nam vbi vacabat locus, neque alicuius priorum mortuorum honore tenebatur, factum eſt, quod in rebus talibus fieri ſolet. Pro Quintili enim, & Sextili menſibus, Iulium, atque Auguſtum vocamus, de honoribus hominum Iulij Cæſaris, & Auguſti Cæſaris nuncupatos, vt facilè qui voluerit intelligat etiam illa ſydera priùs ſine his nominibus cælo vagata eſſe. Mortuis autem illis, quorum honorare memoriam, vel coacti ſunt homines regia poteſtate, vel placuit humana vanitate, nomina eorum imponentes, ſyderibus eos ipſos ſibi mortuos in cælum leuare videbantur. Sed quomodolibet vocentur ab hominibus, ſunt tamen ſydera, quæ Deus inſtituit, & ordinauit, vt voluit, & eſt certus motus illorum, quo tempora diſtinguuntur, atque variantur. Quem motum notare, cùm quiſque naſcitur, quomodo ſe habeat, facile eſt per eorum inuentas, conſcriptáſque regulas; quod ſancta Scriptura condemnat, dicens: Si enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodo eius Dominum non faciliùs inuenerunt?

Sed ex ea notatione velle naſcetium mores, actus, euenta prædicere, magnus error, & magna dementia eſt. Et apud eos quidē, qui talia dediſcenda didicerunt, ſine vlla dubitatione refellitur hæc ſuperſtitio. Conſtellationes enim, quas vocant, notatio eſt ſyderum, quomodo ſe habebant, cùm ille naſceretur, de quo iſti miſeri à miſerioribus conſuluntur, fieri autem poteſt, vt aliqui gemini tam ſequaciter fundantur ex vtero, vt interuallum temporis inter eos nullum poſſit apprehendi, & conſtellationum numeris annotari. Vnde neceſſe eſt, nonnullos geminos eaſdem habere conſtellationes, cùm paria rerum, vel quas agunt, vel quas patiuntur, euenta non habeant, ſed plerumque ita diſparia, vt alius fœliciſſimus, alius infœliciſſimus viuat: ſicut Eſaū, & Iacob geminos accepimus natos, ita vt Iacob, qui poſterior naſcebatur, manu plantam præcedentis fratris tenens inueniretur. Horum certè dies, atque hora naſcentium aliter notari non poſſet, niſi vt amborum conſtellatio eſſet vna. Quantum autem interſit inter amborum mores, facta, labores, atque ſucceſſus, Scriptura teſtis eſt, iam ore omnium gentium peruagata. Neque enim ad rem pertinet, quod dicunt ipſum momentum minimum, atque anguſtiſſimum

temporis

temporis,quod geminorum partum diſterminat multum valere in rerum natura, atque cœleſtium corporum rapidiſſima velocitate. Etſi enim concedam vt plurimum valeat, tamen in conſtellationibus à Mathematico inueniri non poteſt, quibus inſpectis ſe fata dicere profitetur. Quod ergo in conſtellationibus non inuenit quas neceſſe eſt vnas inſpiciat, ſiue de Iacob, ſiue de eius fratre conſulatur, quid ei prodeſt, ſi diſcat in cœlo quod temere ſecurus infamat, & non diſcat in tabula, quam fruſtra ſolicitus intuetur? Quare iſtæ quoque opiniones quibuſdam rerum ſignis humana præſumptione inſtitutis ad eadem illa quaſi quædam cum dæmonibus pacta, & conuenta referendæ ſunt.

Hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum illudentibus eos, atque decipientibus præuaricatoribus Angelis: quibus iſta pars mundi infima ſecundùm ordinem rerum diuinæ prouidentiæ lege ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus, & deceptionibus euenit, vt iſtis ſuperſtitioſis, & pernicioſis diuinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec aliter accidant,quàm dicunt,multáque obſeruantibus ſecundùm obſeruationes ſuas eueniãt,quibus implicati curioſiores fiant,& ſeſe magis magiſque inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſſimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ ſalubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab ea ſic deterruit animam, vt propterea talia negaret eſſe ſectanda, quia falſa dicuntur à profeſſoribus eorum. Sed etiam ſi dixerint vobis (inquit) & ita euenerit,ne credatis eis. Non enim quia imago Samuelis mortui, Sauli Regi vera pronunciauit, propterea talia ſacrilegia, quibus imago illa præſentata eſt, minùs execranda ſunt, aut quia in Actibus Apoſtolorum ventriloqua fœmina verum teſtimonium perhibuit Apoſtolis Domini, ideo Paulus Apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potiùs fœminam illius dæmonij correptione, atque excluſione mundauit. Omnes igitur artes huiuſmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta penitus ſunt repudianda, & fugiendæ Chriſtiano:non quòd idolum ſit aliquid,vt ait Apoſtolus,ſed quia quæ immolant idolis, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum.Quod autem de idolis,& de immolationibus,quæ honori eorum exhibentur, dixit Apoſtolus, hoc de omnibus imaginariis ſignis ſentiendum eſt, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam, eiúſque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum, aliarúmque obſeruationum curam pertinent; quæ non ſunt diuinitus ad dilectionem Dei, & proximi, tanquam publicè conſtituta, ſed per priuatas appetitiones rerum temporalium corda diſſipant miſerorum. In omnibus ergo iſtis doctrinis ſocietas dæmonum formidanda, atque vitanda eſt, qui nihil cum principe ſuo diabolo, niſi reditum noſtrum claudere, atque obſerare conantur. Sicut autem de ſtellis, quas condidit, & ordinauit Deus humanæ, & deceptoriæ coniecturæ ab hominibus inſtitutæ ſunt: ſic etiam de quibuſdam naſcentibus, vel quoquo modo diuinæ prouidentiæ adminiſtratione exiſtentibus rebus multi, multa humanis ſuſpicionibus, quaſi regulariter coniecta literis mandauerunt, ſi fortè inſolitè acciderint, velut ſi mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur.

Quæ omnia tantùm valent, quantùm præſumptione animorum quaſi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata ſunt. Quæ tamen omnia plena ſunt peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſollicitudinis, mortiferæ ſeruitutis. Non enim quia valebant, animaduerſa ſunt, ſed animaduertendo, atque ſignando factum eſt, vt valerent, & ideo diuerſis diuerſe proueniunt ſecundùm cogitationes, & præſumptiones ſuas. Illi enim ſpiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per ſuſpiciones, & conſenſiones eius viderint. Sicut enim, verbi gratia, vna figura literæ, quæ decuſſatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non natura, ſed placito, & conſenſione ſignificandi; & ideo qui vtramque linguam nouit, ſi homini Græco velit aliquid ſignificare ſcribendo, non in ea ſignificatione ponit hanc literam, in qua eam ponit cùm homini ſcribit Latino. Et beta vno eodémque ſono, apud Græcos literæ, apud Latinos oleris nomen eſt. Et cùm dico lege, in his duabus ſyllabis aliud Græcus, aliud Latinus intelligit. Sicut ergo hæ omnes ſignificationes pro ſuæ cuiuſque ſocietatis conſenſione animos mouent: & quia diuerſa conſenſio eſt, diuerſe mouent: nec ideo conſenſerunt in eas homines, quia iam valebant ad ſignificationem: ſed ideo valent, quia conſenſerunt in eas: ſic etiam illa ſigna, quibus pernicioſa dæmonum ſocietas comparatur, pro cuiuſque obſeruationibus valent. Quod manifeſtiſſimè oſtendit ritus augurum, qui, & antequam obſeruent, & poſteaquam obſeruata ſigna tenuerint, id agunt, ne videant volatus, aut audiant voces auium, quia nulla iſta ſigna ſunt, niſi conſenſus obſeruantis accedat.]

CAPVT QVINTVM.

Alia S. Auguſtini grauiſſima in Aſtrologos coniectores diſputatio.

INCREDIBILE eſt quàm multis variiſque modis S. Auguſtinus Aſtrologiæ futilitatem oſtendat, & cùm ea ſit mendacij natura, vt multis ſe prodat argumentis, non vnam aut alteram, ſed plurimas, vir ingenio & doctrina incomparabilis, in Aſtrologos contorquet rationes. Quare lib. 7. Confeſſ. cap. 6. [Iam (inquit) Mathematicorum fallaces diuinationes, & impia deliramenta reiecceram. Confiteantur etiam hinc tibi de intimis viſceribus animæ meæ, miſerationes tuæ Deus meus. Tu enim, tu omnino, nam quis alius à morte omnis erroris reuocat nos, niſi vita, quæ mori neſcit, & ſapientia mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine, qua mundus adminiſtratur vſque ad arborum volatica folia? Tu procuraſti peruicaciæ meæ, qua obluctatus ſum, Vindiciano acuto ſeni, & Nebridio adoleſcenti mirabilis animæ: ille vehementer affirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua, ſed tamen crebrò dicenti, non eſſe vllam artem futuro prævidendi, coniecturas autem hominum habere ſæpe vim ſortis, & multa dicendo dici pleraque ventura, neſcientibus eis, qui dicerent, ſed in ea non tacendo incurrentibus. Procuraſti ergo tu hominem amicum,

amicum, non quidem ſegnem conſultorem Mathematicorum, nec eas literas bene callentem, ſed (vt dixi) conſultorem curioſum, & tamen ſcientem aliquid, quod à patre ſuo ſe audiſſe dicebat, quantum valeret ad illius artis opinionem euertendam ignorabat. Is ergo vir nomine Fitminus liberaliter inſtitutus, & excultus eloquio, cùm me tanquam chariſſimum de quibuſdam ſuis rebus, in quas ſecularis ſpes eius intumuerat, conſuleret quid mihi ſecundùm ſuas, quas conſtellationes appellant, videretur. Ego autem, qui iam de hac re in Nebridij ſententiam flecti cœperam, non quidem abnuerem coniicere, ac dicere quod nutanti occurrebat: ſed tamen ſubiicerem, propè iam eſſe mihi perſuaſum ridicula eſſe illa, & inania. Tum ille mihi narrauit patrem ſuum fuiſſe librorum talium curioſiſſimum, & habuiſſe amicum æquè illa ſimúlque ſectantem, qui pari ſtudio, & collatione flagrabant in eas nugas igne cordis ſui, ita vt mutorum quoque animalium, ſi quæ domi parerent, obſeruarent momenta naſcentium, atque ad ea poſitionem cœli notarent, vnde illius artis, quaſi experimenta colligerent. Itaque dicebat audiſſe ſe à patre ſuo, quòd cùm eundem Firminum prægnans mater erat, etiam illius paterni amici famula quædam paritei vtero grandeſcebat, quod latere non potuit dominum, qui etiam canum ſuarum partus examinatiſſima diligentia noſſe curabat. Atque ita factum eſſe, vt cùm iſte coniugis, ille autem ancillæ dies, & horas, minutióreſque horarum articulos cautiſſima obſeruatione numerarent, enixæ eſſent ambæ ſimul; ita vt eaſdem conſtellationes vſque ad eaſdem minutias vtrique naſcenti facere cogerentur, iſte filio, ille ſeruulo. Nam cùm mulieres parturire cœpiſſent, indicauerunt ſibi ambo quid in ſua cuiuſque domo ageretur, & parauerunt quos ad ſe inuicem mitterent, ſimul vt natum quod parturiebatur eſſet cuique nunciatum, quod tamen vt continuò nunciaretur tanquam in regno ſuo facilè effecerant. Atque ita qui ab alterutro miſſi ſunt, tam ex paribus domorum interuallis ſibi obuiam factos eſſe dicebat, vt aliam poſitionem ſyderum, aliáſque particulas momentorum, neuter eorum notare ſineretur: & tamen Firminus amplo apud ſuos loco natos, dealbatiores vias ſeculi curſitabat, augebapirque diuitiis, ſublimabatur honoribus: ſeruus autem ille conditionis iugo nullatenus relaxato, dominis ſeruiebat, ipſo indicante, qui nouerat eum. His itaque auditis, & creditis, talia quippe narrauerat, omnis illa reluctatio mea reſoluta concidit: & primò Firminum ipſum conatus ſum ab illa curioſitate reuocare, cùm dicerem conſtellationibus eius inſpectis, vt vera pronunciarem, debuiſſe me vtique videre, ibi parentes inter ſuos eſſe primarios, nobilem familiam, propriæ ciuitatis, natales ingenuos, honeſtam educationem, liberaléſque doctrinas. At ſi me ille ſeruus ex iiſdem conſtellationibus, quia & illius ipſæ eſſent conſuluiſſet, vt eidem quoque vera proferrem, debuiſſe me rurſum ibi videre abiectiſſimam familiam, conditionem ſeruilem, & cætera longè à prioribus aliena, longéque diſtantia. Vnde autem fieret vt eadem inſpiciens diuerſa dicerem, ſi vera dicerem: ſi autem eadem dicerem, falſa dicerem. Inde certiſſimè collegi ea, quæ vera conſideratis conſtellationibus dicerentur non arte dici, ſed ſorte: quæ autem falſa non artis imperitia, ſed ſortis mendacio. Hinc autem accepto aditu, ipſe mecum talia ruminando, ne quis eorundem delirorum, qui talem quæſtum ſequerentur, quos iam iámque inuadere, atque irriſos refellere cupiebam, mihi ita reſiſteret, quaſi aut Firminus mihi, aut illi pater falſa narrauerit, intendi conſide-

Digitized by Google

rationem in eos qui gemini naſcuntur:quorum plerique ita pòſt inuicem funduntur ex vtero, vt paruum ipſum temporis interuallum quamtamlibet vim in rerum natura habere contendant, colligi tamen humana obſeruatione non poſſit, literíſque ſignari omnino non valeat; quas Mathematicus inſpecturus eſt vt vera pronunciet. Et non erunt vera, quia eaſdem literas inſpiciés, eadem debuit dicere de Eſau, & Iacob, ſed non eadem vtrique acciderunt. Falſa ergo diceret. Aut ſi vera diceret, non eadem diceret, ſi eadem inſpiceret. Non ergo arte ſed ſorte vera diceret. Tu enim, Domine iuſtiſſime, moderator vniuerſitatis, conſulentibus, conſultíſque neſcientibus occulto inſtinctu agis, vt dum quiſque conſulit, hoc audeat quod eum oportet audire occultis meritis animarum ex abyſſo iuſti iudicij tui, cui non dicat homo: quid eſt hoc? aut vt quid hoc? Non dicat, Non dicat: Homo eſt enim, &c.]

CAPVT SEXTVM.

Rurſus S. Auguſtinus aduersùs Genethliacos diſſerit.

NON piget me ſæpius S. Auguſtinum in Genethliacam palæſtram deducere: nam neque illum piguit ſæpius cum huiuſmodi monſtro congredi. Rurſus itaque lib.5. de Ciuit.c.5.cùm de geminis quibuſdam retuliſſet ex Poſſidonio Aſtrologo, quòd ſimul ægrotare, ſimul conualeſcere ſolerent.[Si ergo hæc(inquit) ad illas pertinent minutias temporum, quæ inter ſe habent gemini, & conſtellationibus non aſcribuntur, quare aliorum conſtellationibus inſpectis, iſta dicuntur? ſi autem ideo dicuntur, non ad minuta incomprehenſibilia, ſed ad temporum ſpatia pertinent, quæ obſeruari notaríque poſſunt: quid hìc agit rota illa figuli, niſi vt homines luteum cor habentes in gyrum mittantur, ne Mathematicorum vaniloquia conuincantur? quid denique iidem ipſi, quorum morbum, quòd eodem tempore grauior leuiórque apparebat, amborum, medicinaliter inſpiciens Hippocrates, geminos ſuſpicatus eſt, nónne ſatis iſtos redarguunt, qui volunt ſyderibus dare quod de corporum ſimili temperatione veniebat? cur enim ſimiliter eodémque tempore non alter prior, alter poſterior ægrotabant ſicut nati fuerant: quia vtique ſimul naſci ambo non poterunt? aut ſi nihil momenti attulit, vt diuerſis temporibus ægrotarent, quòd diuerſis temporibus nati ſunt: quare tempus in naſcendo diuerſum, ad aliarum rerum diuerſitates valere contendunt? cur potuerunt diuerſis temporibus peregrinari, diuerſis temporibus ducere vxores, diuerſis temporibus filios procreare, & multa alia, propterea quia diuerſis temporibus nati ſunt, & non potuerunt eadem cauſa diuerſis tēporibus ægrotare. Si enim diſpar naſcendi mora mutauit horoſcopum, & diſparitatem intulit cæteris rebus, cur illud in ægritudinibus manſit, quod habebat in temporis æqualitate conceptus? aut ſi fata valetudinis in conceptu ſunt, aliarum verò rerum in ortu eſſe dicuntur, non deberent inſpectis natalitiis conſtellationibus de valetudine aliquid dicere, quando eis inſpicienda conceptus hora non datur. Si autem ideo prænunciant ægritudines non inſpecto conceptionis horoſcopo: quia indicant

eas momenta naſcentium quomodo dicerent cuilibet eorum geminorum ex natiuitatis hora quando ægrotaturus eſſet, cum & alter qui non habebat eandem horam natiuitatis, neceſſe haberet pariter ægrotare? Deinde quæro ſi tanta diſtantia eſt temporis in natiuitate geminorum, vt per hanc oporteat eis conſtellationes fieri diuerſas, propter diuerſum horoſcopum, & ob hoc diuerſos omnes cardines, vbi tanta vis ponitur, vt hinc etiam diuerſa ſint fata, vnde hoc accidere potuit, cùm eorum conceptus diuerſum tempus habere non poſſit? aut ſi duorum vno momento temporis conceptorum, potuerunt eſſe ad naſcendum fata diſparia, cur non & ad duorum vno momento temporis natorum poſſint eſſe ad viuendum atque moriendum fata diſparia? nam ſi vnum momentum quo ambo concepti ſunt, non impediuit vt alter prior, alter poſterior naſceretur, cur vno momento ſi duo naſcuntur, impediat aliquid, vt alter prior, alter poſterior moriatur, &c.] Hæc ille.

CAPVT SEPTIMVM.

Alia S. Auguſtini cum Aſtrologis congreſſio.

NVLLVS aut ſæpiùs aut acriùs in Aſtrologos inuectus eſt quàm ſanctus Auguſtinus, à quo vt verum fatear, inuitus diſcedo, ſed nimis ille multa aduersùs Aſtrologorum vanitatem nobis ſcripta reliquit libro 4. Confeſſ. c. 3. lib. 5. c. item 3. in Pſalm. 31. lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 2. 3. 5. 6. 7. quare omiſſis aliis ea poſtremò referam quæ habet lib. octuaginta trium quæſtionum, quæſtione 45. [Non eos (inquit) appellarũt Mathematicos veteres, qui nunc appellantur, ſed illos qui temporum numeros, motus cœli, ac ſyderum perueſtigarunt, de quibus rectiſſimè dicitur in Scripturis ſanctis. Iterum nec his debet ignoſci, ſi enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodo huius dominum non faciliùs inuenerunt? mens enim humana de viſibilibus iudicans, poteſt agnoſcere omnibus viſibilibus ſeipſam eſſe meliorem, quæ tamen cum etiam ſe propter defectum, præfectumque in ſapientia fatetur eſſe mutabilem, inuenit ſupra ſe eſſe incommutabilem veritatem, atque ita adhærens poſt ipſam, ſicut dictum eſt, adhæſit anima mea poſt te, beata efficitur intrinſecus inueniens etiam omnium viſibilium creatorem atque dominum, non quærens extrinſecus viſibilia, quamuis cæleſtia, quæ aut non inueniuntur, aut cum magno labore fruſtra inueniuntur, niſi ex eorum, quæ foris ſunt, pulchritudine inueniatur artifex, qui intus eſt, & priùs in anima ſuperiores, deinde in corpore inferiores pulchritudines operatur. Aduersùs eos autem, qui nunc appellantur Mathematici, volentes actus noſtros corporibus cœleſtibus ſubdere, & nos vendere ſtellis, ipſumque pretium, quo vendimur à nobis accipere, nihil verius & breuius dici poteſt, quàm eos non reſpondere niſi acceptis conſtellationibus: In conſtellationibus autem notari partes æquales trecentas ſexaginta dicunt habere ſigniferum circulum. Motum autem cœli per vnam horam fieri in quindecim partibus, vt tanta mora quindecim partes oriantur, quantam tenet vna hora, quæ partes ſingulæ ſexaginta minutas ha-

bere dicuntur, minutas autem minutarum iam in conſtellationibus, de quibus futura prædicere ſe dicunt, non inueniunt; conceptus autem geminorum quoniam vno concubitu efficitur atteſtantibus medicis, quorum diſciplina multo eſt certior, atque manifeſtior, tam paruo puncto temporis contingit, vt in duas minutas minutarum non tendatur, vnde ergo in Geminis tanta diuerſitas actionum, & euentuum, & voluntatum, quos neceſſe eſt eandem conſtellationem conceptionalem habere, & amborum vnam conſtellationem dare Mathematicos, tanquam vnius hominis, ſi autem ad genitales conſtellationes ſe tenere voluerint, ab ipſis Geminis excluduntur, qui plerunque ita poſt in inuicem funduntur ex vtero, vt hoc temporis interuallum rurſus ad minutas minutarum reuertatur; quas tractandas in conſtellationibus nunquam accipiunt, nec poſſunt tractare. Cùm autem multa vera eos prædixiſſe dicatur, ideo fit, quia non tenent homines memoria falſitates, erroreſque eorum: ſed non intenti, niſi in ea, quæ illorum reſponſis prouenerunt, ea quæ non prouenerunt obliuiſcuntur, & ea commemorant, quæ non arte illa, quæ nulla eſt, ſed quadam obſcura rerum ſorte contingunt. Quòd ſi peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificiosè diuinare etiam mortuas membranas ſcriptas quaſlibet, de quibus plerumque pro voluntate ſors exit. Quòd ſi non arte de codicibus exit ſæpe verſus futura prænuncians, quid mirum, ſi etiam ex animo loquentis, non arte, ſed ex ſorte exit aliqua prædictio futurorum, &c.]

Sed tempus eſt vt lectores in ſancti Auguſtini Theoriis plus ſatis moratos ad Origenis Adamantij hexedras & ſcholam reuocemus: non enim vnius aut alterius, ſed plurimorum teſtimonio veritatem firmandam ſuſcepimus.

CAPVT OCTAVVM.

Diſputatio Origenis Adamantij in Aſtrologos.

MVLTIS Origenem Adamantium Platonica diſciplina imbutum erroribus non negauerim; id enim profitetur S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 30. id ſcribit S. Epiphanius libro de hæreſibus, id docet S. Hieronymus, ſed Aſtrologiæ vanitatem tam conſpicuam & illuſtrem eſſe contendo, vt nullus qui literarum non ſit planè ignarus, vel omni ingenio deſtitutus de ea dubitarit. Quare Origenes, qui alijs quidem multis alluci-nari potuit Aſtrologorum vanitatem ignorare non potuit. Sic autem apud Euſebium Cæſarienſem lib. 6. de præpar. Euang. cap. 9. diſputat.

Valde neceſſarium eſt (inquit) diligentiùs exponere in ſigna facta eſſe luminaria, Solem ſcilicet, atque Lunam, & reliquas ſtellas. Non enim ſolùm Gentiles ſtellarum coniunctione atque aſpectu, quæ in terris fiunt, neceſſariò accidere credunt, quam vim fatum appellant: verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impoſſibile aliter fieri credentes, quàm ſtellarum curſus effecerit. Vnde ſequitur, nullam in nobis eſſe libertatem, nullam operationem noſtram laudari, aut vituperari iure poſſe, ita prædictum à Scripturis Dei

Iudicium, quo alij ad æterna ſupplicia, alij ad æternam beatitudinem deſtinantur falſo fore prædicaretur. Quid plura? ipſa quoque fides, & Saluatoris noſtri aduentus, & omnis Prophetarum labor, ac Apoſtolorum in conſtituendis Eccleſiis prædicatio, inania erunt, niſi forte Chriſtum quoque quis audeat dicere cœleſtium corporum vi coactum, feciſſe, quæ fecit, paſſumque fuiſſe, quæ paſſus eſt, nec ſuæ deitatis, ſed ſtellarum cuncta virtute eueniſſe. His impiis verbis etiam illud conficitur, vt fideles fato ducti in Chriſtum credant: quos libenter interrogabimus, quamobrem Deus huiuſmodi mundum produxit. An vt in eo alij abſque vlla culpa muliebria paterentur, alij immanes beſtias crudelitate vincerent, homicidio, & rapina gaudentes? Quid oportet hæc innumerablia dicere? in quibus non hominibus, ſed Deo culpam attribuunt, quem nullo modo iuſtum eſſe oſtendere poterunt? Quomodo enim qui tot tantáque mala produxit, iuſtus eſſe dicetur? Præterea interrogandi ſunt, vtrùm etiam ipſi, qui hæc dicunt, ſtellis ſubiecti ſunt, an Soli miſeriam effugerunt. Si primum, manifeſtum eſt, quia à ſtellis etiam hanc opinionem conſecuti ſunt: quæ ſi vera eſt, cur omnibus inſita ſimiliter non eſt? ſin alterum, cur non omnes ſimpliciter ab huiuſmodi neceſſitate liberamur? Ad hæc ſi fato res humanæ aguntur, cur orant? cur vouent? cur temere aliquid à Deo petunt? quid plura? abundè namque his paucis patet temere ſuſceptam à multis opinionem de fato, &c.] Hæc Origenes, qui multò plus hac in re vidit quàm quiſquam exiſtimare poſſit: quare apud eundem Euſebium loco citato paucis interpoſitis iterum repetit Aſtrologicum certamen, iterum in Genethliacam arma mouet.

[Nunc oſtendamus (inquit) nihil humanarum rerum à ſtellis effici, ſed tantummodo ſignificari.

Primum igitur illud patet, ſi quid à ſtellarum ſextili aſpectu, qui hodie fiat, efficeretur, nullo poſſe illud pacto præteritum eſſe, prius enim efficiens effectum eſt. Non ignoramus autem eos, qui hanc ſcientiam profitentur, multa præterita hodierna ſtellarum poſitione prædicere. Nam cum poſitionem Zodiaci diligenter in duodenas ſedes diuiſerint, gradúſque, ac minuta ſingulis conuenientia domibus perſpexerint, ac erraticas ſtellas, cæteraque vt ſolent aptè collocauerint, & ortus atque occaſus, aſpectus, & coniunctiones conſiderauerint, non ſolum futura, verum etiam ea, quæ natiuitatem hominis, & conceptionem præceſſerunt, dicere conantur. Patris enim fortunas, & corporis eius proſperas, aut è contra diſpoſitiones, ſimiliter matris, atque fratrum, ab hodierna poſitione percipi poſſe putant. Verum de gradibus domorum, aliiſque huiuſmodi poſtea dicemus.

Nunc quaſi exquiſitiſſime omnia poſſint inuenire interrogentur. Si res humanas neceſſitate agi ſtellarum putatis, quomodo talis hodiernus aſpectus, ea quæ præceſſerunt potuit efficere. Quod ſi hoc impoſſibile ſimpliciter eſt, inuenitur autem vera dixiſſe Aſtrologus de præteritis, patet non à ſtellis illud effectum fuiſſe. Si quis igitur non nihil veri eam rem putat continere, certe neceſſe eſt vt concedat, non feciſſe id ſtellas, ſed ſolummodò ſignificaſſe. Quod ſi quiſpiam obiiciet, præterita quidem ſignificari, futura verò à ſtellis effici, differentiam oſtendat, cauſam diſcriminis afferat. Quare quæ ad patrem, matrem, fratréſque pertinent, præteritáque ſunt, hæc poſitio ſignificauit, futura verò quaſi efficiens cauſa producit. Sed nullam

 huius

huius rei cauſam afferre vnquam veriſimilem poterunt. Quare niſi pertinaces ſint, nihil humanarum rerum à ſtellis effici, ſed forſan ſignificari concedent, tanquam ſi non à ſtellis tam præterita, quàm futura, ſed ab ipſo Deo per propheticam orationem quamdam quiſpiam perciperet. Nam quemadmodum poteſtas humana, vt diximus, minime tollitur, quamuis Deus quæcumque facturi ſumus præuideat: ſic etiam ſigna, quæ ad ſignificandum diuinitus ordinata ſunt, libertati noſtræ nequaquam officiunt: ſed eſt vniuerſum cœlum, quaſi liber apertus, omnia futura in ſe conſcripta continens. Idcirco in oratione Ioſeph quod à Iacob dicitur, ſic intelligi poteſt: Legi enim, inquit, in tabulis cœli quæcumque contingent vobis, & filiis veſtris. Forſan autem etiam illud: Complicabuntur cœli: vt liber ſignificatiuas futurorum rationes conſummatas, & vt ita dixerim adimpletas fore oſtendit, ſicut prophetias etiam adimpletas dicimus, cum iam euenerint. Hoc modo in ſigna ſecundum Scripturæ vocem ſtellas factas arbitramur. Hieremias autem vt homines ad ſeipſum conuertas, vtque formidinem, quæ à ſignis impendet auferat, ac vt omnem forſan huiuſmodi opinionem ab hominum animo eiiciat, A ſignis, inquit, cœli non timeatis. Sed rurſus alia ratione non efficientes ſtellas eſſe oſtendamus. Concedentes igitur interim poſſe ab hominibus hanc ſcientiam comprehendi, quærimus, quomodo à multis natiuitatibus eandem rem contineri contendunt? Nam ſi patibulo moriturum aliquem dixerint, non à natiuitate ſua id ſolummodo, verùm etiam fratrum, filiorum, aliorumque attinentium, imò verò etiam interfectorum poſſe intelligi credunt. Stultum mihi certè videtur, in vnaquaque tam multarum natiuitatum mortem vnius eſſe contentam. Neſcio autem quomodo reſpondere poterunt, ſi quis eos interroget, in vnane vniuerſi poſitione, Iudæi omnes in lucem eduntur; vt neceſſe ſit in octauo die omnes circumcidi, & ſtatim in hanc vitam ingreſſi, malè vulneribus affecti, medico egeant? Iſmaelitas autem, qui in Arabia degunt tredecennes cunctos circumcidi? ita enim de ipſis traditum eſt. quomodo enim hæc in quibuſdam gentibus ſtellæ perpetuo faciunt, in quibuſdam nunquam, & nulla profecto ratio veriſimilis vt mihi quidem videtur, afferri poteſt. Verum cum multæ prouidendi viæ ab hominibus excogitatæ ſint, vt augurium, auſpicium, ſomniorum interpretatio, neſcio cur alias omnes vias ſignificare tantum, Genethlialogiam verò efficere putarunt. Si enim futura cognoſci poſſunt, vt hoc ſibi gratis concedamus, fiunt autem inde, vnde cognoſcuntur. Quare à ſtellis potius quàm ab extis, aut auibus, aut ſomniis, aut fulguribus, & tonitruis producuntur. His ſatis demonſtratum eſſe puto ſtellas non eſſe cauſas humanarum rerum. Inpræſentiarum perſcrutemur, an verum ſit exquiſitè loca ſtellarum, & domorum poſſe ab hominibus inueniri, quod ſuperiùs (nihi enim oberat) dedimus. Aſſerunt enim Genethlialogici, Planetarum loca exactiſſimè inuenienda, vt & gradus, & minuta, & minutorum minuta non ignorentur. Similiter non ſignum ſolummodo, verum etiam gradum, & gradus minuta primæ domus, quam aſcendentem appellant rectè teneri oportere. Quomodo igitur cum vna hora largo modo mediam ſigni occupet partem, aſcendentis minutum inuenies, cum tam minutam diuiſionem temporis habere nequeas? Opus enim eſſe ſcire quota hora, & minutis, minutorumque minutis, ex vtero puer effuſus ſit.

Alia enim, atque alia poſſe ſignificare volunt minimo temporis diſcrimine habito. In Piſcibus verò atque Ariete per obliquam iſtorum aſcenſionem ſignorum (hora enim & tertia horæ parte aſcendere penè videntur) minimam temporis partem magnam mutationem facere non ignoramus, vt vel vigeſima horæ vnius pars gradum aſcendentis immutet. Sed hoc etiam eis cōcedatur. Demonſtratum autem eſſe ſcimus, quemadmodum erraticæ ab occaſu ad ortum feruntur. Sic & fixas centum annis vno gradu moueri, & in hoc ſpacio temporis poſitionem ſignorum mutari, cum aliud ſit intelligibile ſignum, aliud quod quaſi figura quædam eſt. At non ad figuram ſed ad intelligibile aiunt omnia ſigna eſſe referenda. Quod neſcio quomodo comprehendere queant. Sed hoc etiam ſibi condonemus, vt aut intelligibile ſignum comprehēdere, aut à ſenſibili veritas haberi poſſit. Quę autem commixtione, compoſitione, ac cum temperie diuerſorum aſpectuum vim fieri aſſerunt, profectò concedent nullo modo ſcire poſſe. Quomodo enim quantum diminuatur à læſione maligni propter inſpectionem benigni percipies? Et vtrum auferat malignus, quod à benigno conceditur, quoniam locum eius aſpexerit, aut mutet, aut imminuat, aut mixtura quædam inde fiet, quis percipiet? Quæ omnia ſi quis altius inſpiciat facilè credat non poſſe iſta humano ingenio penitus percipi. Vnde ſi quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quam veritatem conſequi Genethlialogicos. Quamobrem Eſaias etiam quaſi hæc omnibus impoſſibilia ſint, ad filiam Chaldæorum, qui maximè iſta profitentur ait: Adſint, & ſaluam te faciant Aſtrologi, cœli annuncient tibi quid tibi accidat. His enim verbis docemur, vel diligentiſſimos in hac re Chaldæos non poſſe prædicare quæ velit vnicuique genti Deus attribuere, &c.] At Origenem, ſicut æquum eſt, cum bona gratia dimittamus, & ad Bardaſenem Syrum Aſtrologum eruditum ſanè & apud ſuos probatum veniamus.

CAPVT NONVM.

Diſertiſſima Bardaſenis oratio in Aſtrologos.

DICAMVS igitur, ait Euſebius Cæſarienſis, lib. 6. de præparat. Euang. cap. 8. non mea, ſed ea, quæ de eo Bardaſenes vir genere quidem Syrus, doctrina verò omnium Chaldæorum excellentiſſimus, in dialogo, quem ſciſcitantibus amicis compoſuiſſe ait, hoc modo ſcribit: [Natura homo naſcitur (inquit) alitur, creſcit, comedit, bibit, dormit, ſeneſcit, moritur: quæ omnia ſibi cum cæteris animalibus communia ſunt. Sed bruta quidem cum animalia ſint coniunctione procreata, natura omnino feruntur. Leo carneus eſt: ſaluti ſuæ propugnat, ſi quis iniuriam infert. Oues fœnum edunt, carnes non tangunt, nec ab iniuria ſe defendunt. Scorpio terram comedit, & peſtifero non iniuriantes ſtimulo petit. Formica natura duce hyemem ſuſpicatur, idcirco ſummis laboribus futura ſibi alimenta in æſtate recondit. Apes mel operantur &

lùm, verùm etiam quicumque Perſarum ad alia climata orbis è patria exiuerunt, nefanda hæc diligenter matrimonia celebrarunt, quos aliæ gentes hoc ſcelus abominatæ, Maguſſeos appellant, ſuntque ad hodiernum diem in media Ægypto, Phrygia, Galitiáque plurimi Maguſſei ſucceſſione patrum, eiſdem ſceleribus contaminati. Nec dicere poſſemus in terminis, & domo Saturni cum Saturno ipſo in natiuitatibus omnium, Marte aſpiciente Venerem fuiſſe. Apud Getulos lex eſt, à mulieribus agros coli, ædes ædificari, huiuſmodique cætera opera fieri, & ad hæc, vt quibuſcumque velint conueniant, nec à maritis accuſantur, nec adulteræ appellantur, cùm paſſim omnibus miſceantur, ac præcipuè aduenis. Aſpernantur quoque apud eos fœminæ vniuerſos odores, nec tinctis veſtibus induuntur, & nudis omnes pedibus degunt: cùm viri apud eos è contrà, & veſtibus, & odoribus, & coloribus variis gaudeant, nec id mollitie faciunt. Fortes enim, & bellicoſiſſimi præter cæteras gentes ſunt; nec omnes apud eos natæ fœminæ in Capricorno, aut Aquario malè affectam Venerem habuerunt; nec viri omnes in Ariete vnà cum Marte conſtituta Venere nati ſunt, quod fortes ſimul, & delicatos efficere viros, Chaldæorum nugæ conclamant. Mulieres in Bactris præſtanti ornatu, atque vnguentis vtuntur, & ab ancillis, & ſeruis multò magis, quàm earum mariti cultæ, ſingulari quadam pompa equitantes exeunt, auro, atque lapidibus, phaleris equorum ornatis: nec caſtè viuunt, ſed tam ſeruis, quàm conſeruis permiſcentur: nec à viris accuſantur, quippe cùm eorum dominari videantur. Nec Bactrianarum omnium natiuitas Venerem cum Ioue, ac Marte in medio cœli, & terminis Veneris habuit. Apud Arabes adulteræ omnes interimuntur, & ſuſpectæ ſolummodo puniuntur. In Barchia verò, atque Armenia interdum à iudicibus, interdum occiſi à cognatis homicidæ necantur. Qui autem vxorem, aut filium, aut filiam, aut cælibem fratrem, aut innuptam ſororem interfecerit, nec accuſatur quidem: lege namque ita ſancitum eſt, cùm apud Græcos, & Romanos videamus maiori ſupplicio parricidam expiari. In Atriis qui aliquid vel minimum furatus eſt, lapidibus obruitur. In Bactris qui pauca furatur, ſputis dedecoratur Romanorum cædibus vulneribus cæditur. Ab Euphrate fluuio vſque ad Orientalem Oceanum, cui cædes, vel furtum obiicitur, non magno mœrore torquetur. Qui verò pudorem maſculi eripuit, ſi res in lucem venerit, magnitudine ignominiæ ſeipſum interficere cogitur. Græcorum etiam ſapientes ſpecioſos ſequi pueros non verentur. In eadem Orientis plaga parentes, atque cognati ſi cognouerit filios aut agnatos turpitudini ſe ſubieciſſe, & interficiunt, & ſepulturæ tradere non dignantur. Apud Gallos autem pueri publicè nubunt, nullóque dedecore propter legem notantur; nec eſt profectò poſſibile omnes, qui apud Gallos prodant florem ætatis, Venerem, & Mercurium in domo Saturni & Martis termino occidentes habere. Multi apud Britannos vnam vxorem habent: apud Parthos contra multæ fœminæ vnum maritum, caſtéque omnes viuunt, legibus obtemperantes. Amazones viros non habent, ſed tempore veris fines ſuos egredientes cum vicinis conueniunt. Vnde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, maſculiſque interfectis, ſolas

concurſu,& antecedentibus cauſis, ita naturali colligatione conſertè, contexteque omnia fieri tradunt, vt fati neceſſitatem inducant, illorúmque diſputationes in eos valere, qui fato recepto, libertatem arbitrij aut funditùs euertunt,aut magnoperè labefactant;eos verò,qui ſublato fato, veriſimili quadam coniectura de futuris euentis è cælo prædicunt , alienos eſſe à ſanctorum Patrum inſimulatione. Quare eos,qui probabiliter ſolùm è cælo vaticinantur, qui fati neceſſitate ſuas prædictiones liberant , nihil à ſanctorum Patrum diſciplina alienum , nihil aduerſus ſapientum placita aut ſentire , aut docere contendunt ; ſic vt feminæ vulpes ſapientiſſimorum hominum retia eludere conantur , ſed fruſtrà : tenentur enim adhuc diſertiſſimis diſputationibus vndique implicitæ, nec vllus apparet euadendi exitus:nam cùm eamdem noſtrates Aſtrologi profiteantur artem , quam veteres Mathematici,Chaldæi,Ægyptij, Gentiles, qui ſine dubio fatali vſi ſunt neceſſitate, cùm iiſdem nitantur obſeruationibus , & præceptis , eadem obſeruant aſtra, & aſtrorum influxus, non video quomodo ſuam Aſtrologiam expedire poſſint à laqueis fati,aut cur in eos etiam cadere non debeant ea, quæ ſancti Patres grauiter in Aſtrologos diſputant,ita ne tardi,ac ſtupidi fuerunt viri ingenio,& doctrina principes, vt non viderint quid ex Aſtrologorum ſcitis,ac placitis ſequatur , non intellexerint,vtrùm ij, qui Aſtrologicas prædictiones ſequuntur, cogantur fati neceſſitatem recipere ; aut ſi id conſtabat, cur læſæ humanæ libertatis reos illos fecerunt,qui ad tuendam, quam profitentur , artem nequidquam coguntur libero arbitrio detrahere ? per calumniámne, & malitioſam quamdam artis interpretationem viri integerrimi Genethliacis fati neceſſitatem obiectarunt ? non ita ſe res habet,ſed intelligebant fœliciſſima illa,& inclyta ingenia, verbis Aſtrologos humanæ mentis libertatem profiteri,re,& factis,fatalem vim,& neceſſitatem aſſerere:id quod planum fecimus lib.3.huius operis,cap.1. extremo:non enim poſſunt Aſtrologi artis ſuæ firmamenta ſtabilire , niſi infirmata mentis noſtræ libertate naſcantur,obſtetricantibus aſtris,alij libidinoſi, alij iracundi, aut crudeles , aut ſuperbi,aut auari ; iqué Aſtrologi cælitùs cognoſcunt : quid tum?ſi liberæ voluntatis noſtræ appoſitiones ſunt,ſi eorum,quæ agimus, nihil ſtellis definitum, & conſtitutum eſt, quod è cælo vaticinari poſſint Aſtrologi, habent planè nihil : ſi enim in voluntate, non in aſtris poſitum eſt, quid quiſque facturus, aut non facturus ſit, quis non videt fruſtrà ab aſtris peti noſtras actiones? At ſequuntur homines vtplurimùm corporis propenſiones naturales: quid vt plurimùm ? liberæ ſi ſunt noſtræ mentes , ad vtrumlibet ſe habeant oportet , in cauſis verò liberis , & æque in vtramque partem paratis , ne Deus quidem quid futurum ſit cognoſcere poteſt,auctore S.Thoma 1.part.quæſt.14. art. 13. in cap. Hinc Tullius lib. 2. de Diuinatione , Mihi ne in Deum quidem cadere videtur , vt ſciat quid caſu , & fortuitò futurum ſit. Itaque Carneades dicebat, ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea , quorum cauſas natura contineret:quid enim poteſt prouideri,quidque futurum eſſe,quod neque cauſam habet vllam,neque notam,cur futurum ſit?[Solis(inquit Tullius lib.2. de Diuinatione) defectiones,itémque Lunæ,prædicuntur in multos annos ab iis, qui ſyderum curſus, & motus numeris proſequuntur : ea enim prædicunt, quæ naturæ neceſſitas perfectura eſt , vident ex conſtantiſſimo motu Lunæ, quando illa è regione Solis facta incurrit in vmbra terræ,quæ eſt motu noctis, vt cùm obſcurari neceſſe ſit quandoque eadem Luna ſubiecta Soli , atque op-

Vv poſita

Digitized by Google

poſita noſtris oculis, eius lumen obſcuret, quo in Signo quæque errantium ſtellarum quoque tempore futura ſit, qui exortus quoque die Signi alicuius, aut qui occaſus futurus ſit. Hæc qui antè dicunt, quam rationem ſequantur, vides, qui theſaurum inuenturum, aut hæreditatem venturam dicunt, quid ſequuntur, aut in qua rerum natura ineſt id futurum, &c.] Hæc Tullius, quæ multò magis valent in liberis appetitionibus: nihil enim habent cauſæ, cur ita fiant, vſque adeò hæc ratio permouit multos Philoſophorum, & Theologorum, vt negarint vllam veram, aut falſam eſſe enunciationem, quæ aut ait, aut negat id eſſe futurum, cuius nulla adhuc cauſa eſt, cur futurum, aut non ſit futurum. Ita Ariſtoteles lib. 2. Periermen. cap. 8. ita Aureolus apud Gregorium in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. ita Ambroſius Catherinus opuſc. de veritate enunciationum, aliique permulti. Non iniuria itaque ſapientiſſimi mortalium Aſtrologos ſemper inſimularunt, quòd humanas mentes fati neceſſitate deuinciant: nam quamuis in ſpeciem illi libertatem arbitrij retineant, re tamen, & factis, vt ſuarum prædictionum, vt artis Genethliacæ fides conſtet, eam è medio tollunt. Hinc illæ nefariæ voces,

Si te fata vocant.
Aſtra viam inuenient.
Sic mea me fata trahunt.
Sic erat in fatis.
Fata volentem ducunt, nolentem trahunt.
Fatorum immobilis ordo.

Hinc Poetæ, Virgilius:

Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati
Sydera.

Auſonius:

Te cæli numeros, & conſcia fati
Sydera.

Manilius:

Carmine diuinas artes, & conſcia fati
Sydera.

Idem lib. 2.

———— *Vt vitas, ac fata miniſtret*
Gentibus.

Hinc Petro Caſtellæ Regi crudeli, cui plurimum ex aſtris pollicebatur Aſtrologus fœlicitatis, & gloriæ, deſperatis iam rebus, requirenti vt prædictionum fides conſtaret, reſpondiſſe Aſtrologus fertur, Si quis rigente cælo in balneo lauaret, ſudaturum nihilominùs, vt legere eſt apud Marienam, lib. 17. de rebus Hiſpaniæ, cap. 14. ſignificans, nihil aſtrorum decretis obſiſtere poſſe. Cur Aſtrologicarum prædictionũ creberrimos errores non in liberas hominum mentes, quę Aſtrorum impulſus ludificentur, ſed in Aſtrologorũ imperitiã, ſocordiam, incuriã reiiciũt. Ptolem. li. 1. de Iudiciis, c. 1. & 3. Firmicus li. 1. c. 2. & 3. Cardanus lib. 1. Ptolemæi de Iudiciis, text. 14. Iunctinus, Bellantius, reliqui omnes, niſi quia eum, qui cæli conſtitutionem ritè obſeruauerit, qui Genethliaca ſcitè tenuerit, nunquam à vero aberrare exiſtimant, contenduntque, nequidquam humanas mentes ſyderali imperio obſtare poſſe; ſed diſputationem hoc loco ſuſcepi minimè neceſſariam: non enim ſancti Patres eo ſolum nomine in

Aſtrologos

Aſtrologos inuehuntur, quòd noſtras mentes fatali neceſſitate obligent, vt aduerſarij putant, ſed etiam quòd futilem, fallacem, ſeditioſam, mendacem, circulatoriam, vaniloquam artem profiteantur, quòd innumeris mendacijs, erroribus, fraudibus ſcateant. [Incomprehenſibile eſt (inquit S. Ambroſius) in quoto ſexageſimo ſexageſimæ particulæ natiuitatis momenta conſiſtant, & qui ſingulorum Signorum ſit aut motus, aut ſpecies in natiuitate naſcentis. Vnde cùm impoſſibile ſit tam ſubtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem mutatio inuehat vniuerſitatis errorem, totum negotium plenum eſt vanitatis, &c.) Nihil hîc audiatur de fatali neceſſitate, nihil de læſa libertate arbitrij.

Item ſanctus Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate, cap. 5. [Si hæc (inquit) ad illas pertinent minutias temporis, quæ inter ſe habent gemini, & conſtellationibus nòn aſcribuntur, quare aliorum conſtellationibus inſpectis ipſa dicuntur ? ſi autem ideò dicuntur non ad minuta incomprehenſibilia, ſed ad temporis ſpatia pertinent, quæ obſeruari, notarique poſſunt, quid hîc agit rota illa figuli, niſi vt homines luteum cor habentes, in gyrum mittantur, nec Mathematicorum vaniloquia conuincantur, &c.] His, & aliis multis ſancti Patres coarguunt Genethliacam vanitatem, quibus clarius conſtat, eos non ſolùm fati naturam, & nomen in Genethliaca arte improbare, ſed etiam leuitatem, commenta, futilitatem, ineptias, vanitatem. Stant itaque ſanctorum Patrum decreta aduerſus Aſtrologos, nec vlla ea licet tergiuerſatione eludere. Stant ſapientiæ optimates aduerſus leuiſſimas ineptias, ſtant grauiſſimi quique aduerſus Genethliacam leuitatem. Stat Philoſophia vniuerſa aduerſus mendacem, & ludicram diſciplinam. Rude ſolum, & imperitum vulgus, facilè mobile huiuſmodi fabellis, & commentis capitur. Sed quoniam de ſapientum ſententia iam ſatis conſtat, videamus & quid Rerumpublicarum moderatores, & Principes viri de hoc hominum genere cenſuerint.

CAPVT VNDECIMVM.

Aſtrologos ſæpe è Republica pulſos fuiſſe.

PRÆSTIGIATORES hi, & infunabuli, qui ex aſtris homines ſuſpenſos habent, & ſtellarum impulſu huc, & illuc res omnes mortalium agitari contendunt, tamquam publicæ quietis euerſores, & qui exerceant artem publicis rationibus infenſam, ſæpiùs à Republica amoti fuerunt. [Expellimur (inquit Septimius Tertullianus lib. de Idololatria) Mathematici, ſicut Angeli deſertores eorum magiſtri. Vrbs, & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut cælum Angelis eorum, eadem pœna exilij eſt diſcipulis, & magiſtris.]

Primùm itaque Marco Popilio, & Cn. Calpurnio Coſſ. publica lege vrbe, & Italia hæc peſtis amota fuit, quam iterum Marcus Agrippa Ædilis anno vrbis 721. magno Reipublicæ bono exulare iuſſit. Rurſus anno 761. vetita fuerunt omnia vaticinia, auctore Dion. lib. 56. Seuerius autè, & maiori cum cura Tauro, & Libone Coſſ. facta de Mathematicis, Magiſq; Italia pellendis Senatuſcóſulta. Atque vt oſtenderent Patres, quanto ſtudio hoc genus hominum cauendum cenſerent, Lucium Piſciarium ſaxo eiecerunt, & in Martium extra portam Eſ-

quilinam, cùm claſſicum canere Conſules more priſco iuſſiſſent, grauiter animaduerterunt. Denuò Cn. Pomponio, & Rufo Coſſ. Mathematicis, & Chaldæis Senatuſconſulto aqua, & igni interdictum fuit. Iterum Vitellius Cæſar iuſſit Roma, & Italia excedere omnes Mathematicos intra Calend. Octobris. Et Imperatores Diocletianus, & Maximianus l. artem. C. de maleficis, & Mathematicis: Artem, inquiunt, Geometriæ diſcere, atque exercere publicè intereſt, ars autem Mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino. Rurſus Imperatores Conſtantius Auguſtus, & Iulianus Cęſar eodem tit. l. nemo: Nemo haruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo ariolum, augurum, & vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac Magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas: etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio vltore proſtratus, quicumque iuſſis noſtris obſequium denegauerit.] Iterum l. etſi. eodem tit. dicitur: [Si quis Magus, vel magicis carminibus aſſuetus, qui maledicus vulgi conſuetudine nuncupatur, aut haruſpex, aut ariolus, aut certè augur, vel Mathematicus, aut enarrandis ſomniis occultam artem aliquam diuinandi, aut certè aliquid horum ſimile exercens, in comitatu meo, vel Cæſaris fuerit deprehenſus, præſidio dignitatis exutus, cruciatus, & tormenta non fugiat: ſi verò conuictus fuerit, & ad proprium facinus, detegentibus repugnauerit, pernegando: ſic equuleo deditus, vnguliſque ſulcantibus latera perferat, pœnas proprio dignas facinore.] Honorius item, & Theodoſius l. Mathematicos. C. de epiſcopali audientia, aduerſus eoſdem ita ſanxerunt: [Mathematicos, niſi parati ſint codicibus erroris ſui ſub oculis Epiſcoporum incendio concrematis, Catholicæ Religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem priſtinum redituri, non ſolùm vrbe Roma, ſed etiam omnibus ciuitatibus depelli decernimus.] Quas obſecro ob cauſas tot, támque ſapientes viri toties, tam multis propoſitis pœnis, per ſingulas ferè ætates, Genethliacam artem è Republica eiecerunt, niſi quia experimento didicerunt illam publicis, priuatiſque rationibus aduerſari? Intellexit & Iulius Firmicus, quàm ſeditioſa ſint Aſtrologorum præſagia, & quàm infenſa Principibus: idcircò lib. 4. Mathem. cap. 33. ſcribit: [Caue, ne de ſtatu Reipublicæ, vel de vita Romani Imperatoris aliquid interroganti reſpondeas: non enim oportet, vel licet, vt de ſtatu Reipublicæ aliquid nefaria curioſitate dicamus; ſed & ſceleratus, atque omni animaduerſione dignus eſt, ſi quis interrogatus dixerit de Imperatore: quia nec dicere poteris de eo aliquid, nec inuenire, &c.] Si Firmici conſilium ſequuti fuiſſent ij, qui Tiberio Roma in Campaniam proficiſcenti, reditum aſtris negari vulgarunt, næ ipſi meliùs ſaluti ſuæ conſuluiſſent. Dedit & Parmenes Chaldæus, is, qui Neronis tempore de imperij mutatione ex aſtris pronunciauit, ſuæ temeritatis iuſtiſſimas pœnas. Aſceltarion quoque Mathematicus, qui de Domitiani exitu vaticinari auſus fuit, igne crematus illuſtre poſteritati tumultuariæ diſciplinæ reliquit exemplum. Quis hoc loco ferat Ioannis Fordienſis Franch. Decani pudenda mendacia, qui, vt eſt apud Dominicum Bagnes 1. part. quæſt. 155. art. 4. dub. 1. negat Aſtrologorum placita improbata aliis, quàm Romanis Pontificibus, & Theologis ſcholaſticis. Nónne proferant Imperatorum decreta, reſcripta Principum, Romana Senatuſconſulta, vnde tanta mentiendi libido, vnde tam ſplendida mendacia, niſi ex odio Romani Pontificis? Sed hæc aliàs.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

Quàm ſeuere olim Eccleſia in Genethliacos animaduerterit.

NON modò Rerumpublicarum Præſides, verùm etiam ſacrorum Antiſtites, & œcumenica concilia iſtiuſmodi Aſtrologos humanæ ſocietatis infenſos hoſtes iudicarunt: nam Aquilam Ponticum diuinarum literarum attentum interpretem, ob eam maximè cauſam à Patribus ex Eccleſia eiectum accepimus, quòd geniturarum interpretationibus impensè vacaret, & libros illos, quos combuſtas memorat S. Lucas Actorum c. 19. ad Aſtrologicam geniturarum obſeruationem, & curioſitatem pertinuiſſe auctor eſt S. Auguſt. Pſal. 61. Quo loco refert Chriſtianum quemdam, qui eo tempore ſecutus fuerat Aſtrologicas rationes, non fuiſſe in Eccleſia receptum, niſi publica peracta pœnitentia. Sic autem ait: [Iſte (inquit) ex Chriſtiano, & fideli pœnitens redit, & territus poteſtate Domini, conuertitur ad miſericordiam Domini: ſeductus enim ab inimico, cùm eſſet fidelis, diu Mathematicus fuit, ſeductus, ſeducens, deceptus, decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra Deum, qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum eſt; iſte dicebat quòd adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus; homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars: & iuſtum non faciebat Deus, ſed Iupiter, & alia multa ſacrilega non parua. Quàm multis eum putatis Chriſtianis nummos abſtuliſſe? Quàm multi ab illo emerunt mendacium? quibus dicebamus, filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? modo ſicut de illo credendum eſt, horruit mendacium, & multorum hominum interitum, ſe aliquando ſenſit à Diabolo illectum, conuertitur ad Deum pœnitens. Noſtis in Actibus Apoſtolorum eſſe ſcriptum cap. 19. quia multi perditi, id eſt, talium artium homines, & doctrinarum nefariarum ſectatores, omnes codices ſuos ad Apoſtolos attulerunt, & incenſi ſunt libri tam multi, vt pertineret ad ſcriptorem, exiſtimationem eorum facere, & ſummam pretij conſcribere. Hoc vtique propter gloriam Dei, ne tales etiam deſperarent ab illo, qui nouit quærere quod perierat; perierat ergo iſte, nunc quæſitus, inuentus, adductus eſt, portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem miſſis ipſe in refrigerium tranſeat. Ante Paſcha enim cœpit quærere de Eccleſia Chriſti medicinam, ſed quia talis eſt ars, in qua exercitatus erat, quæ ſuſpecta eſſet de mendacio, atque fallacia, dilatus eſt, ne tentaret, & aliquando tandem admiſſus ne perioculoſiùs tentaretur.] Hactenus S. Auguſtinus.

Fertur & Alexander Papa III. Preſbyterum, qui conſuluerat Aſtrologos de furto quopiam in ſua Eccleſia admiſſo, per integrum annum amouiſſe à Diuinis.

Secunda Decreti parte, cauſa 26. q. 2. c. ſed & illud: vnà cum S. Hieronymo Eccleſia conuerſa damnat eos qui ſtellarum curſus, & ex illis futurorum euentus rimantur.

Rurſus ibid.q.3.c. Illud. decretum eſt Mathematicos, qui ex Aſtris conantur actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere, nimis errare. Item c. Illos. dicitur Planetarios à Chriſtiana, & vera Religione damnari.]

Denique ne omnia illius quæſtionis capitula percenſeamus, q.5.c. non liceat. ſtatuitur non licere Chriſtianis obſeruare Lunæ, aut ſtellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam, pro domo facienda, vel coniugio ſociando.

Concilium item Bracarenſe I. Can.9. [Si quis (inquit) animas & corpora humana, fatali ſigno credit adſtringi, ſicut pagani & Priſcillianiſtæ dixerunt, anathema ſit.] Et Can.10. [Si quis (ait) duodecim ſigna, quæ Mathematici obſeruare ſolent, per ſingula animæ, vel corporis membra diſpoſita credit, anathema ſit.] Iterum Lateranenſe Concilium ſub Leone X. & Iulio II. coactum Aſtrologorum licentiam inhibuit, & contra Arnoldum Villanouenſem, alioſque huius farinæ homines, grauiter cenſuit.

Concilium Tridentinum De libris prohibitis regula 9. ita Epiſcopis præcipit: [Epiſcopi diligenter prouideant, ne Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent certò aliquid euenturum affirmant, &c.]

Concilium Prouinciale Mediolanenſe ſub S. Carolo Card. Borromeo celebratum p.1. ferè extrema. [Aſtrologi (inquit) qui ex Solis, Lunæ, & aliorum aſtrorum motu, figura, & aſpectu de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certò aliquid euenturum affirmant, grauibus pœnis plectantur, quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiuſmodi rebus detulerint, &c.]

Sixtus Quintus vir humanarum, diuinarúmque literarum ſcientiſſimus, Reipublicæ adminiſtrandæ laude, & ciuilium rerum vſu, ac prudentia incomparabili ad Pontificiam dignitatem euectus, nihil habuit prius, quàm Chriſti Domini Eccleſiam ab Aſtrologicis lappulis, tribulis, lolio repurgare, primo ſiquidem ipſo Pontificatus anno, Aſtrologiæ vſum planè interdixit.

[Nec verò (inquit in ſaluberrima conſtitutione aduerſùs Aſtrologos lata) ad futuros euentus & fortuitos caſus prænoſcendos vllæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces, & vanæ, improborum hominum aſtutia, & Dæmonum fraudibus, introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel auxilio, omnis diuinatio dimanat, ſiue quòd expreſsè ad futura manifeſtanda inuocentur, ſiue quòd ipſi prauitate, & odio in genus humanum occultè etiam præter hominis intentionem, ſe ingerant, & intrudant, vanis inquiſitionibus futurorum, vt mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium prædictione implicentur, & omnis impietatis genere, deprauentur, quæ quidem ipſis cognita ſunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurorum reminiſcentia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & aliis quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt, in huiuſmodi futurorum contingentium & fortuitorum euentuum inquiſitione, & præcognitione diaboli operam ſe fallaciter immiſcere, vt ſua fraude, ac dolis, miſeros homines, à via ſalutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ cùm ita ſint, non nulli hæc fideliter & religioſè, vt debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes. Tales in primis ſunt

Aſtrolo

Aſtrologi, olim Mathematici, Genethliaci, Planetarij vocati, qui vanam, falſámque ſyderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, diuinæque diſpoſitionis ordinationem, ſuo tempore reuelandam, præuenire audaciſſimè ſatagentes, hominum natiuitates, & genituras ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac iudicant futura, ſiue etiam præſentia, & prætérita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſiue quauis alia temporum, & momentorum, vaniſſima obſeruatione, & notatione de vniuſcuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, diuitiis, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis diſcriminibus, aliiſque proſperis & aduerſis caſibus, & euentibus præcognoſcere, iudicare, affirmare, temere præſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis, cùm S. Auguſtinus, præcipuum Eccleſiæ lumen, eum qui hæc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat Chriſtianam fidem, & baptiſmum præuaricaſſe affirmet, &c.]

Rurſus infra: [Hac perpetuò (inquit) valitura conſtitutione, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, alióſque quoſcumque dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, in poſterum exercetes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, exceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm contra alios cuiuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas rationes fallaces, & pernicioſas diuinandi artes ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quíve huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac deteſtanda ſcelera & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis quomodolibet ſe intromittunt, cuiuſcumque dignitatis, gradus, conditionis, exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, ſuperiores, ac alij ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati, etiam ſi in pleriſque ex his caſibus, antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos ſeueriùs Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduertant. Prohibentes omnes, & ſingulos, libros, opera, tractatus, huiuſmodi iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, Auguria, Auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac ſuper in memorato indice interdictos, ſub cenſuris, & pœnis in eo conſtitutis, à quibuſcumque Chriſti fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt contrà facientes, legentes, aut retinentes, libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter iidem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis dignis punire, & coërcere poſſint, &c.]

Hæc ſunt Philoſophorũ, Medicorũ, Iuriſconſultorum, Theologorum, ſanctorum Patrum, Principũ, Pontificum, Conciliorũ de Aſtrologia iudicia. Inſaniat itaq; oportet, qui tot, tantóſq; aduerſùs viros pro Genethliaca ſtare audeat, ergo cruſcatoribus, qui mẽdaciis quæſtũ faciũt, credendũ eſt potiùs, quàm Philo-

ſophis

Digitized by Google

ſophis omnibus, omnibus Medicis, Theologis vniuerſis, ſanctis Patribus, Iuriſperitis, omnibus qui ingenio & doctrina pollent. Exiſtimabimus totam Græciam, vniuerſam Italiam in Medicina deliraſſe, damnabimus doctiſſimos viros ſtultitiæ, temeritatis, vanitatis, ignorantiæ, fraudis. Solis Aſtrologis habebimus fidem? Ad ægros non Medicos, ſed Genethliacos vocandos; de Reipub. ſtatu Aſtrologos non rerum ciuilium peritos conſulendos cenſebimus? Nimium ſibi arrogant, ſi auctoritatem ſupra omnes mortales ſibi ſumunt Aſtrologi. Quis credat ſolos Aſtrologos verum vidiſſe, acerrimi ingenij viros nihil intellexiſſe? Quis ſibi perſuadeat ſapientes omnes à veritate defeciſſe, ſolos mendaces Aſtrologos pro veritate ſtare? Iactent iam experimenta, dicant ſuam artem certis & nunquam fallentibus conſtare obſeruationibus. Scilicet acerrimi doctiſſimique mortalium ignorarunt. Hæc experimenta ne fando quidem de iis quidquam audierunt. Cur fidem illis fecerunt nullam, cur perſtiterunt in ſententia de vanitate Aſtrologiæ? Eſt in huiuſmodi notationibus longè plus deceptionis, & fraudis, quàm vulgus exiſtimare valeat, plus in hac arte ſapientes viderunt offuciarum, quàm vulgus ſuſpicetur.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Genethliacam artem exitio fuiſſe multis Principibus.

QVR miramur & Rerum publicarum moderatores, & ſacrorum Antiſtites, ſemper Aſtrologiæ fuiſſe infenſos? Multis illa Regibus, & Imperatoribus exitio fuit, magnas Rebuſpublicis intulit calamitates. Et quis percenſendo numeret Imperatores, & Reges, quos rerum maximarum inani expectatione, & ſpe tanquam hiantes coruos, deluſos, Aſtrologi ad certum, & exploratum exitium ſumma cum Imperij Regnique ruina duxerunt? Quis inire poteſt eorum numerum, quos in poſtremum excidium Aſtrologorum præſagia egerunt? Simeon Bulgarorum Princeps, Mathematicorum ſuaſu in Crobatos validum exercitum duxit, certiſſima cum victoriæ ſpe, ſed inter anguſtias montium à Crobaris profligatus incredibilem cladem accepit. Emanuel Comnenus Imperator audita clade, quam in Sicilia acceperant ſui, rem in malè auſpicatum claſſis egreſſum retulit, quare vt in poſterum fœliciùs bellum adminiſtraretur, Aſtrologorum penſitatis rationibus, nouam claſſem adornauit, & quam opportuniſſimo Aſtrorum congreſſu Angelo Duce è portu dimiſit. Sed ea vbi ad Siculum fretum peruenit, à Rogerio Rege capta planè demonſtrauit quantum Principes, atque Imperatores fallant Aſtrologorum præſagia. Petrus Caſtellæ Rex, cui Iudæus Aſtrologus gloriæ plurimum, & fœlicitatis, noua regna, & imperia ex Aſtrorum rationibus pollicebatur, omnibus quæ eo auctore ſuſceperat bella infœliciter geſtis, nonne tandem in Henrici fratris nothi, poteſtatem venit: multiſque vulneribus confoſſus, vitam miſerè amiſit? Ludouicus Sforzia Mediolanenſium Dux, qui nihil vnquam aggreſſus dicitur, niſi ex Aſtrologorum præſcripto, Ducatu priuatus in carcere apud Gallos miſeram mortem obiuit. Plenæ ſunt huiuſmodi exemplis hiſtoriæ, referta eorum hominum vita, qui

Aſtrolo

Aſtrologorum vanis pollicitationibus delectantur:quot enim vidimus Aſtrologorum prædictis à ſuis ſedibus excitos ad aulam, ad militiam, ad mercaturam, ad forum, acceſſiſſe, qui infœlici, ac miſerando exitu deceſſerunt? O magna priuatarum rerum calamitas! ô poſtremum Rerumpublicarum excidium! Adhuc habemus fidem ludibriis, adhuc huiuſmodi nugiuendulis credimus: non ita qui ſapiunt prudentia & virtute vtuntur; procul Genethliaca præſagia habent,longe hoc genus hominum repellunt.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Aſtrologiam nullius eſſe frugis.

SI vlla ex aſtris apte duceretur futurorum præſenſio, conſtaret ſanè aliquis Aſtrologiæ fructus, nec eſſet Aſtrologorum gens, egeſtate, mendicitate, ærumnis, calamitatibus infamis: quæ enim ars reperiri poteſt humanis rationibus magis accommodata, quàm hæc de qua agimus, quæ rerum euenta in multos annos præuidens, quo modo noſtra conſilia temporum momentis attemperanda ſint oſtendit, aperitque nobis multò ante vitæ curſum quid proſpera aduerſaque aſtra ſpondeant, aut minitentur, vt cautiores ſimus in bonis procurandis, reiiciendis contrariis. At nihilo meliùs rebus ſuis conſulere eos, qui Aſtrolabia adhibent in conſilium, quàm cæteros mortales, per quotidiana experimenta comperimus. Quid attinet tot cœlo machinas adhibere, tot diſtinguere Zodiacos, tot ſigna conſtituere, aſtrorum conſenſiones, & diſſenſiones, amicitias, diſſidia anxiè perueſtigare, ſyderum rimari abditas vires, arcana conſilia, ſi fortunæ ludibriis æque expoſiti ſunt, qui hæc obſeruant,ac qui contemnunt? Mihi quidem non ſolùm nihil prodeſſe, ſed etiam obeſſe plurimùm Genethliaca videtur: ſerit enim rerum alieniſſimarum varias opiniones, quibus concitatus animus, nunc abſonus concipit appetitiones, nunc ſuſcipit futilem timorem, pollicetur interdum montes aureos, accenditque maximarum rerum ſpem,à qua pleríque deiecti aut mœſtiſſimam egerunt vitam, aut mortem ſibi conſciuerunt. Rurſus variis terriculamentis abſterret à literarum ſtudio, à militia, ab aula,à matrimonio, à religione: magno ſalutis, honoris, rei familiaris, diſpendio. Quot illa angoribus, curis, moleſtiis, ſollicitudinibus, eos cruciat, quibus aut occultas inſidias, à domeſticis, ab amicis,à ciuibus,à Principe minitatur, aut bonorum publicationem, & paternæ domus comminatur excidium? Fac alicui promiſiſſe Aſtrologum opulentam hæreditatem, à fratre, à ſorore, à conſanguineo; quas illi animo ſubiecit faces? quas accendit alieni patrimonij cupiditates? quàm illi difficile erit modum adhibere? Fac alteri in Romana Curia pollicitum eſſe primam dignitatem Aſtrologum, quas ille opes non fundet, quos non ſuſcipiet labores, quas non perferet moleſtias, quid non aget, aut patietur,vt ad aulam perueniat? Non abibo longiùs. Aſtrologorum pollicitationibus plerique inflammati,à ratione deſciſcunt, atrociſſima quæque aggrediuntur ſcelera, parentibus, vxoribus, liberis, patriæ, Reip. exitium moliuntur. Sedandæ ſunt hominum effrænatæ cupiditates, non inci-

Digitized by Google

tandæ præſagiis, conſeruanda ſunt ſedata mentis iudicia, non conturbanda vanis prædictis, quæ ſi animi appetitiones incitauerint vehementiùs, difficilè erit rationis præſcriptionem tenere, & appetitiones regere, ne in omne flagitium erumpant. Nec illud poſtremum eſt Aſtrologiæ præconium, quod omnes Aſtrologos ad poſtremam redegit egeſtatem. Nullum ſanè reperies ſcriptorem, qui huic hominum generi probroſam non obiiciat mendicitatem; nam, vt prætermittamus Aſtrologiæ oſores, quibus fidem eleuare poſſet ſuſpicio, nullus Mathematicorum eſt, qui ſui ſeculi coniectoribus non exprobret infamem egeſtatem, & inopiam. Facit id Ptolemæus Aſtrologorum Princeps libro 1. de Iudiciis, cap. 3. facit Iulius Firmicus libro 1. Matheſ. facit Hieronymus Cardanus ad librum 1. Ptolemæi text. 13. & 14. facit Franciſcus Iunctinus libro defenſionis Aſtrologiæ, facit Bellantius libro 1. Apologiæ contra Mirandulanum, facit Bonatus, facit Albertus Pighius Apologia pro Aſtrologia, faciunt denique omnes, qui Aſtrologicas rationes attigerunt. Ex rei familiaris inopia ortæ ſunt fraudes, fallaciæ dæmonum, familiaritates, mendacia, quibus vniuerſa Aſtrologorum natio infamis eſt. Equidem Genethliacam in partem fœlicitatis collocarem multò maximam, ſi Genethliacis nihil niſi meditatum, nihil niſi animo prouiſum, contingere animaduerterem; nunc verò cùm conſtet non minùs quàm cæteros, eos improuiſis vrgeri euentis, ſubitis caſibus tranſuerſos agi, multas grauiſſimáſque nequidquam tale cogitantibus accidere calamitates, impetrare (fateor) à me non poſſum, vt credam, aut iſtas noctilucas aliquid præſagire poſſe, aut illius frugis earum eſſe præſagia: nam ſi totius vitæ curſum in natalitio ſchemate (vt profitentur) tanquam in leuiſſimo ſpeculo viderent, ſi rerum omnia euenta anticiparent cognitione, ſi tanta animi prouiſione anteuerterent quæcumque euentura ſunt, nónne aut prouiſione aliqua auerterent, aut aliqua declinatione effugerent grauiſſimos, & exitiales caſus, qui ſibi impendent? At eorum alios videmus in crucem actos, alios necatos ſuſpendio, alios vnco impactos, alios præfocatos aquis, alios igne exuſtos, alios ſecuri percuſſos, alios è Tarpeio ſaxo deiectos, alios demerſos mari, alios inſidiis oppreſſos, alios grauiſſimis afflictatos morbis, alios fame, ſitíque enectos, alios ſubita ruina obrutos, alios carceris macie, & ærumnis confectos, alios pulſos in exilium, alios aliis innumeris exagitatos modis. Tragœdias loquimur, aut fabulas? An rem omnium gentium, omnium ætatum, omnium temporum, omnium ſcripturarum, omnium mortalium teſtificatione certiſſimam? Recenti memoria Lucas Gauricus Genethliacæ fama nobilis, à Ioanne Bentiuolo Bononiæ viro Principe, cuius fatalem horam vulgarat, magnis cruciatibus diuexatus, eſt extinctus.

Bartholomæus Cocles Bononienſis, quem in aſtra ferunt laudationes Aſtrologorum, adacta in occipitium ſecuri, ea ſola de cauſa à Capono extinctus fuit, quòd eum homicidam fore prædixerat.

Antiochus Tibertus Cæſenas à Pandulpho Malateſta in carcerem coniectus, videtur ne ſibi ſecuri pereundum, quando à cuſtodis filia reſti impetrata, fugam adornabat?

Qui Ioannem Galeatium Mediolanenſium Ducem adhuc florentibus annis è vita ceſſurum, ex natalitiis eius aſtris cognouerat, cognouerat ne ſuſpendio ſibi vitam finiendam eſſe?

Parme

Parmenas Chaldæus, qui de Neronis Imperatoris cæde vaticinari non dubitauit, ignorauit ſine dubiò ſuum caput Neroni deuotum à ſtellis.

Domitianus Auguſtus Mathematicis prædictionibus vſque ad ſuperſtitionem obligatus, nónne à Pantheniano aliiſque domeſticis miſere interfectus fuit, nequidquam Genethliacis præſagiis iuuantibus?

Quis Hieronymo Cardano magis varia vſus eſt fortuna? quot illum morbi ad mortem vſque diuexarunt, quot vitæ diſcrimina adiuit? quoties in carcerem coniectus, quoties inſidiis appetitus fuit? magiſterij dignitate, qua in Papienſi Academia fungebatur, per ſummum dedecus expoliatus. Romam religionis cauſa ſæpius acceſſitus, malè apud plurimos audiuit. Is in ſua genitura exponenda triginta annis ſe laboraſſe ſcribit lib. de iudiciis, cap. 6. Quo autem operis pretio tantum ſtudium ſuſceperit, quid emolumenti cœperit ex tam ſedula commentatione, intelliges ex iis, quæ libro centum geniturarum, genitura 19. ſcribit. Profitetur enim nihil à ſe alienum fuiſſe eorum, quæ Genethliaca aſtra portendebant, eadem nimirum ſubiturus incommoda, ſi Genethliacam planè ignoraſſet. Liuium Pituarium magni nominis Mathematicum, qui iuſſu Tiberij Imperatoris è rupe Tarpeia deiectus fuit, quid iuuarunt Aſtrolabia, ſtellarum exaltationes, retrogradationes, pigris deiecta ſigna præualuerunt?

P. Martium Aſtrologiæ peritiſſimum nullum ſydus docuit, quod illi extra Exquilinam partem ſupplicium eſſet ſubeundum.

Quoties Mathematici omnes amoti ab vrbe, è Repub. eiecti, amandati ex Italia, excluſi ex vrbibus in exilium acti fuerunt nihil huiuſmodi metuentes.

Placétne igitur eos habere vates & noſſe quæ aliis imminent pericula, quos in ſuis rebus cæcutire certum eſt? Credemus eos futurorum conſcios, qui inſtantia, & præſentia non vident? ab iis aliorum exitus requiremus, qui ignorant ſuos?

Negabit aliquis multos ex iis quos commemorauimus ignoraſſe quæ ſibi inſtabant pericula. Lucam enim Gauricum Bartholomæus Cocles eius diſcipulus monuit, vt fuga ſuæ ſaluti conſuleret. Domitianum Imperatorem Mathematicis rationibus cognouiſſe fatalem ſibi noctem illam futuram, qua contrucidatus fuit, ſcribunt omnes qui eius res geſtas ſcribunt. Nil in præſentiarum moror, dummodo conſtet nullam ex Aſtrologorum præſagiis percipi vtilitatem, id verò perinde ſequitur, ſi dicas Aſtrologos conſcios quidem eſſe impendentium ſibi calamitatum; ſed eas nulla procuratione aut declinare, aut auertere poſſe, ac ſi admittas, eos rerum ſuarum infœlices exitus ignorare. Addo ſi priùs illud recipitur, Aſtrologos præſentiſcere ſuas ærumnas, & infœlices caſus, multò magis miſeram ac miſerabilem eſſe eorum, quàm cæterorum conditionem: hos enim inſtantes ſolùm & præſentes afficiunt calamitates, illos impendentium etiam malorum opinio, & anxia ærumnarum expectatio perpetuò cruciat: itaque quod Poetæ Tantalo apud inferos ob ſcelera animíque impotentiam excogitarunt ſupplicij genus maximum, ſaxum quoddam impendens, quod nullam illi quietis partem relinquat, id experiuntur, & qui Aſtrologiæ dant operam, & qui Aſtrologorum prædictis fidem adhibent: ſuſcepta enim impendentium malorum opinio, perpetuis cruciat curis, continuis angoribus premit, diu noctúque moleſtiis affligat,

Digitized by Google

tunæ, nec ſatis pudicam, à patre propterea domo eiectus, rei familiaris inopia laborare cœpit, cùm enim nullum ex arte, (erat enim medicus) quam exercebat quæſtum faceret, quòd ſtupidi eſſet ingenij, & à patre deſtitueretur neceſſariis, in ſumma verſabatur rerum inopia; cogebatur tamen non ſolùm vxorem, ſed etiam ſocrum, ſocerum, ſorores aliquot, & fratres vxoris alere, in tanta egeſtate vxor quæ luxuria & procacitate nulli cedebat mulierum, maritum maledictis proſcindere, impetere conuitiis, laceſſere adulteriis, corporiſque proſtitutione propemodum publica, quotidiana iurgia in capitale odium abierunt, quod cùm toto biennio perduraſſet, neque finem vllum res habitura videretur, conſilij expers veneno vxorem è medio tollere conſtituit, vt ea ſe ratione aliquando moleſtia liberaret. Quare vxori decumbenti ex puerperio, placentam exhibuit veneno infectam, quam cum illa deguſtaſſet, mortem obiit, & maritum ea cura exoluit, qui cùm intolerabilem ſarcinam depoſuiſſe ſibi videretur, perbellè ſecum actum exiſtimauit. Sed non ita multò poſt publica poteſtate comprehenſus,& in carcerem coniectus fuit,& quæſtionibus addictus non ſolùm factum profeſſus eſt, ſed addidit præterea bis ſine ſucceſſu priùs miſcuiſſe venenum: quare capite damnatus, ſecuri percuſſus obiit anno 1560. die 7. Aprilis ætatis anno 26. nec dum exacto.

Vnde hæc habemus? à Cardano ipſo patre, qui lib. de vtilitate ex aduerſis capienda, præcipuè ex tractatu de luctu, & oratione pro filio ad Senatum Mediolanenſem habita, vbi fœmineo vlulatu deplorat miſerrimi filij calamitatem: ſic enim ad Iudices ait: [Vultiſne, vt apud omnes gentes, & omnia ſecula, legantur hæc, ſapientiſſimus, iuſtiſſimus, æquiſſimus Senatus Mediolanenſis ſub Clementiſſimo Rege Philippo, maioris partis orbis Domino, Ioannem Baptiſtam Cardanum medicum, filium Hieronymi, optimæ ſpei adoleſcentem, capite puniuit, hoc ipſo, quòd vxorem obſtinatiſſimo animo veneno necauerit, quoniam illa cum ſocru ſæpius obiecerant adulterium ſe perpetraſſe, atque etiam liberos duos genitos maſculum, & fœminam ex adulteriis, non ex ipſo procreatos. Quid dicent Gentes? quid dicturi ſunt poſteri? an hunc adoleſcentem iuſtè damnatum? nequaquam: qui tantam cauſam, & tam atrocem habuerit ſe ipſum vlciſcendi: an Senatum iniuſtè egiſſe, aut minùs prudenter? multò minùs, quandoquidem tanta ſapientia, tam confirmatus æquitatis animus vno actu vitiari non poſſit. Quid ergo dicent, dicturive erunt, vt monſtroſus hic caſus eſt, ita fuiſſe prodigioſam damnationem, &c.]

Quid agis Cardane? quid tot annorum ſtudio in Genethliaca collocato aſſecutus es? quid centum genituris explicatis, quid tot clariſſimorum Regum, & Imperatorum natalibus notatis, quid ſeptem Aphoriſmorum libris, quid tot commentariis in Ptolemæum editis adeptus es? cur à filio non excuſſiſti ſecurim? cur non cauiſti ne vxorem duceret impudicam? qui omnes naturæ latebras perluſtraſti, cur non vidiſti filij pudendum matrimonium? alterum hic fatendum eſt, aut ignoraſſe te miſerrimi filij infœliciſſimam fortunam, & non credimus tibi patere ex genituris futuros euentus: aut præſcium te multò antè filij miſerabilis exitus fuiſſe, ſed non potuiſſe quidquam afferre opis ei quem Aſtra fetro deuouerant: & inutilem iſtiuſmodi artem eſſe ac nullius frugis iure contemnimus, qui ſibi nequam, cui bonus? conſule primò rebus tuis, deinde magna animi

Digitized by Google

prouiſione aliorum caſus anteuertes. Non poſſumus credere eos eſſe futurorum conſcios, quos videmus, earum quæ ſibi impendent calamitatum inſcios.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Aſtrologorum diſſenſiones.

NON vna eſt Aſtrologiæ ratio, ſed multiplex, & varia, mutat enim monſtrum iſtud ſubinde formas, & tanquam nouus Proteus vertit ſe in Leonem, in Aprum, in Draconem, in ignem, in quercum, in auem, in aquam, non tot Cameleon animal, induit colores, quot Aſtrologia ſuſcipit à loco, in quo verſatur, ab opifice, à tempore formas, alia eſt apud Hebræos, alia apud Chaldæos, apud Ægyptios alia, alia apud Perſas, ab his omnibus diſſentiunt Arabes, Albumazar, Auerodan, Atamar, Mazanalla, Zahel, nec Arabes probant Græci, nec Græcos Latini: Aduerſus antiquos Aſtrologos ſtat Ptolemæus Alexandrinus; hunc refellit Albumazar, aduerſus vtrumque diſputat Auenazra, veteres omnes reiicit Cardanus libro de Iudiciis Geniturarum, cap. 26. lib. de reuelationibus, cap. 1. lib. de reſtitutione temporum, cap. 11. Contra Cardanum faciunt omnes recentiores Tycho Brahæ lib. 1. de noua ſtella, cap. 1. & hominem Aſtrologiæ quam venditat ignarum, & eius obſeruationes non dubitat appellare ridiculas. A Bellantio diſſentit Michaël à Petraſancta, ab hoc Franciſcus Iunctinus, nec leui aliqua & ludicra de re diſſentiunt, ſed lis eſt de toto aſſe, de ipſa Aſtrologiæ forma, de conſtituendo natalitio ſchemate, ex quo de totius vitæ curſu ſtatuitur: vnde omnes prædictiones, tanquam à fonte promanant. Ioannes Antonius Maginus libro Iſagogico, p. 2. cap. 10. refert tres modos conſtruendi ſyntagma Montiregij, & Rainaldi, quem vocant rationalem, Arabum, & Iulij Firmici: Alchibitij quem Ioannes de Saxonia in commentariis Alchibitij contendit eſſe Ptolemæi.

Domos cœleſtes, à quibus aſtra vim, & efficientiam mutuantur, quæ totius Aſtrologiæ ſunt fundamentum, aliter antiqui, aliter noſtrates, aliter Arabes, aliter Ægyptij, aliter Græci, aliter Latini conſtituunt: alij enim ſigniferum, alij æquatorem, alij verticalem circulum, alij parallelum per gradum eclipticæ orientem meridiano circulo interceptum diuidendo domos cœleſtes, aſſumunt, qua in re cæteros omnes errore deceptos ſcribit Ioannes Antonius Maginus loco citato, nouas tabulas, quæ ſolæ ad veritatem acceſſerint, pollicetur his verbis. [Igitur neglectis domorum tabulis perperam ſupputatis, quæ aliorum Ephemeridibus præfigi conſueuerunt, nouas & correctiores noſtris diariis appoſuimus.] Non minor inter Aſtrologiæ magiſtros diſſenſio eſt de domorum poteſtate, & iure. Mallius enim totus à cæteris diuerſus abit. Ptolemæus diſſidet à noſtratibus omnibus. Arabes & Latini ſeruos à ſexta domo diiudicant, Ptolemæus & Ægyptij ab ea quæ à ſexta diſtat plurimum, morbos à ſeptima, & à prima ſignificari putat Ptolemæus; cæteri à ſexta: in quinta domo Arabes, & Latini quærunt filios. Ptolemæus in decima, & vndecima. Mallius ab Oriente. Porphyrius à decima domo natorum fortunam, & paren-

tum

tum vota ſuſpendit: ſecunda domus ſignificat ſubitam ſpem recentioribus, vt Cardano lib. de Iudiciis geniturarum, cap. 1. apud veteres diuitias, de coniugiis ferè omnes ab Occidente diuinant, Heliodorus à medio etiam cœlo: à tertia Cardanus, & recentiores, itinera coniectant, & labores, alij hæc petunt, à nona. Denique ne ſingula perſequamur, non minor inter Aſtrologos eſt de præcipuis Aſtrologiæ capitibus diſceptatio, quàm inter inſanientium delirationes diſſenſio. En ars certis obſeruationibus conſtituta. En quibus habemus fidem, en quibus vitæ noſtræ rationes credimus, en qui iactant diù ſe in experiendo & obſeruando laboraſſe, contraria & planè pugnantia, ſunt eorum ſcita, & omnes experimentis ad arcanam diſciplinam peruenerunt. Quid alios deſideramus teſtes? ipſimet Aſtrologi, cùm alij vnam, alij aliam ſequantur rationem, alij has, alij illas ſeruent obſeruationes, vni negligant vnas, alij alias ſanctiones, nónne profitentur ita diuinari poſſe conſeruatis quàm neglectis Aſtrologiæ præceptis? Claudat hoc opus Sixtus ab Hemminga Friſius, qui cùm meliores annos in Genethliacæ ſtudio collocaſſet, hæc immortalitati teſtata reliquit. [Hoc à primis annis in votis maximè habui, vt cognoſcere poſſem an hæc inferiora omnia ab Aſtris gubernarentur, ac ipſorum quaſi Imperio adminiſtrarentur, quòd ſi non omnia, quæ? quouſque? quantum? deinde an hoc ipſum poſſet ab humano ingenio exactè deprehendi ac percipi, tum an ea ipſa cognitio vtilis eſſet humano generi: cui indagationi cum non exiguum temporis, ſumptuum, & laboris plurimum impendi. Cùm autem longo vſu, & experientia multa doctus, rem penitus inſpexiſſem, comperi Aſtrologorum doctrinam, cui priùs, antequam nota eſſet, impensè fauebam, eſſe impoſſibilem, falſam, nulla fide dignam, & inutilem.]

Laus Deo, Beatæq; Virgini Mariæ.

INDEX

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM, VERBORVMQVE COPIOSISSIMVS, QVÆ IN HIS quinque libris contra Aſtrologos coniectores continentur, ordine alphabetico diſpoſitus.

A

ABORTVS in muliere quando fiat. 66

Abortus fit plerumq; ex odore à lucernarum extinctu. 81. ex alui multo fluxu, & aliis cauſis. ibid.

Abſciſſio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234

Acceſſiones tertio quoque die in morbis acutis eueniunt. 53

per Accidentia an liceat Aſtrologis rectificare genituras. 309

Accidentibus pluribus horoſcopum vnum nõ poſſe accommodari, vnde conficiat Sixtus ab Hemminga. 311

Actio corporis duplex eſt. 15.16

Actio Solis omnium aſtrorum validiſſima, in æſtate præſertim ex Ptolemæo. 21

Actionis genus quotuplex attribuatur ſignis à Mathematicis. 234.235

de Actione cœli in ſubiecta corpora adeò conſtans omnium ſapientum ſententia, quàm varios & ambiguos habeat explicatus. 4

Actus omnes in quo horoſcopi loco inueniantur. 230

Adamas vnde vim habeat trahendi ad ſe electrum ſecundùm Aſtrologos, pilos item, & ſurculos. 41

Adipis & cetę mixtioni rectè comparatur maris & fœminæ genitura. 78

Adrianus Imperator ſingulis annis Aſtrologicas prædictiones comparauit. 276

Adriaticum mare non concipit æſtum, quem concipit Tyrrhenum. 12

Adulphus Holſatiæ Princeps contrariam ſuæ genituræ fortunam obtinuit. 304

Ædes, quę Scorpione quarto cœli loco exiſtente exædificatæ fuerint, cur Scorpionibus obnoxias dicant Aſtiologi. 245

Ædes quæ ſint ratæ, ac ſtabiles Planetarum, in tanta orbium cœleſtium conuerſione. 254

Ædificationem Venetiarum inter genituras numerat Cardanus. 263

Ægineta quod alimentũ requirat ſenibus. 118

Ægris corporibus an exercitationes vtiles ſint. 121

Ægritudines partim neceſſarias habent affectiones, partim ex eo, quod contrariam habent affectionem, dependent. 64

Ægritudines in quo horoſcopi loco inueniantur. 230

Ægritudines facit Saturnus in ſexto loco ab horoſcopo conſtitutus, & quando præſertim. 251

Ægyptij negauerunt diuinam prouidentiam, & omnia fatali neceſſitate euenire docuerunt. 143

Ægyptij artem Genethliacam tradidêre, inferiorum cauſarum præſidio planè deſtitutam. 212

Ægyptij faciunt virum dextera caput Leonis tenentem, in primo gradu Leonis. 246. partes Zodiaci in monomerias fecerunt. 247

Ægyptiorum, Chaldæorúmque imagines cœleſtes omnes cur Arabes euerterunt. 143

Æquabilitas eadem eſt ſpatiorum nocturnorum, quæ & diurnorum. 3

Æqualitas generis ex quo horoſcopi loco inueniatur. 229

Æqualitas motus, glorioſum nomen à Mathe-

maticis vſurpatum. 214
Æquinoctium vernum ignoratum à Mathematicis. 205
Æquinoctij verni prærogatiua quænam ſit. 270
Aër num ſoleat commutari omnibus aſtris tum orientibus, tum occidentibus. 10
quòd Aër quibuſdam locis ſit inſalubris, in aliis verò maximè ſalutaris, vnde fiat. 11
cur Aër ſoleat mutari, aſtris omnibus tum orientibus, tum occidentibus, ſed Cane præcipuè, ex Ariſtotele. 241
Aëris, igniſque calor fouetur ac conſeruatur cœli motu. 14
Aëris ſitus circumſpiciendus in domicilij electione, ex doctrina Hippocratis. 123
Aëris mutationes ſubitæ vnde eueniant. 240
Æſopi dictum eximium, eiúſque cauſa à Platone reddita. 157
Æſtate media frigus repentè ingruere, imbres decidere, ſalire grandinem, furere ventum, vnde fiat. 240
Æſtate media niues & frigora nonnunquam graſſantur, & vnde id fiat. 6
Æſtiualis ſolſtitij prærogatiua quænam ſit. 171
Æſtates & hyemes vnde efficiantur. 3
Æſtates non ſunt æqualiter calidæ, & quare. 6
Æſtus maris ſtellarum quoſcumque occultos, & latentes laqueos eludit atque perrumpit. 12
Ætas nouella & ſeneſcens cur magis generet fœminas, quàm florida. 79
Æ hereas domos Platonis diſtributas tradit Ptolemæus, eiúſque ratio. 156
Æthiops ex imaginatione pulcherrimum filium edidit. 76
Æthiopum deſcriptio, ex Ptolemæo. 146
Afri, ex Iulio Firmico, dicuntur ſubdoli. 146. 147
Agaricum vnde vim habeat pituitam educendi, ſecundum Aſtrologos. 41
Agni ſi caprarum lacte alantur, lanam habent duriorem. 115
Agnorum duorum ſimul genitorum diſparitas vnde fiat. 25
Agricolæ, & nautæ quid ſtatum aëris vocent. 50
Agricolæ quo cibo vterentur tempore peſtis Romæ, & aliis locis proximis, & quo etiam qui intra vrbes degebant. 117
Agrippa Herodis nepos quid audiuerit ab augure. 278
Alberti opinio de fluxu & refluxu maris. 13
Alberti Pighij iudicium de Aſtrologis ſui temporis. 182 183
Alberti Pighij diſputatio de æquinoctio verno. 205
Albumazar agnouit liberum arbitrium. 94
Albumazar quantus fuerit apud Aſtrologos tam Arabes, quàm Latinos, eiúſque grauiſſimi errores. 180. 181
Albumazar quid dicat de maximis illis, quas appellant, coniunctionibus Saturni, & Iouis 226
Albumazar vnde ortam ſcribat Mahumetanam religionem. 295
Alcinous Genethliacas nugas Philoſopho homine indignas duxit. 314
Alexander Magnus concidit telo confoſſus. 213
Alexander Vitellius dux quam habuit genituram. 304
Alexandri Regis aſſeclæ, eius inflexam in alteram partem ceruicem, vociſque aſperitatem repræſentarunt. 155
Alexander Medices è medio ſublatus fuit contra Aſtrologorum omnium ſui temporis obſeruationes. 307
Alexandri Medices geneſis à quibus deſcripta. 276
Alexander Papa III. preſbyterum, qui conſueuerat Aſtrologos, per integrum annum à diuinis amouit. 341
Alexandri VI. in genitura qui fuerint indices dignitatis. 300
Alexandro magno Oxydracarum Indorum Metropolim oppugnaturo quid Demophon prædixerit. 279
Alexandria, vrbs celeberrima intellexit eorum inſaniam & tarditatem ingenij, qui Genethliacos conſulunt. 317
Alfridaria Cardano quid ſint. 219. eorum genitura vel diurna, vel nocturna. 220. ingenij, honoris, & diuitiarum à quo tempore ſint. ibid.
Alimentorum facultas, omnium quæ ſunt in Medicina, eſt vtiliſſima, ex Galeno. 117
Allium, valentior cibus eſt, quàm paſtinaca. 117
Allio magnetis vis retunditur. 41
Allia cuti impoſita cur eam erodant, atque exulcerent, comeſta verò non. 130
Aloyſij obitus, repugnantibus aſtris, quæ robur corporis, & longam vitam ſpondebant, cui rei tribuatur à Gaurico, & Cardano. 307
Alphonſi Regis tempore, qualem Zodiacum cogitarint Aſtronomi diuerſum à Zodiaco octauæ ſphæræ mobili, & variis ſtellis apto. 255
Alphonſi, Copernici, Tychonis, & aliorum tabulæ diſſentientes ſunt inter ſe. 268
Alterationes rerum ſublunarium omnes vnde peragantur. 21
Aly Auerrodam de ſignis doctrina, duas euertit mendaciorum opulentiſſimas officinas. 242
de Amicitiis. & fratribus ex quo horoſcopi loco dicemus. 229

Amor vitæ ſyderali impulſui obſtat non rarò. 171
Amphiaraus magnam apud Græcos famam vaticinandi adeptus eſt. 178
Anaxagoras cur ſobrius appellatus ab Ariſtotele. 101
Anaxagoras in quam inciderit inſaniam ira deorum. 316
Andreas Alciatus cum non obtinuit honorem, quem promittebat eius genitura. 302
Angores conſciétiæ, qui nefarios homines diu, noctúque exedunt, deſcribũtur à Poëtis 170
Animalcula ab vniuocis cauſis nõ proueniũt. 21
Animalia plurima naſcuntur hyeme, quibus multò vberior calor ineſt, quam quem in aëre experimur è cœlo dilapſum 22
Animalia fœcunda citiſſimè ſeneſcunt. 142
Animalium ſterilitas fit ex patris vel matris vitio. 65
Animantes partim neceſſarias habent affectiones, partim ex eo, quod contrariam habent affectionem, dependent. 64
De Animantibus mutis, aut ſtirpibus cur Aſtrologi nihil pronuncient è ſtellis, ſed de hominibus ſolùm, præſertim opulentis. 264
Animantium imperfectorum formæ vnde, tanquam ab efficiente primario. 12.53
Animantium proprietates è cœlo non defluunt, & quare. 42
Animantium motus omnes aut boni, aut mali opinione cientur. 45
Animus in corpus dominicum habet imperium, mens verò in appetitum, ciuile ac regium. 100
Animi motus concitantur plurimi in caſu & fortuna agitatis. 139
Animi motus duo exiſtunt opinione boni, aut mali imminentis, eorúmque effectus. 292
Animi mores an ſequantur corporis temperamentum. 145
Animi mores molliri concentu, ſcribit Plutarchus. 167
Animi vitia ex quo horoſcopi loco perſpiciantur. 230
Animorum mores ex corporum temperamento è cœlo hauſto petendi ſunt, ex ſententia veterum Chaldæorum. 60
Ad Animorum motus voluntarios non eſt externa cauſa requirenda. 175
Anni, & menſes non ſunt æqualiter ſalutares, vel inſalubres, & quare. 6
Anni tempora, rerúmque vices non fierent ſine definito quodam curſu, recurſuque Solis. 17
Quo Anno vel die horoſcopus peruenerit ad locum, quem natali hora Saturnus occupabat, an Saturni ſequetur effectum. 232
Annorum generales quoſdam euentus, & pluribus communes inſtituit Cardanus. 269.270
Anſer, cibus eſt valentiſſimus. 116
Antipathiæ & ſympathiæ rebus vnde fiant. 43
Aper, cibus eſt valentiſſimus. 116
Apoſtoli redempti ſunt & cõgregati ex peccatoribus, non vtique natiuitatis ſuæ hora. 320
Appetitio vitæ beatæ non eſt ſubiecta ſyderali imperio. 172
Applicatio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 134
Apuliæ incolæ, præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent. 146
In Apum aut veſparum genere an monſtra accidant. 86
Aqua vt madefaciat, an poſtulet operam ignis elementaris, vel hominis. 19
Aquæ vis ineſt humectandi per ſe, & ex naturæ principiis. 18
Aquæ quomodo ſe habeant circa domicilium, diligenter perſcrutandum. 123
Aquatica quædam ſigna cur appellata ſint. 244. eorum deſcriptio ex Manilio. 234
Aquila Ponticus ob quam cauſam à Patribus ex Eccleſia eiectus fuerit. 341
Aquilonaribus paralellis ſubiectorum deſcriptio, ex Ptolomæo. 146
Arabes re & factis liberum arbitrium pernegarunt. 94
Arabes negauerunt diuinam prouidentiam, & omnia fatali neceſſitate euenire docuerunt. 143
Arabes cur omnes Ægyptiorum, Chaldæorúmque imagines cœleſtes euerterunt. 223
Arabes formoſum iuuenem, eleganter amictum, digitos habentem contortos, fingunt in primo gradu Cancri. 246
Arbitraria quænam ſint illa quæ de ſignis dicuntur. 237
Arbor læta & nitens in locum alium tranſpoſita deterioris terræ ſucco deperit. 115
Archelaus, ſummus Aſtrologus, prædictionibus non eſt vſus. 316.319
Archilochi libros parum pudicos à ſua Republica exulare iuſſerunt Lacedæmonij. 159
Architecti honorabiliores & doctiores in vnaquaque arte ſapientiores exiſtimantur, quam ij qui manibus operantur, & ratio. 95
Aretæ Arabum Regi quid reſponderint arioli, cùm Romanorum arma extimeſceret. 178
Argumentum appoſitè declarans fabuloſa eſſe omnia, quæ de ſignorum poteſtate Genethliaci mentiuntur. 237
Aries cur ſignũ mundi factus ab Aſtrologis. 225
Ex Arietis ſtellis aliæ Iouiæ, aliæ Martiæ, aliæ Saturniæ, aliæ alterius naturæ. 97
Arietis in capite quos ſtellæ effectus habeant. 196.203
Arietis variæ partes à Mathematicis traditæ. 243
Arietis primus decanus quis ſit, eiúſque formæ ſolà Mathematicorum cogitatione efformatæ. 145
In Ariete Saturnus quid ſignificet. 107
Arioli quid reſponderint Aretæ Arabum Regi Romanorum arma extimeſcenti. 178

Digitized by Google

Ariſtippus tegulâ occiſus, quæ ex impluuio in caput eius decidit. 213
Ariſtocleam puellam nudam videns Strabo, in eam exarſit. 160
Ariſtoteles ad quid referat, quod Echini in pleniluniis vberiùs impleantur. 10
Ariſtoteles vnde deducat monſtrorum cauſas. 85 86
Ariſtoteles, Philoſophorum Princeps, agnouit liberum arbitrium. 92.93
Ariſtoteles Stagirites vnam Genethliacam neglexit, cùm omnes alias diſciplinas arctiſſimè complexus ſit. 314.315 quare. 316
Ariſtotelis doctrina de motu cœli. 14
Ariſtotelis reſponſum quærenti cur proles cæterorum animantium magis quàm hominis, ſui parentis gerat naturam. 75.76
Ariſtotelis amici eius balbutientem linguam imitati. 155
Ariſtotelis ſententia de moribus nobilium. 163
Ariſtotelis ratio de tempeſtatum mutationibus. 241
Ars vera diuinandi cenſenda eſſet Aſtrologia, ſi ſemel tantùm verum prædixiſſet. 278
Artem Genethliacam exitio fuiſſe multis Principibus, probatur. 344 & ſeq.
Artes Aſtrologorum quænam ſint. 204
Artemon è plebe natus eſt ſimilis Antiocho Regi Syriæ. 75
Artes, & quidquid nobis artis ſuffragio confertur, in quo horoſcopi loco inueniantur. 230
Aſceltarion Mathematicus igne crematus. 340
Aſclepiades phreneticorum mentes per ſymphoniam ſanitati reſtituit. 167
Aſclepiadis ſententia de exercitationibus. 120. 121
Aſiani, ex Iulio Firmico, dicuntur ſemper iniurioſi, & voluptatibus occupati. 146
Aſpectus Orientalis, & Occidentalis, nomina glorioſa à Mathematicis vſurpata. 234
Aſpectus oppoſitus quid ſit, ex Cardano. 259
Aſpectuum vires ſunt velut labor flectendi baliſtam. 261
Aſpidis virus, canis rabidi ſpuma, viperæ venenum, parem vim non habent, vel ſoli ſcuti applicata, vel intrò aſſumpta. 131
Aſſimilationis nutrientium ad id quod nutritur, euidens argumentum quodnam ſit. 127
Aſteriſmi aſtrorum non ſunt æquales, at ſigna inter ſe ſunt æqualia. 233
Aſteriſmi Arabum quàm diſſimiles omnes, ab Ægyptiorum, Chaldæorumque aſteriſmis. 243
Aſtri vis frigida ſi petit frigida, non calida à quo res illa frigida effecta eſt frigida. 25
Aſtri vicinitas quotuplex poteſt eſſe, & quæ efficacior. 209
Aſtri ſeu Planetæ locus quid ſit, ex Ariſtotele. 232
Aſtra omnia ſuam propriam habent lucem. 2
Aſtra multa orbi, ſingula inferioribus cur infixa ſint, ex Ariſtotele. 95
Aſtra octaui orbis, quæ fixa vocantur, ab vno Signo in aliud demigrant. 238
Aſtra non ſolùm varias, ſed & contrarias vires ſortiuntur in variis domiciliis. 250.251.252
Aſtrorum omnium lumen naturæ ſimilis eſt cum luce ſolis. 6
Aſtrorum vires occultas non deſiderant ea quę fiunt intra terræ viſcera. 12
Aſtrorum defertur ad nos efficientia cœli motu. 14
ex Aſtrorum quę conceptui præſunt, ſolo congreſſu, vnde fœtui aliquid poſſit decerni. 63. cum ſeq.
Aſtrorum vis quænam eſſe poſſit. 143
Aſtrorum in iudiciis diſſimillima ſunt priſcorum recentiorúmque experimenta, atque exempla. 192
Aſtrorum omnes congreſſus an poſſint obſeruari ab Aſtronomis in quolibet Zodiaci gradu, & minuto. 209.210
Aſtrorum intimi conſiliarij quid tradant de electionibus, & quid iis tribuant. 217
Aſtrorum ſedes, & domicilia fixa fiunt à Mathematicis, & immobilia. 253
Aſtrorum cõgreſſus quid ſit, quàm nouis aſtris varius, & nouus. 257.258
Aſtrorum tot gaudia cur finxerint Aſtrologi. 272
ex Aſtris non poſſe Aſtrologos coniecturam facere conceptus, probatur. 105
Aſtris omnibus tum orientibus, tum occidentibus cur aër ſoleat mutari, ſed Cane præcipuè, ex Ariſtotele. 241
Aſtris præſidibus vt negotium vnumquodque ſuſcipiatur, qui plurimùm intereſſe dicant. 217
Aſtrologus non poteſt omnes cauſas inſpicere, è quibus fœtus ducit originem. 68
Aſtrologus quibus inſtructus eſſe debet præſidiis ne diuinet in incertum. 184
Aſtrologus qui vera aliquando præuidet, cur diuinandi arte pollere non putatur, tametſi nonnunquam peccet. 279
Aſtrologi cuiuſdam quæſtuoſi hiſtoria, qua conſtat inanes eſſe electiones. 218
Aſtrologi cuiuſdã prædictio de Nerone Claudio Cæſare. 275
Aſtrologum falli dupliciter continget cùm natiuitatem ſine reuolutionibus conſiderauit. 272
Aſtrologi cum Philoſophis agnoſcunt cœli poteſtatem in mundum ſublunarem, & corpora ſubiecta. 3
Aſtrologi ad quid rationem dierum criticorum referant. 49
Aſtrologi an in pueri, an in matris ſtellis videant quæ ex matrum affectionibus fœtibus contingunt. 83
Aſtrologi ſi quando verum dicant, ad quid referendum ſit. 179

Aſtrologi

Aſtrologi cur tot inuenerint nugas, partes,facies,nouenarias. 182
Aſtrologi ſunt, qui quæ præſtare non poſſunt arte,per artem pollicentur. 185
ſi Aſtrologi contendant Saturni frigidam naturam ex vario eius aſcenſu per partes hemiſphærij noſtri deprehendi, quid reſpondendum. 200
Aſtrologi veteres an experiendo contulerint cauſis cum cœleſtibus ſublunares, & examinatis vtrarumque ponderibus,artis præceptiones condiderint. 211
Aſtrologi cum dicũt falſas diuinationes ex certis obſeruationibus eſſe, falſas negant eſſe ex vanitate artis. 215
Aſtrologi recentiores duos finxerunt Zodiacos. 236
Aſtrologi cur nihil de mutis animantibus, aut ſtirpibus, ſed de hominibus ſolùm, præſertim opulentis, pronuncient è ſtellis. 264
Aſtrologi quò confugiant,quando non ita certò prædicere poſſunt ſyderum congreſſus. 268
Aſtrologi an poſſint de ſummo Pontificatu ab aſtris decernere. 294.295
Aſtrologi num de futuris honoribus, ac dignitatibus dicere poſſint ex aſtris. 298.299
Aſtrologorum Principes ſitulam fecerunt, non hauſerunt aquam de puteo. 67
Aſtrologorum ratio, qua fœtum ſtellis reſpondere aſſerunt.89.figmentum egregium. 90
Aſtrologorum iudicium lubricum & temerarium adhuc eſt,etiamſi, notatis aſtris,hominum temperamenta perſpecta haberent. 111.exemplo confirmatur. ibid.
Aſtrologorum imperitia ex ipſis Aſtrologis probatur. 180
Aſtrologorum tria ſuffugia, quoad congreſſuũ ſimilitudinem,quoad obſeruationum Aſtronomicarum errores, & quoad experimenta Aſtrologica. 195
Aſtrologorum effugio, quo aiunt errores, qui in ſyderum obſeruando congreſſu contingunt,non eſſe magni momenti, tria opponuntur. 202
Aſtrologorum ſententiæ omnes de imaginibus cœleſtibus vt ſunt mendaces omnes,inconſtantes, ita & diſſentientes. 246
Aſtrologorum prædictiones quantum iuuentur à conſulentium leuitate & credulitate nimia. 292
ab Aſtrologis non eſſe adhuc exactè notatos ſyderum congreſſus,eclipſes & ephemerides declarant. 191
Aſtrologis cur eadem non ſit adhibenda fides, quæ & Phyſicis. 61.62.63
Aſtrologis primis vnde innotuerint omnium Planetarum vires,quæritur ab Auctore. 197
Aſtrologis cur ſuccenſuêre meritò ſemper boni auctores. 242
Aſtrologis an liceat per accidentia rectificare genituras. 309
Aſtrologia vel pares vult eſſe cœli & proximarum cauſarum vires generando, vel maiores cœli, quàm aliarum cauſarum, vel minores. 26
Aſtrologia à quib. principiũ ſuum duxerit 180
Aſtrologia à Chaldæis notata, ſecundum Sextum Empiricum. 188
in Aſtrologia errores magnos parit inſtrumentorum vitium,ex Ptolemæo. 190
Aſtrologia vera ars cenſenda eſſet diuinandi, ſi ſemel tantùm verum præuidiſſet. 278
ex Aſtrologię ipſius principiis, quæ omnes genethliaci recipiunt, huius artis vanitas apparet. 102
Aſtrologiæ primaria fundamenta quot,& quæ ſint. 179
Aſtrologiam nullam nos habemus, quàm quæ à Ptolemæo,ab Arabibus à Latinis, à Græcis tradita fuit. 191
Aſtronomi an poſſint obſeruare omnes aſtrorum congreſſus in quolibet Zodiaci gradu, & minuto. 209.210
Aſtronomi recentiores quid de Signorum natura tradiderint. 135
Aſtronomiæ multũ tribuit Plato & quare. 314
Athletæ priſci cur à Venere abſtinerent. 141
Attici cur acutiores habeantur. 124
Auari ſunt ſemper, qui Saturno ſubiiciuntur. 34
Auaritia in proximos virus ſuum trãſtulit. 156
Auctor cur maluerit à generali quadam tractatione exordiri de cæli vi, & poteſtate. 1
Auctoris ſententia de diebus criticis quos non è Luna & aſtris deducere probabilem rationem aſſerit. 57
Auctoris quarta ratio ob quam ſyderum aliorum, quàm Lunæ, ac Solis opera obſcuriora ſunt. 201
Auctores recenſentur, qui diſertè diſputant de cœli vi in hæc ſublunaria. 4
Auctores qui pernegant Aſtrologis, præter lumen, & motum,alias cœli vires. 89
Auctores recenſentur, qui cœlum faciunt animatum, ſenſu intelligentiáque præditum. 27
Auctores Medicinæ inter Deos coluit antiquitas. 62
Auctores boni cur meritò ſemper ſuccenſuêre Aſtrologis. 242
Audacem eundem hominem,timidum melancholicum & cholericũ in quibuſdam actionibus,vnde fit vt experiamur. 40
Audacior vt quis ſit paulò quàm timidus,vnde fiat. 40
Auenione viſum monſtrum à Franciſco Valeriola. 85
Auerrois opinio de fluxu & refluxu maris. 13
Aues pingues rarò fœcundæ ſunt,ex Ariſtotele, & quare. 81

Digitized by Google

Aues firmiores,& valentiores quæ ſint. 117
Auibus ſemper & oua, & color euariant, & quare, ex Democriti ſententia. 86
Augmentationes rerum ſublunarium omnes vnde peragantur. 11
Augures ſimili cœli partitione vſi ſunt, quâ & Mathematici,ad mortales fallendos. 256
Augurum, Haruſpicumq́ue prædictiones non potuerunt impetrare fidem à Chriſtianis. 279
Augurium Spurinam non fefellit, ſed ſecuritas Cæſarem. 278
S. Auguſtinus refert monſtrum in Oriente natum. 85
D. Auguſtinus probat Genethliacos auctore dæmone diuinare interdum,& vtplurimum. 293
D. Auguſtini querimonia ad propoſitum libertatis humanæ. 174
Auguſtus prohibuit mulieribus ſpectaculis adeſſe. 158
Auguſtus nummos argẽteos Capricorni Signo, quo editus eſt, notauit. 275
Auguſto qui orbis terrarum imperium prædixerunt,vnde id habuerint. 300
Auicennas ſubabſurdam temperamenti commentus eſt definitionem. 38
Aulicis in Principum palatiis id accidit, quod in vrbe Roma veterum candidati pati ſoliti erant,ex Tullio. 110
Auſter cur Canicula oriente moueatur, idq́ue lege naturæ certiſſimum fieri ſoleat. 10
Auſtri cur non fiant continui poſt hyemales verſiones, Boreæ autem ſic. 9
Auſtralis declinationis, ſeu Borealis in quoto gradu fiat Planetarum coniunctio,valdè refert. 207
Auſtrales ſtellæ in capite Piſcis quos effectus habeant. 203
Auſtralibus paralellis ſubiectorum deſcriptio. ex Ptolemæo. 146
Autumnus, & Ver vnde efficiantur. 3
Autumni non ſunt æqualiter ſicci,& quare. 6
Autumnalis æquinoctij prærogatiua quænam ſit. 271

B

APud Bactras,& Indos, qui Brachmanes appellantur,diuerſis moribus viuunt. 334
Bardaſenus Syrus luculenta oratione Aſtrologos proditæ veritatis crimine conuincit. 317. 333 & ſeqq.
S. Baſilij ſententia in Poëtas adulteria deorum impudenter deſcribentes. 159
S. Baſilij ſententia in Genethliacæ artis inuentores. 214.215
Baſiliſcus eos, quos oculis afflarit, aut ſibilo contigerit,momẽto interficit. 45.46
Baſtarnæ incolæ ſunt communiter feroces,peruicaces, truces. 146.147
Beatitudo æterna finis vltimus omnium Chriſtianorum. 173
Bellantius duo in eodem homine diſtinguit temperamenta,& quæ illa ſint. 33. rationes eius contrariæ ipſis Aſtrologorum decretis. 34.cur ea inuenit duo temperamenta. 40
Bellantius quid ſentiat de Aſtronomicis experimentis. 193.194. ex eius ſententia duo conſequuntur neceſſariò. 194.195
Bellantij ſex potiſſimùm rationes refelluntur, quibus perſuaſus eſt, cauſas ſublunares omnes eſſe cœli inſtrumenta. 28.29
Bellantij doctrina de diebus criticis examinatur. 56.57
Bellicoſi ſunt ſemper,quibus Mars præſidet. 34
Belluæ marinæ, cibus validiſſimus. 116
Beta,firmior eſt cibus,quàm lactuca,vel cucurbita,vel aſparagus. 117
Boëtius queritur de ſuorum temporum corruptela. 162
Boni, aut mali imminentis opinione duo exiſtunt animi motus,eorumque effectus. 292
Boni fiunt alij natura, alij conſuetudine, alij doctrina. 151
Bononiæ, Mediolani, Florentiæ inſtaurationem,Venetiarum ædificationem,inter genituras numerat Cardanus. 265
Bonorum iactura non rarò Dei optimi maximi irâ ſolet immitti. 102
Boreæ propter quid fiunt continui poſt æſtiuales verſiones, Auſtri autem non ſic poſt hyemales. 9
Borealis, ſeu Auſtralis declinationis in quoto gradu fiat Planetarum coniunctio, valdè refert. 207
Boum duorum ſimul genitorum diſparitas vnde fiat. 25
Brachmanes qui appellantur apud Indos, & Bactros,diuerſis moribus viuunt,quàm Indi. 334
Braſſica, firmior eſt cibus, quàm lactuca, vel cucurbita,vel aſparagus. 117
Braſſicæ,& Rutæ quanta inimicitia. 45
Britanniæ incolæ ſunt communiter feroces, peruicaces,truces. 146.147
Brumalis ſolſtitij prærogatiua quænam ſit. 271
in Brutis corpus cohæret ſine mente. 27
Bubula inter domeſticos quadrupedes grauiſſima. 117
Bulbi omnes,cibi valentiores ſunt. 117
Bulgarorum Princeps Simeon Mathematicorum ſuaſu in Crobatos inſiliens, incredibilem cladem accepit. 344
Burbachij ſententia de æquinoctio verno. 205

C

CÆpa, valentior cibus eſt, quàm paſtinaca. 117
Cæpæ cuti impoſitæ cur eam erodant, atque exulcerent,comeſtæ verò non. 130
C. Cæſar inter vigintiquatuor vulnera vnum dumtaxat lethale accepit à Bruto. 213
Calchantem augurem longè optimum fuiſſe ſcribit Homerus. 278

Calculi

Calculi morbus principium habet à lacte. 113
C. Caligula à Cherea tribuno occiſus fuit, per æquiuocationem Aſtrologi cuiuſdam. 290
Calor minor eſt in vmbroſis locis, quàm apricis, & vnde id fiat. 5
Calor igneus auget calorem vitalem, & cœleſtem & quare. 8
Caloris eſt, ſegregare heterogenea. 5
Calorem cœleſtem eiuſdem eſſe naturæ cum elementali, exploratæ fidei eſt. 8
Calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem quare primas eſſe qualitates doceat Ariſtoteles. 39
Calores non modicos in hyeme ingruere, vnde fiat. 240
Cancri vnde naſcantur. 131
Cancri in primo gradu virum & mulierem fingunt Ægyptij manibus ſe apprehendentes, ſibique gratulantes. 246
Canis rabidi ſpuma, viperæ venenum, aut aſpidis virus, parem vim non habent, vel ſoli cuti applicata, vel intrò aſſumpta. 131
Cane præcipuè, aſtriſque omnibus tum orientibus, tum occidentibus, cur aër ſoleat mutari, ex Ariſtotele. 241
Canicula oriente tranquilla ſolere eſſe cuncta, vnde fiat. 7
Canicula oriente cur Auſter moueatur, idque lege naturæ certiſſimum fieri ſoleat. 10
Caniculæ æſtuoſæ vis notiſſima eſt. 6
Capitis dolores, & oculorum caligines, quibus mulieribus prægnantibus maturiùs, & quibus ſeriùs accidant. 83
Capneus, vitis quædam, ſi nigram vuam ferat, cùm albam ſoleat ferre, non ob id monſtrum dicitur. 87
Capparis, imbecillima materia. 116
Capræ, cibus eſt valentiſſimus. 116
Capræ lacte nutritus quidam ſemper ſaltare ſolebat. 113
Capris, & ouibus cur magis accidant monſtra. 86
Carbunculi vnde naſcantur. 131
Cardanus vnde deducat monſtrorum rationes. 84
Cardanus interrogatus de Edoardi VI. Anglorum Regis genitura, quid reſponderit. 188
Cardanus alia quàm veteres omnes profitetur de motu Solis, Lunæ Saturni, Martis. 192
Cardanus electiones difficiles dicit eſſe quatuor de cauſis. 216. eas non probat. 219
Cardanus tradit, ſigna agere per ſe, & ſine ope ſtellarum, in hæc inferiora. 235
Cardanus inſtituit annorum, menſium, & dierum generales quoſdam euentus, & pluribus communes. 269. 270
Cardanus nullum Principatus indicium, ſed ſolius prudentiæ ſigna vidit in Coſmi Medicea genitura. 282
Cardanus quid dixerit de Pontificatu Leonis X. & Iulij II. 294. 295. vnde id habuerit. 300
Cardanus quid de Chriſtiana religione, Mahumetana & Lutherana ſcribat. 295
Cardani iudicium de Medicis, & Aſtrologis coniectoribus. 62
Cardani imperitia quæ, qui Aſtrologiæ reparator, & amplificator vult haberi. 181
Cardani de Aſtrologis iudicium ſiniſtrum, cùm fuerit ipſe Aſtrologiæ patronus. 182. 184
Cardani querimonia de Aſtrologis. 188
Caro firmius eſt alimentum, quàm vllum aliud. 116
Carnes igne exuruntur non alia actione, niſi caloris & ſiccitatis. 39
Carolus IX. nihil cœlo mali ominante in eius genitura, ex febri acûta, & magna ſanguinis effuſione obiit. 306. 307
Carolus à Brimeu, Friſiæ Præfectus quanta cœli benignitate interierit. 308
Caroli V. genitura reſtituta, quid ſcriptum reliquerit quidam Aſtrologus, cùm eam videret non conuenire cum aliis Imperatoris euentis. 311
De Carpentis, & curribus aſtrorum vnde mutuati ſint Ptolemæus, & Firmicus quæ ſcripſerunt. 255
Caſpium mare, lacus, fontes, aquas omnes, cur Luna non exagitet. 12
Caſſandrus, ſummus Aſtrologus, prædictionibus non eſt vſus. 316
Caſſio Seuero celebri Oratori, armentarij Mirmydonis obiecta ſimilitudo eſt. 77
Caſus, fortuna, euentus, & ſors quid ſint, ex Cicerone. 140
Caſus plerique accidunt geſtantibus vtero, à quibus nec fœtus poteſt eſſe immunis 82
Caſus glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Caſſiopea cur inter ſydera relata, ex Arato. 243
Catablepha animal vnde vim habeat homines ad mille paſſus conſpectum necandi, ſecundùm Aſtrologos. 41
Cauſa quælibet num per ſe poſſit præſtare effectum. 18
Cauſa vitij, ac valetudinis in quo horoſcopi loco inueniatur. 229
Cauſæ ſublunares omnes an ſint cœli inſtrumenta. 18. 29
Cauſas ſublunares ab æternis, & cœleſtibus pendere, bifariam intelligi poteſt. 16
Cauſis ſublunaribus motionem omnem, & modum præſcribi, non eſt quod reſpondeant Aſtrologi. 112
A Cauſis ſublunaribus, & proximis impediri poteſt efficientia cœli. 215
Celſus agnouit liberum arbitrium. 93
Ceræ & adipis mixtioni rectè comparatur maris & fœminæ genitura. 78
Certamina militaria pueros exercere conuenit, & quæ. 122
Cerui quo pacto ex imis terræ cauernis ſerpentes enocent. 45. 46
Cetus, cibus validiſſimus. 116

Chaldæi

Chaldæi re & factis liberum arbitrium perne-garunt, ſicut & omnes Genethliaci. 94.95
Chaldæi negauerunt diuinam prouidentiam, & omnia fatali neceſſitate euenire docue-runt. 143
Chaldæi ex Libra, & Scorpione vnam effece-runt imaginem, & vndecim tantùm Zodiaci aſteriſmos numerarunt. 243
Chaldæorum obſeruationis ratio non poteſt manere ſub diuerſis cœli regionibus. 208
Chaldæis an poſſit aliquid afferre adiumenti hydriarum ratio, in definiẽdis perfectè par-tibus ſignorum Zodiaci. 190
Chaldæos nunquã de ſublunaribus cauſis fuiſſe ſollicitos perſpicuè declarat Tullius. 211
Chriſtum Dominum natum oriẽte primo gradu Virginis, ridicula opinio Aſtrologo-rum. 246
Chriſtianus quidam, tempore Aquilæ Pontici, quam ob cauſam non fuerit in Eccleſia re-ceptus. 341
Chriſtianorum omnium finis vltimus quis ſit. 173
Chriſtianis nõ licere obſeruare Lunæ, aut ſtel-larum curſum vbi ſtatuatur. 342
de Chronocratore, & temporum moderatore quæ tradunt Genethliaci, alfridaria penitus euertunt. 224
Cibus varius morbos generat, & quare. 141
Cibi, & labores contrarias inter ſe vires habẽt. 119
Cibos, quibus quis aſſuetus eſt, quanquam mi-nùs ſalubres, commendat Hippocrates. 126
Ciceronis cenſura in Poëtas. 160
Cicuta, & veratrum vnde vim habeant interi-mendi hominem, ſecundùm Aſtrologos, non coturnices, aut ſturnos. 41
Circumſtantiarum notatio non ſuperat periti ac ſolertis Aſtronomi diligentiam. 194
Circumſtantiarum conſideratio in euentibus rerum quantam vim habeat, exemplis doce-tur. 212.213
Claudio qui orbis terrarum Imperium prædi-xerunt, vnde id habuerint. 300
Clementis Alexandrini verbum in eos qui la-ſciua & obſcœna loquuntur. 160
Cœlum totum ſuapte natura lucidum, quan-quam propter raritatem non lucet. 3
Cœlum genitoris patriſque nomine appella-tur. 4
Cœli poteſtas in ſublunarem mundum, & cor-pora ſubiecta agnoſcitur & à Philoſophis, & ab Aſtrologis. 3
Cœli motu ceſſante, quæ actio reſtet in iſtis inferioribus. 16
Cœli facultas duplici laborat incommodo. 30
Cœli in motibus, mutationibúſque intereſt plurimùm, qui ventus, qui imber, quæ tem-peſtas vbique ſit. 209
Cœli efficientia à cauſis ſublunaribus, & proxi-mis impediri poteſt. 215
Cœli conſtitutio fauſta an perduret toto lon-giſſimi itineris tempore. 218
Cœli partitione ſimili vſi ſunt augures, quã & Mathematici, ad fallendos mortales. 256
Cœlo ceſſante, cæteræ cauſæ efficiunt nihil. 17
Cœlio Pontico ius dicenti picus ſupra caput inſedit, & quid inde haruſpices reſponde-rint. 279
Coitus, pars eſt morbi teterrimi, quem noſtri comitialem dixerunt. 142
Colericum eundem hominem, melãcholicum, timidum & audacem in quibuſdam actioni-bus, vnde fit vt experiamur. 40
Color, & oua quare ſemper euariare dicantur auibus, ex Democriti ſententia. 86
Combuſtio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 254
Conchylia fidem faciunt arcanis Lunæ viri-bus. 6
Conchyliorum incrementum & decrementum vnde. 11
Concilium Tridentinum quid præcipiat Epi-ſcopis circa libros Aſtrologiæ iudiciariæ. 342
Concilij prouincialis Mediolanenſis decretum in Aſtrologos, ſub S. Carolo Borromæo ce-lebrati. 342
Conditiones omnes requiſitæ in Aſtrologo, ne diuinet in incertum. 184
Configurationum ſyderalium non leuis, ſed magna eſt diuerſitas, duabus de cauſis. 206. 207
Congreſſio alia S. Auguſtini cum Aſtrologis. 329
Congreſſus omnes aſtrorum an poſſint obſer-uari ab Aſtronomis in quolibet Zodiaci gra-du, & minuto. 209.210
Congreſſus aſtrorum quid ſit, quàm nouis a-ſtris varius, & nouus. 257.258
Congreſſus ſyderum quãdo non ita certò præ-dicere poſſunt Aſtrologi, quò confugiant. 268
Coniecturam de futuris euentis nullam poſ-ſunt ducere Mathematici ex Signis, quam-uis eorum magna eſſet vis, ac poteſtas. 238
In Coniugiis maſculorum quid inſpiciendum, ex Ptolemæo. 109
Coniunctio Planetarum in quoto gradu fiat Auſtralis, ſiue Borealis declinationis, valde refert. 207
Coniunctiones ſi rarò in eundem gradum ſi-gni recurrunt, multò rariùs in idem eiuſdẽ gradus minutum. 208
de Coniunctionibus illis maximis, quas ap-pellant, Saturni, & Iouis, quid dicat Albu-mazar. 226
Conſcientia obſtat prauis corporis propenſio-nibus. 169.170
Conſiliarij aſtrorum intimi quid tradunt de electionibus & quid illis tribuant. 217
Conſuetudo valet quamplurimùm non ad bo-

num

num tantùm, ſed ad malum etiam, ex Galeno. 153
Conſuetudinis vis quanta ſit ad valetudinem conſeruandam, aut contrà. 115.127
Contareni opinio de fluxu, & refluxu maris. 13
Contrariorum eadem eſt cauſa. 5.8
Contrarietas, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 134
Conualeſcentiam ſi prædicit Aſtrologus, quomodo eſt accipiendum. 289
Conuerſatio tota in quo horoſcopi loco inuenitur. 130
Copernici, Alphonſi, Tychonis, & aliorum Aſtrologorum tabulæ diſſentientes ſunt inter ſe. 268
Copulata euenta (quæ confatalia Chryſippo) vnde dimanent. 193
Cor eſt fons præcipuus caloris, qui ad cerebrum dimanat. 19
Cor Leonis ab vno in alium demigrat gradum. 138
Cornelius Celſus non ſanis modò, ſed ægris etiam corporibus exercitationes vtiles eſſe putauit. 121
Coronâ horoſcopante natum, Regem futurum, cur dicant Aſtrologi. 245
Corpus habet duplicem actionem. 15.16
Corpus cohæret ſine mente in ſtirpibus, in ſaxis, in brutis. 27. nullum ſimplex, capax eſt animi. 28
Corpus ipſum erodunt & abſumunt quædam medicamenta. 132
Corpus nullum dum mouetur æqualem locum occupat. 232
Corpora cœleſtia an ſint cauſæ humanorum actuum, deciditur à D. Thoma Theologorum principe. 60
Corruptio fœtus in muliere vnde fiat. 65
Corruptiones rerum ſublunarium omnes vnde peragantur. 11
Coſmus Medices, Florentinorum dux, natus Capricorni ſigno, eo vſus eſt in vexillis & publicis operibus. 175
Craſſus quo die infauſto prælio cecidit, grauiſſimè ad limen offendit. 179
Credulitas nimia, & leuitas conſulentium quantùm iuuet Aſtrologorum prædictiones. 292
Cretenſis quidam iracundus mitior factus à Platone. 157
Criſis quid ſit, & quando contingat 47. quid diſcriminis habeat vna ab altera. ibid. quibus conſpicata notis. 48
Cucumis, imbecillima materia. 116
Cucurbita, imbecillima materia. 116
Curſibus velocibus an vtendum. 119
Cyprianus Leouitius rationem reſtituendi horoſcopum ad omnes Planetas pertinere putat. 309.310
Cyrillus Alexandrinus quid de Mathematicis pronunciet. 317

D

DÆmones an ſubſint actioni cœleſtium corporum, per ſe, vel per accidens, directè, an indirectè. 60
Decanus primus Arietis quis ſit, eiúſque formæ ſola Mathematicorum cogitatione efformatæ. 145
Decani quot omnem Zodiaci circulum poſſideant. 147
Declinationis Auſtralis, ſeu Borealis, in quoto gradu fiat Planetarum coniunctio valde refert. 107
Decreta aſtrorũ nihil iuris habere in religionē verã pietatémque, ſcripſit Tycho Brahe. 295
Decretalis vnà cum S. Hieronymo damnat eos, qui ſtellarum curſus, & ex illis futurorum euentus rimantur. 341
Defectiones Solares & Lunares principes exercent vires in res inferiores. 181
Democritus qua de cauſa mõſtra fieri ſcribat. 86
Demophon quid prædixerit Alexandro magno Oxydracarum Indorum Metropolim oppugnaturo. 279
Demoſthenes naturæ vitium exercitatione ſuſtulit. 129
Demoſthenes naturæ vitium meditatione, atque exercitatione ſuſtulit. 155
Detrimentum, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 134
Dei admirabilis ſapientia in diſpoſitione vniuerſi prædicatur mirificè ab Ariſtotele. 101
Ne Deum quidem ex cauſa libera, & ad vtrumque æquè parata agnoſcere poſſe contendunt quid futurum, vel non futurum ſit, S. Thomas, Scotus, Durandus, & alij. 100
Dextrum trigonum ſit, ex Firmico. 259
Diæta hominum perquirenda in electione domicilij. 123
Diametrum quid ſit, ex Firmico. 258
Quo Die, vel anno horoſcopus peruenerit ad locum, quem natali hora Saturnus occupabat, Saturni ſequetur effectum. 231
Dies cur maximè variantur Orionis exortu, flatúſque importuni commouentur. 9
Dies poſt brumam quintusdecimus Auſtrum præ ſe fert, & quare. 10
Dies critici an ad Lunam, aut aliud aſtrum pertineant. 11
Dies critici, non critici, & medij qui ſint. 48. indicatiui item. ibid.
Dierum criticorum tota ſtructura à Galeno excogitata euertitur. 56
Dierum, & horarum electio abſurdiſſima eſt, ex Cardano. 119
Dierum, menſium, annorum generales quoſdam euentus, & pluribus communes inſtituit Cardanus. 169.170
Dignitas Medicinæ quanta ſit. 61
Dignitates vnde ſignificari dicāt Aſtrologi. 299
De Dignitatibus, ac honoribus futuris num poſſint ex aſtris dicere Aſtrologi. 298.299

Digitized by Google

Diluuij orbis quotus fuerit, & quis eius dominator. 226
Diocletiano qui orbis terrarum Imperium prædixerunt, vnde id habuerint. 300
Diogenis Cynici iudicium de Medicis, & Aſtrologis coniectoribus. 62
Diogenis Cynici dictum de ebrio, quem in foro viderat. 149
Diogenis Cynici egregium dictum in Aſtrologos. 317
Dion ridiculos Aſtrologos eſſe pronũciauit. 317
Directio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Ex Directione horoſcopi ad Solis ſextilẽ dextrũ lucratus eſt quidã Carolinos aureos 20. 311
Directiones Planetarum quid ſint. 231
Diſceptatio diſertiſſima S. Ambroſij in Genethliacos 320. S. Auguſtini. 323 & ſeqq.
Diſciplina quam Genethliaci profitentur, futilis & inanis. 63
Diſpoſitionẽ duplicem ad formã equi ſuſcipiẽdam fingere, eſt commentũ ineptiſſimum. 31
Diſputatio Origenis Adamantij in Aſtrologos. 330. & ſeqq.
Diuerſitas rerum omnium vnde eueniat 23.24
Diuinandi ars vera cenſenda eſſet Aſtrologia, ſi ſemel tantùm verum prædixiſſet. 278
Diuinandi arte cur pollere non putatur Aſtrologus, qui vera aliquando præuidet, tametſi nonnunquam peccet. 279
Diuinationis veræ ac falſæ quæ ſint cauſæ. 179
Diuitiarum, ingenij, honoriſque alfridaria à quo tempore incipiant. 220
Diurnus motus cui tribuatur. 14.15
Dodecatemoria deſcripta à Manilio, eorúmque duo genera. 247
Dolores excitari ſolere nouilunio, plenilunio, quarta Luna, vnde fiat. 7
Dolores capitis, & oculorum caligines, quibus mulieribus prægnantibus maturiùs, & quibus ſeriùs accidant. 83
Domicilium in quo horoſcopi loco inueniatur. 250
Domicilia, & ſedes aſtrorum fixa ſiunt à Mathematicis, & immobilia. 253
Dominatus Lunæ in puerum per ſeptem integros annos quid ſit. 224
Domini, ac ſerui, inopes, & reges, pariter gignuntur. 164
Domitianus non minùs quàm pater aut Aſtrologiã valuit, aut Aſtrologicas prædictiones veras inuenit. 276
Domus ipſæ cœleſtes ludibrium & figmentum ſunt. 253 quàm incongruenter datæ ſint Planetis ab Aſtronomis. 256.257
Domorũ cœleſtiũ deſcriptio ex Ptolemæo. 249. verſibus commendantur ab Aſtrologis. 250
Domos cœleſtes confictas, nec vllum habere fundamẽtum in cœlo, vnde conſtet maximè. 253. à Poëtis mutuati ſunt Genethliaci. 255
Druidas Gallis quid commendarit. 278
Duodecimus locus malus dæmõ appellatur. 250
Durandus contendit, ne Deum quidem ex cauſa libera, & ad vtrumque æquè parata agnoſcere poſſe quid futurũ, vel non futurum ſit. 100

E

EBrietas cõuictores in amorẽ vini traxit. 156
Eccleſia quàm ſeuerè olim in Genethliacos animaduerterit. 341
Echines piſciculus vnde vim habeat ſiſtẽdi nauim, ſecundùm Aſtrologos, aut ſaltem remorandi. 41
Echini fidem faciunt arcanis Lunæ viribus. 6
Echini habẽt ſe in pleniluniis vberi*, & quare. 6
Echini quòd in pleniluniis vberiùs impleantur, ad quid referat Ariſtoteles. 10
Eclipſis, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Eclipſes declarant non eſſẽ adhuc ab Aſtrologis exactè notatos ſyderum congreſſus. 191
Eclipſes quando tabulis perfectè non reſpondent, quò confugiant Aſtrologi. 268
Ecliptica nonæ ſphæræ, aut primi mobilis idem eſt. 205
Educatio, eruditióque bona ſeruata, ingenia quoque bona efficit. 150
Educatio quibus fœlix defuit, ſtudium, bonáque cõſuetudo proficere poteſt ad virtutem, ex Galeni & Plutarchi doctrina. 153. & 154
Educationem bonam paucorum parentum eſſe reſpondent Genethliaci, ideo plurimos ſequi id, ad quod ſyderali vi propendent, ſed huius reſponſionis duplex vitium notatur. 152. 153
Educationem, & ſtudia hominum, legibus conſtituta eſſe opus eſt. 168
Ennius ſuperbè illudit Genethliacis, & artis ſubtilitatem exprobrat. 319
Effectus qui ſubeſt efficientiæ cauſæ ſublunaris an ſit res aliqua communis, & vniuerſa, an ſingularis & definita. 24
Efficientia cœli à cauſis ſublunaribus, & proximis impediri poteſt. 215
Effugia tria Mathematicorum proponuntur, atque etiam præcluduntur. 143.144
Electio parum prodeſt in rebus voluntariis, & difficillima eſt. 217
Electionem prodeſſe, indicat ſatio, & inſitio. 217.219
Electiones difficiles ſunt quatuor de cauſis, ex Cardano. 216
Si Electiones commenta ſunt Aſtrologorum, cur non & genituræ? 219
Electionum inanitas Ludouici Sfortiæ exemplo declaratur. 218
Electionibus quid tribuant aſtrorum intimi conſiliarij. 217
Elementa non vnum ſemper ſeruant ſtatum, & quare. 6
An Elementa omnia ſubiiciantur cœleſtibus corporibus. 19.20
Elephantem enixa eſt mulier quædam. 85
Elleborum vnde vim habeat medendi morbis

comitia

Digitized by Google

comitialibus, vertigini, melancholicis, inſanientibus, lymphaticis, elephantiæ albæ, &c. ſecundùm Aſtrologos, & ex Plinio. 41
Emanuel Comnenus Imperator à Rogerio Rege deuictus, demonſtrauit quantùm fallant Aſtrologorum præſagia. 344
Empedocles apud Galenum vnde deducat mõſtrorum cauſas. 85
Enunciare non poſſunt aſtrologi niſi generalia quædam, & indefinita. 281
Ephemerides declarãt nõ eſſe adhuc ab Aſtrologis exactè notatos ſyderũ congreſſus. 191
Epignoſticon Sordani de vita Edoardi VII. Anglorum Regis. 188
Epiſcopis quid præcipiat Concilium Tridentinũ circa libros Aſtrologiæ iudiciariæ. 342
Epithymum vnde vim habeat educendi atram bilem, ſecundùm Aſtrologos. 41
Equorum duorum ſimul genitorum diſparitas vnde fiat. 25
Error Aſtrologorum quadruplex. 180
Errores magni in Aſtrologia pariuntur ex inſtrumentorum vitio. 190
Errores, qui in ſyderum obſeruando congreſſu accidunt, eſſe maximi momenti, probatur tribus contrariis rationibus. 202
Eſſæi quare nõ habitabãt in ciuitatibus, ex Philone Iudæo apud Euſebiũ Cæſarienſem. 156
Eteſiæ quando flare dicantur, & ratio. 9
Eteſiæ quare flare dicantur diebus, noctibus autem ceſſare. 241
Etruſcos Romanis quid commendatit. 278
Eudoxi, Platonis auditoris, opinio de Genethliaca. 316.319
Euectio alicuius ad ſummum Pontificatum vnde pendeat. 296
Euentus, caſus, fortuna, & ſors quid ſint, ex Cicerone. 140
Euentus cuiuſlibet, per reuolutionẽ oſtenditur, ſignificatũ an ſit conſtitutũ in genitura. 270
Euentorum genera duo: exemplis docetur. 193
Euphroſinũ herba cordi amica in paucis. 45.46
Euridice laudata à Plutarcho, & quare. 150
In Euripo Pirenſi non minùs tempore hyberno quàm æſtate vigent echini, & ratio. 11
Euryſthenes, & Proclus Lacedæmoniorum Reges gemini fratres, diſſimiles in omnibus fuerunt. 265
Euſebij Cæſarienſis ſententia de aliorum conſuetudine, & conuerſatione. 156
Exaltatio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Exemplo demonſtratur, horoſcopum, quamuis natiuitatis tempore longiùs à Planeta diſtet, peruenire tamen ad illum locum aliquando, in quo erat tempore natiuitatis Planeta. 231
Exemplo probatur, nullam poſſe Mathematicos coniecturam ducere de futuris euentis, ex Signis, quamuis eorum magna vis eſſet, ac poteſtas. 238
Exempla, atque experimenta in aſtrorum iudiciis diſſimillima ſunt, tam priſcorum quàm recentiorum. 192
Exercitatio, & labor magnã habet vim ad ſanitatem vel tuendã, vel labefactãdam. 119.120
Exercitationum tria ſaltem notantur genera, vtique quot motionum differentiæ. 120
Exhalationes ſupremo aëre degẽtes vnà cũ elemẽtali igne, & aëre à cœlo circũferuntur. 14
Exilia non rarò Dei optimi maximi irã ſolent immitti. 102
Experimentum, & ratio, duo primaria fundamenta Aſtrologiæ. 179
Experimentum quartum Aſtrologorum, ex acceſſu & receſſu à Tropicis, & motu Saturni, quomodo diluendum. 200
Experimenti vis in quo conſiſtat. 192
Experimento cur obſeruare vim ſyderum nequeant Genethliaci. 268
Expiationes, quibus placato Numine auertuntur morbi, cur inſtitutæ perhibentur. 102
Exticina, & haruſpicina vnde commendata. 278

F

Fabula, vel lenticula valentior eſt, quàm piſum. 117
Facies, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Facultas Medicinæ quanta ſit. 62
Familiares Platonis expreſſerunt contractos eius humeros. 155
Farneſius ſummus Pontifex renunciatus ſecundùm prædictionem Paridis Cereſarij Mantuani Aſtrologi. 276
Faſtus quantùm valeat ad morum rationem. 164.165
Fauſtina, Marci Antonij Imperatoris & Philoſophi vxor cur Commodum peperit hominem crudelem. 114
Febres quotidianæ, tertianæ, quartanæ vnde proueniant. 57
Felium oculi lucem natura ſua ſortiti ſunt. 3
Ferdinandus Gonſaga, Mantuæ Dux, vixit fœlix, contra genituræ ipſius præmonſtrationem. 304
Ferdinandus, Romanorum Imperator, multis ſuperatis annis infauſtis, fœliciſſimus obiit. 308
Feræ quoque conuictu hominum manſueſcunt. 156
Ex Feris, quò maius quodque eſt animal, eò robuſtior ex eo cibus eſt. 117
Ferina quædam Signa cur appellata ſint. 244
Fernelius temperamentum poſuit in primis qualitatibus, eiúſque verba temperamenti naturam belliſſime deſcribentia referuntur. 37.38
Fictiones Aſtrologicæ circa monſtrorum cauſas eluduntur. 87.88
Ficus valentiores ſunt ex fructibus ſurculorum, quàm quæ poma propriè nominantur. 117
Fidem à Chriſtianis impetrare non potuerunt, haruſpicum, augurúmque prædictiones. 279
Filij cur ſimiles ſint parentibus. 70.72.73
Filiorum partus monſtruoſi non rarò Dei optima-

Digitized by Google

mi maximi irâ ſolent immitti. 102
Filiorum numerus ex quo horoſcopi loco inueniatur. 229
Finis omniũ vltimus vnus eſt, cuius vnuſquiſq; capax,& appetens eſt. 101
Finis vltimus omniũ Chriſtianorũ quis ſit. 173
Firmicus diſſentit à Cardano & Ptolemæo in doctrina de alfridariis. 222
Firmicus vnde mutuatus ſit quæ de carpentis, & curribus aſtrorum ſcripſit. 255
Firminus quis fuerit ille de quo S. Auguſtinus. 327
Flatus importuni cur commouentur Orionis exortu,& dies maximè variantur. 9
Flatuum omnium genera mutari ſolẽt in ventos aduerſos,aut dextros. 10
de Florentia quæ denunciet Cardanus. 263
Florentiæ,Mediolani, Bononiæ inſtaurationẽ, Venetiarum ædificationem, inter genituras numerat Cardanus. 263
Fœcunda quædam Signa cur appellata ſint, eorúmq; deſcriptio ex Manilio. 233.244
Fœdi ſunt ſemper,quibus Saturnus præſidet. 34
Fœlicitas ſapientis quanta ſit,ex Ariſtotele. 98
Fœmina quædã cùm ſeptimo die à partu concubuiſſet, concepiſſétque, peperit ſimilem ſuperiori. 75
Fœmina cur poſteriùs conformetur, & coarticuletur. 78
tam Fœmina, quàm vir partem dexterã habet fortiorem,calidiorémque,& quare. 79
Fœminæ & maris genitura rectè comparatur mixtioni ceræ & adipis. 78
Fœminarum apud Getulos deſcriptio. 335
Fœminas cur magis generet ætas nouella & ſeneſcens,quàm florida. 79
ad Fœtus conſtitutionẽ plures neceſſariæ ſunt cauſæ,& quæ illæ ſint. 65
Fœtus quãto, qualíve ſanguine alatur in vtero matris,ex Galeni, & Hippocratis ſentẽtia. 80
Fons eſt in Gadibus ad columnas Herculeas, qui interdum cum Oceano augeatur, & minuatur,vel contrà,ex Plinio. 12
Fontes,lacus,mare Caſpium, & aquas omnes, cur Luna non exagitet. 12
Formam diſparẽ cur ſæpe nanciſcantur gemini,qui eadẽ ſortiti ſunt aſtra genitalia. 265
Formæ ſubſtantiales vnde fiunt. 29.30
Formarum imperfectarum diſpoſitiones vnde pendeant. 32
Formas quidquid poteſt & ſolet progignere, poteſt etiam & ſolet formæ adaptare materiam. 31
Fortuna, caſus, euentus, & ſors, quid ſint, ex Cicerone. 140
Fortuna proſpera, aut aduerſa an ex natalitiis aſtris decerni poſſit. 304
Fortunam diſparem cur ſæpe nanciſcantur gemini,qui eadẽ ſortiti ſunt genitalia aſtra 265
Fracaſtorij doctrina de diebus criticis. 11
Franciſcus Roſcius Rauennatũ quondam orator non obtinuit honores,quos eius genitura promittebat. 302
Franciſcus cognomento Monachus,ex occurſu medij cœli ad radium benefici Planetæ nouum,par calceamentorum ab amico ſibi dono datum tradit. 311
Franciſcus Sfortia, Ludouici filius, eam non obtinuit infœlicitatem, quam eius genitura præmonſtrabat. 304
Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium ducis genitura. 274
de Franciſco I I. Gallorum Rege quid ſint vaticinati Hieronymus Cardanus, & Lucas Gauricus. 306
de Fratribus, & amicitiis ex tertio horoſcopi loco diſcemus. 229
Fricationibus,& luctis,& huiuſmodi exercitiis vti num conducat. 119
Frigus, calorem, humorẽ, & ſiccitatem quare primas eſſe qualitates doceat Ariſtoteles. 39
an Frigus velint fieri Aſtrologi à ſolo Saturno, an verò ab aliis cauſis,quærit Auctor. 199
Frigus ingruere media æſtate,vnde fiat. 240
Frigora inſtant nonnumquam quouis etiam tempore,& vnde id fiat. 7
Fruſtratio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Fruticis frigidam ſubſtantiam an ſemen conſtituat,vel inconſtans & vana ſyderũ vis. 23
Frutices ab vniuocis cauſis non proueniunt. 21
Fulgura edere Solem in Ariete,vnde fiat. 239
Fulmen aurum colliquat intacto loculo. 44
Futurorum cognitionem per cœleſtia corpora quærẽdã eſſe homini,negabat Socrates. 316

G

GAlbæ qui orbis terrarum Imperium prædixerunt,vnde id habuerint. 300
Galeatij Mariæ Vicecomitis Mediolanenſium ducis,& Aſtrologi cuiuſdam hiſtoria. 277
Galenus agnouit liberum arbitrium. 93
Galenus duo in Medico requirit, & quæ illa ſint. 133.134
Galenus parentum ſuorum maximam exhibet diſſimilitudinem. 150
Galenus vnam Genethliacæ artis diſciplinam neglexit. 316
Galeni ſententia de mixtorum temperamento. 35.36
Galeni doctrina ſingularis de diebus criticis. 49
Galeni diligentia & ſolertia exemplo confirmatur. 136
Galeni ſententia de copioſis ciuibus, de Dynaſtis,de Regulis. 162
Gallus gallinaceus vnde vim habeat terrendi leonem,ſecundùm Aſtrologos. 41
Galli,ex Iulio Firmico,ſtolidi eſſe dicũtur. 146
Gallis Druidas quid commendarit. 278
Galliæ Bracatæ incolæ ſunt communiter feroces,peruicaces,truces. 146.147
Galliæ togatæ incolæ,præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent. 146

Gaſpar

Gaſpar Laoth Phyſicus Antuerpienſis. 183
Gaudium, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Gaudia aſtrorum cur tot finxerint Aſtrologi. 272
Gaurici doctrina de diebus criticis examinatur. 56. 57
Gemini quare diſpares ſæpe nanciſcantur fortunam, ſexum, corporis temperiem, &c. cùm eadem ſint ſortiti aſtra genitalia. 265
in Geminis Saturnus quid ſignificet. 207
de Geminis, qui ſimul ægrotarent, ſimul conualeſcerent, quid narret S. Auguſtinus. 328
Gemmæ partim neceſſarias habent affectiones, partim ex eo, quod contrariam habent affectionem, dependent. 64
Generalium, & ſingularium nomine quid intelligatur. 193
Generationis mixtorum principium quod, ex Ariſtotele. 39
in Generatione interdum pater, interdum mater dominatur, ex Ariſtotelis ſententia. 72
Generationes rerum ſublunarium vnde peragantur. 11
Generationes inæquales quando fiant. 17
Generis æqualitas ex quo horoſcopi loco inueniatur. 229
Genethliaca quemadmodum ſigna in triginta gradus, ita in tres decanos diuiſit, denos gradus ſingulis decanis attribuens. 246
Genethliaca quàm maximè repugnat libero arbitrio. 94
Genethliacam diſciplinam in Mathematicum cenſum Socrates non refert, & quare. 314. nec Plato. ibid.
Genethliacam artem exitio fuiſſe multis Principibus. 344. & ſeq.
Genethliacæ artes omnes cur repudiandæ, & fugiendæ ſint Chriſtiano. 325
Genethliacus quomodo differat de his quæ mutationibus obnoxia ſunt. 64
Genethliaci omnes cur non vulgo ſolùm, ſed etiam probis viris malè audiant. 186
Genethliaci tantum Planetarum viribus tribuunt, vt reliquarum omnium ſtellarum virtutes ad eas reuocent. 196
Genethliaci quàm multis tenebris offuderunt partes lucidas, & tenebroſas. 248. vnde mutuati ſint domos ſuas cœleſtes. 255
Genethliaci cur non poſſint experimento obſeruare vim ſyderum. 268
Genethliaci mali, bonique opiniones excitant, qua ratione. 292
Genethliacorum rationes, quibus permoti fuerunt ſingulis locis horoſcopi ſignificationes proprias tribuere. 230. 231
Genethliacorum cum humani generis hoſte magna eſt conſuetudo, eóque vtuntur ſæpe familiariter. 293
Genethliacorum fabuloſa omnia eſſe, quæ de Signorum poteſtate mentiuntur, argumento appoſito conuincuntur. 237
Genethliacis placet, à cœlo præparari omnem materiam ad formas ſuſcipiendas. 20
Genethliacis cur adhibenda non ſit fides, ſicut & Phyſicis. 61. 62. 63
à Genethliacis tradita de chronocratore, & temporum moderatore, alfridaria penitus euertunt. 224
Genitura maris & fœminæ rectè comparatur mixtioni ceræ & adipis. 78
à Genitura quot modis pendeant rerum initia. 217
in Genitura quæcumque ventura ſunt an perfectè contineantur. 270
Genituram Ioannis Pici Mirandulani deſcribit Cardanus. 285
cur Genituræ non ſunt commenta Aſtrologorum, ſi electiones ſunt. 219
Genituræ impreſſiones, quæ in loco remanent vſque ad tempus in quo perfici debet, ſunt partim in loco, partim in materia, ex Cardano. 232
Geniturarum naturam ſequitur natura reuolutionum, ſed debiliùs. 271
inter Genituras numerat Cardanus Venetiarum ædificationem, Bononiæ, Mediolani, Florentiæ inſtaurationem. 263
Genituras rectificare per accidentia, an liceat Aſtrologis. 309
in Genituris nocturnis quanto tempore Luna teneat dominatum, & Sol in diurnis. 224
in Genituris quodlibet ex qualibet inuenire Aſtrologos, exemplis docetur exquiſitis. 273
Geomantici lucri cauſa ſuam artem Aſtologiæ velamine muniunt. 184
Georgij Trapezuntij genitura illa promiſit quæ non eſt adeptus. 301. 302
Gentes vniuerſæ agnouerunt liberum arbitrium. 94
Germanorum cultus & vrbanitas quantò maior eſt nunc, quàm eorum, qui à Cæſare & Strabone ſcribuntur. 148
Germaniæ incolæ ſunt communiter feroces, peruicaçes, truces. 146
Geſtatio an, & quatenus ægris vtilis cenſeatur. 121
Getæ feri & barbari vbi olim degebant, nunc degunt Poloni, gens vrbanitate inclyta. 148
Getulorum lex, quæ vult à mulieribus agros coli, ædes ædificari, cæteráque huiuſmodi opera fieri. 335
Globis vitreis, ſpeculis, & phialis, reflexum aut refractum lumen Solis quomodo in fomite excitat ignem. 8
Gloriæ, & honoris appetentia ad res agendas maximum eſt calcar. 172
Græci, ex Iulio Firmico, dicuntur leues. 146
Græci quomodo diuiſerunt Signa cœleſtia. 247
Græci cur prohibuerunt nudare corpora in certaminibus, & ludis Olympicis, atque etiam mulieres iis ſe inſerere. 158

Digitized by Google

Grando ſubita quouis tempore nonnunquam ſæuit,& vnde id fiat. 7
Grandinem ſalire media æſtate,vnde fiat. 240
Grauidis plerique accidunt caſus, à quibus nec fœtus poteſt eſſe immunis. 82
Grauiſſima S.Auguſtini diſputatio aduerſùs Genethliacos. 323.& ſeq.
Grus cibus eſt valentiſſimus. 116
Gulæ indulgentes multipliciter peccant in ſanitatem. 141

H

HAbitudines ſtellarum ſingularum vnde exquirendæ ſint. 123
Haly relatum de quodam Aſtrologo. 185
Haly, interpres Ptolemæi non probat electiones. 219
Haruſpices quid reſponderint,cùm Cœlio Pontico ius dicenti picus ſupra caput inſedit. 279
Haruſpicum, Augurúmque prædictiones non potuerunt impetrare fidem à Chriſtianis. 279
Haruſpicina, & Extiſpicina vnde commendata. 278
Hebræi non imagines, ſed literarum elementa cœlo figunt. 243
Helenam fugientes proceres Troianorum laudat Ariſtoteles. 157
Henricus VIII. Anglorum Rex obiit, itą nihil natalitiis aſtris de morte ſignificantibus. 307
de Henrico II. Gallorum Rege præclarum Lucæ Gaurici vaticinium 302. 306. Cardani item. 306
Hepar & ſplen multa habent accidentia communia,differunt tamen inuicem & in quibus. 132
Herbulæ ab vniuocis cauſis non proueniunt. 21
Herculis Ferrariæ Ducis genitura à Cardano declarata. 288
Herculeus lapis vnde vim habeat trahendi ad ſe ferrum ſecundùm Aſtrologos. 41.42
Herpetes erodentes vnde naſcantur. 131
Hexagonum dextrum, & ſiniſtrum quid ſit. 259
Hiero,Syracuſanorum Tyrãnus,cur Epicharmum Poëtam comicum multa affecit. 159
Hipparchi ætate differẽs erat ſpica Virginis ab ea quæ tempore Timocharis. 253
Hippocrates cur dicat per ſolſtitia, & vernum atque autumnale æquinoctium, maximas fieri morborum mutationes. 7
Hippocrates agnouit liberum arbitrium. 93
Hippocrates geminos inter quoſdam fratres, magnam corporis, animique conſenſionem recenſet. 267
Hippocrates vnam Genethliacam,neglexit. 316
Hippocratis doctrina de aëre ſalubri vel inſalubri quibuſdam in locis. 11
Hippocratis doctrina de tertianæ & quartanæ criſibus. 57
Hippocratis ſententiæ de aëris ſitu circumſpiciendo in domicilij electione. 123
Hircinus ſanguis vnde vim habeat emolliendi adamantem ſecundùm Aſtrologos. 41.44
Hiſpani & Iulio Firmico,dicuntur elatę iactantiæ,animoſitate præpoſteri. 146
Hiſpani libertatis ſimplicitatis, munditiæ ſunt amatores. 146
Hiſtrionum impudiciſſimi motus quàm noxij ſint,ex Lactantio. 158
Hœdi ſi ouium lacte alantur, capillum habent tenuiorem. 115
Homo aliter auerſatur ſerpentem, aliter pediculum,aliter inimicum,aliter illum cum quo nihil habet rixarum. 44
Homo cur maximè animantium omnium poſt concubitum langueſcat,& diſſoluatur. 142
Homo principatum habet etiam in ſydera. 169
Homini per cœleſtia corpora, futurorum cognitionem quærendam eſſe negabat Socrates. 316
Hominem experimur eundem in quibuſdam actionib. melancholicum,in aliis cholericũ, in aliis timidum, in aliis audacem: vnde id accedat diſputatur. 40
Homines quando in fœlicitate infortuniis opprimantur. 207
Hominum ſectæ in quo horoſcopi loco inueniantur. 230
Homicidæ ſunt ſemper,quib.Mars præſidet. 34
Honoris, ingenij,diuitiarúmq; alfridaria à quo tempore incipiant. 210
Honoris,& gloriæ appetentia ad res agendas maximum calcar. 172
De honoribus,ac dignitatibus futurisnũ poſſunt ex aſtris dicere Aſtrologi. 298.299
Honeſtas Medicinæ quanta ſit. 62
Horam natalem inquirentes, ex nouilunio, & plenilunio, aut planeta,qui eo tempore plus virium obtinet ridiculi ſunt,& ratio. 103. veram ignorare Aſtrologos probatur. 104
Horarum,& dierum electio abſurdiſſima, ex Cardano. 219
Horatius meritò laudat ruralem vitam degentes. 163
Horatianum carmen appoſitum cõtra auarum. 291
Horologiorũ malignitas tranſuerſos agit Aſtrologos certas aſtrorum ſedes cognoſcere cupientes. 239
Horoſcopus quamuis natiuitatis tempore longiùs à planeta aliquo diſtet, peruenit tamen ad illum locum aliquando,in quo erat tempore natiuitatis planeta. 231. demonſtratur id exemplo. ibid.
Horoſcopus quo die,vel anno peruenerit ad locum quem natali hora Saturnus occupabat, an Saturni ſequetur effectum. 232
Horoſcopum vnum non poſſe pluribus accidẽtibus accommodari, vnde conficiat Sixtus ab Hemminga. 311

Horoſcopum reſtituendi rationem ad Planetas omnes pertinere putat Cyprianus Leouitius. 309.310
Ex Horoſcopo vnius an deducere queant Aſtrologi, quæ quiſque in omni vita facturus, vel non facturus ſit. 105
Horoſcopi plures non ſufficiunt etiam ad prædicendum. 107.108
Horoſcopi quidam recenſentur per accidentia à Mathematicis reſtituti. 310
Horoſcopus vnius vel alterius comparare, & ex vtriuſque ſympathia, & conſenſione ſtellarum fœlicem euentum, & obſequium denunciare, error Aſtrologorum. 110
Horrores cur primum ante febres corpus concutiant. 141
Humana quædam ſigna cur appellata ſint. 244
Humectandi vis ineſt aquæ per ſe, & ex naturæ principiis. 18
Humor collapſus ex aqua vnde putrefaciat omnia. 39
Humorem, & ſiccitatem, frigus, & calorem quare primas eſſe qualitates doceat Ariſtoteles. 39
Humores concitari ſolere nouilunio, plenilunio, quarta Luna, vnde fiat. 7
Humores, qui in corpore humano aluntur, quot ſint. 57
Humorum qualitas modum præſcribit ſpiritibus, & hi ſenſuum functionibus. 34
ad Hyadum exortum defluere vberiores imbres vnde fiat. 7
Hydrargyri vapore nerui emolliuntur. 45
Hydriarũ ratio an poſſit aliquid adferre adiumenti Chaldæis, in definiendis perfectè partibus ſignorum Zodiaci. 190
Hyeme media calores nonnunquam ingruunt non modici, & vnde id fiat. 6
Hyeme calores non modicos ingruere, vnde fiat. 240
Hyemes & æſtates vnde efficiantur. 3
Hyemes non ſunt æqualiter frigidæ, & quare. 6

I

IAcob hiſtoria de ouibus varij coloris. 76
Idus Martiæ fatales prædictæ S. Iulio Cæſari. 278
Ignis, aëriſque calor fouetur ac conſeruatur cœli motu. 14
Ignis vnde tranſmutet materiam. 16
Ignis calor vnde impediri poſſit ne calorem efficiat. 24. qui fit vt ope cœleſti perpetuò calorem promat. 25
Ignis ſacer ſi in vtero fiat mulieri prægnanti, lethale eſt. 83
Igne exuruntur ligna, lapides, carnes, non alia actione niſi caloris & ſiccitatis. 39
Ignoratio malorum futurorum vtilior eſt, quàm ſcientia. 347
Imagines cœleſtes Arabum quàm diſſimiles omnes ab Ægyptiorum, Chaldæorúmque imaginibus. 243
Imaginum cœleſtium arbitrariam rationem agnoſcunt Aſtrologiæ Magiſtri. 243
de Imaginibus cœleſtibus Aſtrologorum ſententiæ omnes vt ſunt mendaces, inconſtantes, ita & diſſentientes. 246
Imaginatio eorum, qui generationi dant operam, alia eſt cauſa fœtus in varias formas affigens. 75
qui Imber, qui ventus, quæ tempeſtas vbique ſit, intereſt plurimùm in cœli motibus mutationibúſque. 209
Imbres ruunt nonnunquam quouis etiam tempore, & vnde id fiat. 7
Imbres decidere media æſtate, vnde fiat. 240. vel quouis tempore. ibid.
Imperare, & parere non ſolùm neceſſariorum ſunt, ſed etiam vtilium. 100
Imperatorum, aut Regum negotia publica vnde pendeant, ſecundùm Cardanum. 296
Imperium vnde præſagire potuit Tiberio Thraſyllus. 283
Imperfectorum forma vnde inducatur. 22
Impreſſiones corporum cœleſtium, quatenus ad intellectum, & voluntatem pertinere poſſint. 60
Impreſſiones à genitura, quæ in loco remanent vſque ad tempus, in quo perfici debet, ſunt partim in loco, partim in materia, ex Cardano. 232
Impudicorũ cœtus fortes etiã viros emollit. 156
Impulſuum vis nunquam ea eſt, vt ei noſtra mens, ſit modò ſui compos, nequeat obſiſtere. 99
Incolarum, qui ſubiecti ſunt Auſtralibus parallellis, deſcriptio, ex Ptolemæo. 146
Incolarum, qui loca tenent interiecta inter Tropicum Articum & Septemtrionem, tam Orientalium, quàm Occidentalium deſcriptio, ex Ptolemæo. 147
Inconſtantia Aſtrologorum quanta. 289
Incrementa ſpei, ac poſſeſſionis ex quo loco horoſcopi naſcuntur. 229
Indorum mores diuerſi ab illis qui apud illos Brachmanes appellantur. 334
Infans ex octimeſtri partu raró vitalis eſt. 113
Infantes quinam emittant dẽtes maturiùs. 113
Infantes quouis ſub ſydere veniant in lucem, parentibus, nutricibus, magiſtris, domeſticis ſimiles moribus comperiuntur. 152
Infantibus natis quæ contingunt in duplici genere ſunt. 211.212
Infœcunda quædam Signa cur appellata ſint, eorúmque deſcriptio ex Manilio. 233.244
Ingenium Aſtrologorum vafrum facit, vt eorum prædictiones veræ aliquando inueniantur. 288.289
Ingenij, honoris, diuitiarumq; alfridaria à quo tempore ſint. 220
Inimicorum qualitas ex quo loco horoſcopi monſtretur. 230
Initia rerũ quot modis pendeant à genitura. 217

Digitized by Google

Inopes, & Reges, domini, ac ſerui, pariter gignuntur. 164
Initio, & ſatio indicat prodeſſe electionem. 117.119
Inſtaurationem Bononiæ, Mediolani, Florentiæ inter genituras numerat Cardanus. 163
Inſtrumentorum vitium magnos in Aſtrologia errores parit, ex Ptolæmeo. 190
Intellectio vnde fiat, ex Ariſtotele. 65
Intelligentia cuiuſnam gratia orbi ſuo coniungatur, veluti forma materiæ. 27
Intelligentia nullam qualitatem impartitur cœlo, ſed ordinatum motum. 30
Interuallum à Philoſophis inuectum in naturam à corporibus ſeiunctum. 254
Inuidi ſunt ſemper, qui Saturno ſubditi ſunt 34
Ioannes Picus Mirandulanus quam habuit genituram. 305
Ioannes Stafleriuus cœleſtium imaginum fabulas exequitur. 244
Ioannis Baptiſtæ Cardani Hieronymi filij hiſtoria, & illius infœlix exitus. 348.349
Ionam in mari non ius natiuitatis, ſed diſſimulatæ diuinæ præceptionis præcipitauit offenſa. 310
Iouis ſtella eſt temperatæ naturæ. 197
Iouem, Venerem, & Lunam, ſtellas eſſe beneficas ex Ptolemæo, & quare. 36
Iracundi ſunt ſemper, quibus Mars præſidet. 34
Irarum ardores concentu reſidere, ſcribit Plutarchus. 167
Iſabella Valleſia, Philippi Regis Catholici coniux quo genere mortis obiit, nil tale ſuſpicantibus Mathematicis. 307
Iſchiadicorum dolores modulatione minuuntur. 167
Itali ſiunt Regali ſemper nobilitate præfulgidi. 146
Italiæ incolæ, præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent. 146
Itineris longiſſimi tempore toto, an fauſta cœli conſtitutio perduret. 218
Iudicium de fœtu quocumque vnde petendum. 67
Iulius Firmicus vnde deducat monſtrorum rationes. 84
Iulius Firmicus agnouit liberum arbitrium. 94
Iulius Firmicus notatur. 186. eius ſententia de Republica, aut de vita Romani Imperatoris. 187
Iulius Firmicus nouas obſeruationes Græcis & Latinis inauditas profitetur. 192
Iulius Firmicus tradit, Signa agere per ſe, & ſine ope ſtellarum, in hæc inferiora. 235
Iulij Firmici errores notantur à Cardano. 181
Iulij II. & Leonis X. Pontificatus prædictus à Cardano 294.295. vnde id habuerit. 300
In Iulij II. genitura qui fuerint indices Pontificatus. 300
Iupiter quando dicatur obſeſſus à Marte, & Saturno. 261
Iuriſconſultus iniuriarum vult teneri illum, qui cum muliere turpes ſermones miſcuerit. 159
Iuriſconſulti ſententia de ſeruo in aliena familia deteriore facto. 156
Iuriſconſulti quomodo agnouerunt liberum arbitrium. 93
Iuriſconſulti filios tradunt eſſe eiuſdem affectus cum patre. 150
Iuriſconſulti quid de Genethliaca pronuncient. 318
Iuriſconſultorum loca, ex quibus conſtat, filios eſſe ſimiles parentibus. 72
Ius animorum in corpora quale ſit. 100
Iuſtitia virtutibus cæteris imperat vnà cum lege. 96
Iuuenes inuerecundos eſſe neceſſe eſt, vbi ſenectus impudens eſt. 150

K

Kepplerus, inter Aſtrologiæ Principes iure nominatus, quid de Aſtrologiæ vanitate pronunciauerit. 319

L

Labor, & exercitatio magnam habet vim ad ſanitatem, vel tuendam, vel labefactandam. 119
Labor, & quies quantùm valeant ad morum rationem. 164.165
Lac in nutrice quando impurum fiat. 113
Lac maternum ſalutarius eſt quàm nutricis. 114
Lacedæmonij non imagines modò, ſed & libros Archilochi parum pudicos à ſua Repub. iuſſerunt exulare. 159
Lactantius quare omnia ſpectacula damnabat. 158
Lactantius dæmonum inuentum eſſe Aſtrologiam ſcripſit. 317
Lactucarum in eodem hortulo ortarum diſſimilitudo vnde. 23.24
Lacus, fontes, mare Caſpium, & aquas omnes, cur Luna non exagitet. 12
Lapis vt ſit, vel ad ſemihorulā, an egeat cœlo. 18
Lapides ab vniuocis cauſis non proueniunt. 21
Lapides igne exuruntur non alia actione, niſi caloris & ſiccitatis. 39
Latio quænam ſit cauſa generationis, & corruptionis. 17
Latione vna exiſtente non contingit fieri ambo, & quare. 16
Latitudo glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Latro cum Domino crucifixus non beneficio natiuitatis ſuæ ad paradiſi æterna tranſiuit. 310
Lenticula, vel fabula valentior eſt, quàm piſum. 117
Leo à Leone in quo diſſideat. 43
Leonis in primo gradu, Ægyptij faciunt virum dextera caput Leonis tenentem, Arabes arborem, cuius ramis inſidet canis. 146

In Leonis

Digitized by Google

in Leonis X.genitura qui fuerint indices Pontificatus. 300
Leouitius putat rationem horoſcopum reſtituendi ad omnes Planetas pertinere. 309. 310
in Lepidorum genere tres intermiſſo ordine obducto membrana oculo geniti feruntur. 76.77
Leuitas quanta ſit, dicere Venerem præeſſe ab anno decimoquarto ad vigeſimũprimũ. 224
Leuitas conſulentium,& nimia credulitas quãtùm iuuet Aſtrologorum prædictiones. 292
Lex quare coniũgatur optimè cum iuſtitia. 96
Lex vnde vim cogendi habeat. 169
Leges ſintne ſcriptæ, an non ſcriptæ intereſſe nihil videtur,neque vnúſne, an multi per eas inſtituantur. 152
Leges recenſentur latæ in præſtigiatores, ac Mathematicos. 339.340
Legibus conſtitutam eſſe educationem opus eſt maximè. 168
Liberum arbitrium agnouerunt omnes Theologi, Patres Græci, Patres Latini, Philoſophi, Phyſici,Metaphyſici,Medici, Principes,Rhetores,ipſi Mathematici, ac denique gentes vniuerſæ. 92.93.94
Libertas ipſa corporis propenſiones ludificat, Aſtrologorúmque prędictiones ridet effusè. 173.eius amatores ſunt Celtæ. 146
Libri vehementer libidinem accendunt ex Ouidio laſciuiæ magiſtro. 159
circa Libros Aſtrologiæ iudiciariæ quid præcipiat Epiſcopis Concilium Tridentinum.342
Ligna putrida lucem natura ſua ſortita ſunt. 3
Ligna cæſa Luna creſcente cur faciliùs quàm quæ decreſcente cæduntur putreſcant. 11
Ligna igne exuruntur non alia actione, niſi caloris & ſiccitatis. 39
Literarum elementa cœlo figunt Hebræi, non autem imagines. 243
Liuij Bituarij magni nominis mathematici miſer exitus. 347
Locus ab horoſcopo quartus cur imum cœlum appelletur. 229
Locus aſtri, ſeu Planetæ quid ſit, ex Ariſtotele. 232
Loci in cœlo qui ſint fortioris auctoritatis. 254
Locum æqualem non occupat corpus vllum dum mouetur. 232
Loca inconiuncta,& aliena quæ nominentur. 261
Locorum duodecim vires, atque ſignificationes. 229
Longitudo glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
LucęGaurici iudicium de genitura Petri Aloyſij. 285
Luciferum honori, & nomini Cæſaris Romani dicare conati ſunt. 244.324
ob Lucri cupiditatem ſunt Aſtrologi qui res inanes confinxerunt. 185
Luctis & fricationibus, & huiuſmodi exercitiis vti num conducat. 119
Ludificatio Aſtrologorum aduerſus Patrum doctrinam eluditur. 337.338
Ludouicus Sfortia, Mediolanenſium dux, eam non obtinuit fœlicitatem, quam promittebat eius genitura. 304
Ludouici Sfortiæ Mediolanenſium ducis exẽplo inanitas electionum declaratur. 218
Ludouici Sfortiæ mors apud Gallos miſera, qui nihil aggrediebatur, niſi ex Aſtrologorum præſcripto. 344
Lumen cœleſte calefacit, areſacit, humectat, & frigefacit. 5
Lumen Solis quomodo ſpeculis, & phialis,& globis vitreis reflexum aut refractum in fomite excitat ignem. 8
Lumen terram calefacit, ſicut color ipſe. 42
Luminis cœleſtis & ignei natura quæ ſit. 5
Luna in ſuis etiam defectionibus lucet, ac rubet. 2
Luna ſit quaſi alter Sol minor. 6
Luna per menſem hyemem atque æſtatem facit,Sol autem per totum annum. 11
Luna accipit initium temporis in nocturnis genituris, & quanto tempore teneat dominatum. 214
Luminarium coniunctionis, quæ in genitura præceſſit,quando ad locum peruenerint Planetæ, quid operentur. 231
in Lunæ curſu eſt brumæ quædam, & ſolſtitij ſimilitudo. 4
Lunæ lumen habet vim per ſe efficiendi caloris. 6
Lunæ, Soliſque vis quanta in generationibus. 51
Lunam,Venerem, & Iouem, ſtellas beneficas eſſe ex Ptolemæo,& quare. 36
Lunam quid ſignificare dicat Ptolemæus. 193
Lunam primis quatuor, aut ſeptem annis ab ortu præeſſe quomodo intelligatur. 223. 224
Lunâ in Tauro commorante, cur medicinam ſumendam non eſſe aſſerant Aſtrologi. 144. refelluntur. ibid.
Lupus,& ouis in quo diſſideant. 44
Lux aliqua propria inſita eſt vniuerſis ſtellis. 2
Lyra oriente natum, euaſurum muſicum, cur dicant Aſtrologi. 245
Lycurgus quo pacto oſtenderit conſuetudinem,diſciplinam,doctrinam,& vitæ inſtitutionem ingentis eſſe momenti. 154
Lymphatici organicis modulis liberati. 167

M

MAcrino qui orbis terrarum Imperium prędixerunt, vnde id habuerint. 300

Digitized by Google

Magos Perſis quid commendarit. 278
Magnetis vires retunduntur allio. 41
Maguſſei qui ſint, & vbi habitent. 335
Magnes quamobrem trahit ferrum, non aurũ, non argentum, non item res cæteras. 8
Mahumetanam religionem vnde ortam eſſe ſcribat Albumazar. 295
Mali, aut boni imminentis opinione duo exiſtunt animi motus, eorúmque effectus. 292
Malorum futurorum vtilior eſt ignoratio, quã ſcientia: quod Phauorini exemplo apud Gellium comprobatur. 347. 348
Manardus Ferratienſis Medicus à Fouea vxore immodico coitu extinctus fuit, per æquiuocationem Aſtrologi cuiuſdam, qui monuerat eum in fouea periturum. 290
Manilius tradit, ſigna agere per ſe, & ſine ope ſtellarum, in hæc inferiora. 235
Manticam duplicem è collo ſuſpenſam gemus, Platoniſque de eo dicto Æſopi cauſa. 157
Mantuani ſententia contra illos qui petulantiùs ſcribunt. 160
Marco Craſſo nũ vtilius fuerit ignorare, quam ſcire ſuum ignominioſum exitum. 347
Marcello II. Pontificatum qui prædixerunt, vnde id habuerint. 300
Mare nullum patitur incrementum vel decrementum extra Herculeas columnas: & contrà. 12
Maris & fœminæ genitura rectè comparatur mixtioni ceræ & adipis. 78
Maris æſtus fidem facit arcanis Lunæ viribus. 6
Maris fluxus & refluxus, acceſſus & receſſus vnde. 7
Maria turbari ſolere nouilunio, plenilunio, quarta Luna vnde fiat. 7
Marito licuit repudiare vxorem quæ foris pernoctaſſet, aut ludis Circenſibus, vel Theatralibus adfuiſſet. 158
Mors non raró Dei optimi maximi irâ ſolet immitti. 102
Martij Aſtrologiæ peritiſſimi qualis exitus fuerit. 347
Martis, & Saturni ſtellas maleficas eſſe ex Ptolemæo, & quare. 36
Martia ſtella & areſacit, & vrit. 196
Martis vel Saturni ad locum quando aliquis Planeta peruenerit, quid ſignificet. 231
Martis motus hactenus non exploratus, ex Tychone. 239
Marti ſubditi cuius ſint temperamenti, ex Bellantio. 34
Martialis non ſine magna cauſa miratur ebrioſi filiam bibere aquam. 150
Marſilij Ficini ſententia de aliorum cõſuetudine, & conuerſatione. 158
Martini Lutheri hæreſiarchæ variæ circumferuntur genituræ, ex quibus eadem deducuntur. 274
Maſculorum in coniugiis quid inſpiciendum, ex Ptolemæo. 109
Mater Sixti ab Hemminga Friſij contrariam ſuæ omnino genituræ fortunam obtinuit. 305
Matrem efficacem magis eſſe interdum contingit ad procreationem fœtus, interdum patrem, & vnde. 74
Matres propter fœtum non minora ſubeunt vitæ diſcrimina, quàm & ipſe fœtus. 83
Matres cur filios educare debeant, eiſque vbera ſua porrigere. 114
Materia ad formas ſuſcipiendas vnde præparetur. 20. 21
Materia imbecillima in cibo quæ vocetur. 116
Materiam poteſt & ſolet formæ adaptare quidquid formas poteſt & ſolet progignere. 31
Matthæus Thaphurius non obtinuit honores, quos eius genitura promittebat. 302. 305
Mauricius, Saxonum Dux, quanta cœli benignitate interierit. 308
Mathematici duo reſpondere poſſunt in ſua cauſa de aſtris fœtui præſidentibus. 66
Mathematici vnde deducant monſtrorum rationes. 83. 84
Mathematici agnouerunt liberum arbitrium. 93. 94
Mathematici vniuerſi negauerunt diuinam prouidentiam, & omnia fatali neceſſitate euenire docuerunt. 143
Mathematici vt numerant duodecim zodiaci partes, ita duodecim in eo formant ſtellarum ſchemata. 233
Mathematici non poſſunt ex ſignis vllam probabilem coniecturam de futuris euentis docere, quamuis magna eſſet ſignorum poteſtas. 238
Mathematicorum tria effugia proponuntur, atque etiam præcluduntur. 143. 144
Ex Mathematicorum doctrina vires nouæ & aſcititiæ aſſumuntur Planetis, ex ſigno in quo verſantur. 234
Mathematicorum quanta temeritas in decernendo de cuiuſque vita, aut morte. 305. 306
A Mathematicis quotuplex Signis attribuatur genus actionis. 234. 235
Mathematicos ignorare aſtrorum ſitus & conſtitutiones, illuſtri exemplo, & irrefragabili teſtimonio confirmatur. 205
Mathematicos eos non appellarunt veteres, qui nunc appellantur. 329. cur dicatur, eos multa vera prædixiſſe. 330
Medicamenta non ſolùm immutare poſſunt tum totius corporis, tum ſingulorum membrorum temperamentum, ſed etiam diſſoluere. 132
Medicũ generoſum quid deceat ad criſim. 48
Medici vnde deducãt ſexus diuerſitatem. 78. 79
Medici agnouerunt liberum arbitrium. 93
Medici quomodo dicantur aliquando mortuos ad vitam reuocaſſe. 130

Digitized by Google

Medicorum natio vniuerſa cur dicat per ſolſtitia,& vernum, atque autumnale æquinoctium, maximas fieri morborum mutationes. 7
Medicorum, & Philoſophorum ſententia de mixtorum temperamento. 35.36
à Medicis potiùs quàm ab aſtris repetenda eſt humani corporis conſtitutio. 133
Medicinæ Auctores inter Deos coluit Antiquitas. 62
Medicinam non eſſe ſumendam Lunâ in Tauro commorante, cur aſſerant Aſtronomi. 244. refelluntur. ibid.
Mediolani, Bononiæ, Florentiæ inſtaurationem, Venetiarum ædificationem, inter genituras munerat Cardanus. 263
Mediolano quæ denunciet Cardanus. 263
Mel, & caſeus, cibus valentiſſimus. 116
Melancholicum hominem, colericum, timidum, audacem, eundem in quibuſdam actionibus, vnde fit vt experiamur. 40
Membrum vnum aliquod ita diligimus vt illi æquari nihil poſſe putemus. 171. exemplo confirmatur. 172
Mendaciorum duæ opulentiſſimæ officinæ euertuntur ex Aly Auerrodam de Signis doctrina. 242
Menſis ciuilis, & lunaris quis appelletur. 49
Menſes, & anni non ſunt æqualiter ſalutares, vel inſalubres, & quare. 6
Menſium, dierum annorum generales quoſdam euentus, & pluribus communes inſtituit Cardanus. 269.270
Menſtruum quot diebus conſtet, & contineatur. 53
Mens qua ratione iuuari poteſt à corpore ad intelligendum. 27
Mens humana omnium rerum præſtantiſſima aſſeritur. 97
Mentis noſtræ inuicta poteſtas probatur aduerſus corporis impulſum, in quod cœlum agit, quod agit. 100
Mercurij ſtella cur non minùs aliquando arefaciat, quàm humores abſorbeat. 196
Mercurij, & Solis ſtellarum temperamentum quale ſit ex Ptolemæo. 36
Metalla vnde procreentur. 12
Metalla ab vniuocis cauſis non proueniunt. 21
Metaphyſici agnouerunt liberum arbitrium. 93
Michaël Angelus Bonarota contrariam ſuæ omnino genituræ fortunam obtinuit. 305
Miluus, non elephas, vnde vim habeat terrendi pullum gallinaceum ſecundùm Aſtrologos. 41
Mimi quàm ſint noxij, ex Lactantio. 158. ex D. Cypriano. ibid.
Mirandulani opinio de fluxu, & refluxu maris. 13
Mixta omnia intereunt, diſſipata primarum qualitatum temperie. 39
de Mixtorum temperamento, Medicorum, & Philoſophorum ſententia. 35.36
Mobilia ſigna, cur id nomen aſſecuta ſunt 240
in Mœnibus vrbium conſtituendis quæ ſint conſideranda. 123.124
Monomeriatũ lepidiſſima fabula narratur. 245
Monſtrum Auenione viſum à Franciſco Valeriola. 85
Monſtra cur rarò fiant in iis, quæ ſingulos pariunt, ſed crebriùs in iis quorum partus eſt numeroſus. 86
Monſtrorum informitas fit, corrupto principio aliquo. 65
Monſtrorum tria genera, & quæ illa ſint. 85. cauſæ. ibid.
Monſtruoſum quid dicatur. 87
Monza Mediolanenſis muſicus non eos obtinuit honores, quos eius genitura promittebat. 302
Morbus acutus lethalis eſt mulieri vterum gerenti. 83
Morbo articulari, & podagra laborantes, bonorum proſcriptione ad ſimplicem tenuémque vitam redacti, conualuerunt. 141
Morbi partim neceſſarias habent affectiones, partim ex eo, quòd contrariam habent affectionem, dependent. 84
Morbi non rarò Dei optimi maximi irâ ſolent immitti. 102
Morbi qui prouenerunt ex vſu malorum ciborum tempore peſtis, in nationibus Romano imperio ſubiectis. 117
Morbi plurimi per incentiones tibiarum ſanati. 167
in Morborum criſibus facit ad rem, quo quiſque ſub cœli ſtatu, & ſub quibus ſtellis ortus, aut procreatus ſit. 54
Morborum popularium, & peſtilentiæ cauſa vnde deducta. 58
Morbos augeri ſolere vel etiam excitari nouilunio, plenilunio, quarta Luna, vnde fiat. 7
Mores, qui à corporis temperamento diſcrepant, non poſſunt neque in extrinſecas cauſas, neque in diuerſorum organorum diuerſam temperiem referri. 35
Mores animi ſequuntur temperationem corporis, ex Ariſtotelis ſententia. 61
Mores diſpares cur ſæpe nanciſcantur gemini, qui eadem ſortiti ſunt aſtra genitalia. 265
Mori clariſſimi martyris verſiculi aurei quatuor in vatem famâ inclytum. 319
Martis qualitas ex quo horoſcopi loco inueniatur. 230
Mortis domus à Poëta deſcripta. 255
de Morte, & vita quidquam certò, & indubitatò ſtatui poſſe negat Ptolemæus. 284
de Morte, aut vita cuiuſque, quàm temere decernant ex arte ſua Mathematici. 305. 306
Morum crebra mutatio ſub eodem cœlo. 148

Digitized by Google

ad Morum rationem quantùm valeant ruſticana vita, labor,& quies,vrbani ſtrepitus, & negotia,& faſtus. 164.165
Morum ratio ducitur non infrequenter ex cibis. 166.167
Motionem, & modum præſcribi cauſis ſublunaribus, non eſt quòd reſpondeant Aſtrologi. 112
Motionum quot differentiæ, tot etiam exercitationum genera notantur. 120. quæ ſint noxiæ. 121
Motus principium vnde omnibus ineſt, illam cauſam putandum primam. 4
Motus æqualitas, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Motus cœli effectus ſecundùm Aſtrologos. 13.
' ſecundùm nonnullos Peripateticos. 14
Motus inſunt in generatione alij actu, alij potentia. 71.73
ad Motus animorum voluntarios non eſt externa cauſa requirenda. 175
in Motibus, mutationibuſque cœli intereſt plurimùm, qui ventus,qui imber, quæ tempeſtas vbique ſit. 109
Mulier vterum gerens, ſecta vena, abortit, & magis ſi maior fuerit fœtus. 82
Mulieris grauidæ abortus cauſæ quænam ſint. 82
Mulieri prægnanti ſi ignis facer in vtero fiat, lethale eſt. 83
Mulierum in coniugiis quid inſpiciendum, ex Ptolemæo. 109
Mulierum incauta conſuetudo non eſt propria Venerei obiecti vis,ſed communis. 160
Mulierum inter Bactros deſcriptio. 335
Munditiæ, libertatis, & ſimplicitatis amatores ſunt Celtæ. 146
Mundum hunc inferiorem oportet contiguum eſſe ſupernis lationibus, vt inde omnis eius virtus regatur, & ratio redditur. 6
Mundum rationis eſſe compotem qui dicunt, damnantur à S. Auguſtino, & irrationales appellantur. 28
Muria cuti impoſita cur eam erodat, atque exulceret,comeſta verò non. 130
Mus & muſtella in quo diſſideant. 43
Muſculorum iecuruia brumâ augentur. 7
Muta quædam ſigna cur appellata ſint. 244
Mutationes rerum ſublunarium vnde peragantur omnes. 11
Mutationes vehementiores eueniunt,vbi Luna cum Sole coit. 52
Mutationes ſubitæ in æſtate cur contingant veræ, phyſicæque rationes. 241

N

NApi ex oleribus valentior cibus, quàm paſtinaca. 117
Nati eadem hora eodem momento, quomodo diuerſam habeant fortunam. 107
Nati eodem poſitu, ſæpe vita,moribus, ſtudiis, corpore,animo diſſimillimi ſunt,ex S.Auguſtino. 240
Natiuitatis tempore quamuis horoſcopus longiùs à Planeta aliquo diſtet,peruenit tamen ad illum locum aliquando, in quo erat tempore natiuitatis Planeta: & id exemplo demonſtratur. 231
Natiuitatis vim eludit S. Ambroſius, quæ Mathematicis eſt perquam familiaris. 311.312. 313
Natiuitatem ſine reuolutionibus cùm conſiderauerit optimus Aſtrologus, falletur tamen dupliciter. 272
Natura cur duplices mulieribus mammas dedit. 114
Natura reuolutionum ſequitur naturam genituarum,ſed debilius. 271
Naturæ mundi ſimplices æquales quodammodo eſſe debuerunt, & ratio ex Fernelio. 38
Naturæ vitium multi ſuſtulerunt meditatione, atque exercitatione. 129
Naturæ vitium Demoſthenes & alij multi,meditatione, atque exercitatione ſuſtulerunt. 155
an Nauis peritura ſit,in qua nauigent quingenti diuerſis regionibus orti, & ſub diuerſis aſtris. 269
Nautæ, & agricolæ quid ſtatum aëris vocent. 50
Nauſeæ & vomitus quibus præcipuè prægnantibus accidant mulieribus. 83
Nebridius adoleſcens mirabilis animæ,& Vendicianus acutus ſenex. 326
Necem Galeatij qui prædixit ex caſu trabis,vnde didicerit. 282
Neceſſitas Medicinæ quanta ſit. 62
Negotium vnumquodque vt aſtris præſidibus ſuſcipiatur, qui plurimùm intereſſe dicant. 217
Negotio vnicuique peragendo accommodata tempora eligenda ſunt. 217
Negotia quantùm valeant ad morum rationem. 164.165
Neroni qui orbis terrarum Imperium prædixerunt,vnde id habuerint. 300
Nerua Domitiano ab Aſtrologis relatus Imperator,eorum prædictiones expertus eſt. 276
Neruæ qui orbis terrarum Imperium prædixerunt,vnde id habuerint. 300
Niceij nobilis pictoris Byzantij indubitatum exemplum. 76.77
P.Nigidij prædictio de Auguſto. 275
Nomina quænam ſint à Mathematicis vſurpata,quæ & illis maximè glorioſa. 234
Nonus locus eſt de religionibus, & peregrinationibus. 230
Noueniæ Græcorum quid ſint. 147
per Nouilunia maximas in morbis à Luna concitari mutationes,tradit Galenus. 54.55

Digitized by Google

Nox vnde efficiatur. 3
Noctes, dieſque frigidiores, cùm Saturnus decurrit noſtrum hemiſphærium, dicere poſſunt Aſtrologi, ſed non experimentis comprobare, & ratio. 199
Noctiluci lucem natura ſua ſortiti ſunt. 3
Nucis vmbra proximis ſtirpibus, & arboribus grauis eſt. 45.46
Nuces valentiores ſunt ex fructibus ſurculorum, quàm quæ poma propriè nominatur. 117
Numeri an in mutationibus neceſſariò coniungantur. 53
Numeros, & nomina quis fecerit ſtellis. 143
Nuptiarum qualitas, & quantitas ex quo horoſcopi loco quæratur. 230
Nutrices quas ſuſcipiendas eſſe cenſeat Plutarchus. 151
à Nutricibus ſeneſcentibus qui lactantur, citiùs ſeneſcunt. 114
Nubes extemplò nigreſcunt, nonnunquam quouis tempore, & vnde id fiat. 7.240

O

OBiecti præſentia fortior eſt quouis temperamento è ſtellis delapſo. 161
Obitus inopinati non raró Dei optimi maximi irâ ſolent immitti. 102
Obſcœni ſunt ſemper, quibus Saturnus præſider. 34
Obſeruationis Chaldæorum ratio non poteſt manere ſub diuerſis cæli regionibus. 208
Obſeſſus aſtrorum, & aſpectus quàm pugnent inter ſe. 261.162
Obſtetricis, & parentum ſedulitate mutatur temperamentum, quod puer è ſtellis hauſit. 112. cum ſeqq.
Obſtetricis officium quodnam ſit, ex Ariſtotele. 113
Occidentalis aſpectus, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Oceanus Septentrionalis eſt totus immunis, & liber ab æſtu. 12
Oceanus Gallicus ad fauces Garumnæ fluminis, ſeptem horis fluit, & quinque refluit, non ſeruato Lunæ ortu, neque occaſu. ibid.
Octauianus Auguſtus quàm multis caſibus obnoxius fuerit. 137.138
Octauus ab horoſcopo locus eſt piger, & quare. 230
Oculi felium lucem natura ſua ſortiti ſunt. 3
Oculorum caligines, & dolores capitis, quibus mulieribus prægrantibus maturiùs, & quibus ſeriùs accidant. 83
Odor à lucernarum extinctu plerumque fit cauſa abortus. 82
Onager, cibus eſt valentiſſimus. 116
Operatio qualis ſit Planetarum, cùm ad locum coniunctionis luminarium peruenerint, quæ in genitura præceſſit. 231
Opinionis, & præſenſionis vis quanta. 46
Oraculum vetus de noxio flagitioſorum conſortio. 156
Opinione boni, aut mali imminentis duo exiſtunt animi motus, eorumque effectus. 292
Oratio diſertiſſima Bardaſenis in Aſtrologos. 333. & ſeqq.
Orbis diluuij, & præſens quotus ſit, & quis iis dominetur. 226
Orbis decimi natura quæ ſit, ex recentioribus Aſtrologis. 236. quantum diſſideant Signa eius à Signis octauæ ſphæræ. 237
Orbes minores quamquam à maioribus contineantur, non migrant tamen ex vno in alium locum. 232
Orbes duos ſupra octauum qui excogitauerint Aſtrologiæ miniſtri. 235
Orbium cæleſtium natura qualis habeatur in Philoſophorum ſcholis. 236
Orientalis, & Occidentalis aſpectus, nomina glorioſa à Mathematicis vſurpata. 234
Origenis Adamantij diſputatio in Aſtrologos. 330. & ſeqq.
Orion quo tempore oriatur, quo tempore occidat. 9. an originem ducat ab igne, aut ignis ſit calor in animalibus contentus. 4
Orion cur, & occumbens, & oriens moleſtus eſſe ſoleat, ex Ariſtotele. 315
quòd Orionis ad ortum vſque ad Eteſias, ac Prodromos tranquillitas generatim contingat, duæ traduntur cauſæ ab Ariſtotele. 9
Orionis exortu cur dies maximè variantur, flatuſque importunè commouentur. 9
Orionis ortu quòd dies maximè varient, ratio Ariſtotelis. 241
Ornithiæ flant poſt hyemales verſiones, & quare. 10.241
Ortus, & occaſus Orionis cur moleſtus eſſe ſoleat. 9
Ortus inter hunc, illúmue diuerſitas vnde fiat. 240
Ortus impares, interitus pares in eadem perſona vnde eueniant. 269
Ottoni qui orbis terrarum imperium prædixerunt, vnde id habuerint. 310
Oua, & color quare ſemper euariare dicantur auibus, ex Democriti ſententia. 86
Ouis, & lupus in quo diſſideant. 44
Ouibus, & capris cur monſtra magis accidant. 86
Ouidius laudat veterum moderata conuiuia. 164

P

PAlmulæ valentiores ſunt ex fructibus ſurculorum, quàm quæ poma propriè nominantur. 147
Panætius Stoicus Aſtrologorum prædicta reiecit. 316
Par, an impar numerus in morborum criſibus ſit conſiderandus. 53

Parentes ex quarto horoſcopi loco oſtendantur. 229
Parentum interitus non rarò Dei optimi maximi irâ ſolent immitti. 102
Parentum, & obſtetricis ſedulitate mutatur temperamentum, quod puer è ſtellis hauſit. 112.113.& ſeq.
Parentum negligentia in educandis liberis, è cœlóne habet ortum, an aliunde. 153
Parere, & imperare non ſolùm neceſſariorum ſunt, ſed etiam vtilium. 100
Paris Cereſarius, magni nominis Aſtrologus, ſed frauduloſus. 188
Paris Cereſarius Mantuanus Aſtrologus celeberrimus, interrogatus, an Cardinali Farneſio vlla ex aſtris ſummi Pontificatus ſpes affulgeret, quid reſponderit. 276
Parmenes Chaldæus ob ſuam temeritatem punitus. 340
Partem dexteram fortiorem, calidioremq́ue habet tam vir, quàm fœmina, & quare. 79
Partes maſculinæ, & fœmininæ Signorum reſeruantur. 248
Partibus plenis, ac vacuis Zodiaci quænam tribuantur à Genethliacis. 247.248
Partium Zodiaci, Planetarumq́ue directiones, aliud commentum Aſtrologicum. 231
Partus monſtruoſi filiorum non rarò Dei optimi maximi irâ ſolent immitti. 102
Partus poteſt comprehendi, ſed non facilè ſignificari cum diſcò, vt volebant Chaldæi. 188.189
Patres ſunt, quibus amor nimius exſtitit cauſa ne ament. 122
Patres Græci agnouerunt liberum arbitrium. 92
& Latini. ibid.
Patres quo nomine in Aſtrologos inuehuntur. 339
Patrimonium ex quarto horoſcopi loco oſtenditur. 229
Patria in quo horoſcopi loco inueniatur. 230
Pauli Veneti opinio de fluxu, & refluxu maris. 13
in Pauli II. genitura qui fuerint indices Pontificatus. 300
in Pauli III. genitura qui fuerint indices Pontificatus. 301
in Pauli IV. genitura qui fuerint Pontificatus indices. 301
Paulo III. Pontificatum qui prædixerunt, vnde id habuerint. 300
Paulum quid ad gratiam conuertit, & percuſſum à vipera, turbatumq́ue naufragio ſeruauerit. 320
Pauo, cibus eſt valentiſſimus. 116
Peregrinitas, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Perfectorum forma vnde inducatur, & imperfectorum. 20.21
Peripatetici quot cauſas faciunt monſtrorum. 85
Peripateticorum doctrina de præſenſione. 46
Permixtiones primarum qualitatum variari poſſunt innumerabilibus modis. 44
Perſis Magos quid commendarit. 278
Perſuaſio humana ſtellis numeros, & nomina fecit. 243
Perturbationes animi lyrâ compoſitæ. 167
Peſtilentiæ vnde ortus ſuos habeant. 11.12
Peſtilentiæ, & morborum popularium cauſa vnde deducta. 58
Peſtilentiæ non rarò Dei optimi maximi irâ ſolent immitti. 102
Petreius Tyara Medicus non obtinuit honores, quos eius genitura promittebat. 302
Petrus Aliacenſis Cameracenſis Cardinalis. 226
Petrus Aretinus ſcurra famoſiſſimus, eiuſq́ue relatum. 185
Petrus Caſtellæ Rex, Iudæi Aſtrologi falſa præſagia expertus eſt, miſerè vitam amittens. 344
Petri Aloyſij Pauli III. filij occiſio prædicta ab Aſtrologis multò antè quàm patrata fuerit. 276
Petro Caſtellæ Regi crudeli, requirenti ab Aſtrologo, vt prædictionum fides conſtaret, quid reſponderit. 338
Petrum de carcere imminenti morte perimendum quis liberauerit. 320
Phagedænæ vnde naſcantur. 131
Pharmacis vitia temperamentorum corriguntur. 129
Phauorinus Genethliacam eſſe ait offuciarum genus ab cruſcatoribus excogitatum, ad eradendam ex alienis loculis pecuniam. 117
Phauorini egregium conſilium apud Gellium contra ambages Aſtrologorum. 290
Phialæ aquæ plenæ coloris varij vnde exiſtant. 35
Phialis, & ſpeculis, & globis vitreis, reflexum, aut refractum lumen Solis quomodo in fomite excitat ignem. 8
Philoſophi vnde deducant ſexus diuerſitatem. 78.79
Philoſophi agnouerunt liberum arbitrium. 92
Philoſophi quid de Genethliaca pronunciarint. 318
Philoſophorum, & Theologorum quorumdam doctrina de omnibus, quæ cœlo ſubſunt, vnde pendeant. 15
Philoſophorum, & Medicorum ſententia de mixtorum temperamento. 35.36
Phrenetici per ſymphoniam ſanitati reſtituti. 167
Phyſici qui dicantur, & cur digniores ſint, quàm Genethliaci, quibus adhibeamus fidem. 61.62.63

Digitized by Google

Phyſici agnouerunt liberum arbitrium. 92. 93
Picturis obſcœnis impudicitiæ veluti originem adſcribit Propertius. 159
Picus Mirandulæ Comes Aſtrologorum prædictiones expertus eſt, qui eam artem vanitatis accuſaſſet duodecim libris. 276
Pici Mirandulani doctrina de diebus criticis. 11
Pilæ paruæ exercitatio quantum ad valetudinem conferat. 110
Piper ſtomachum non minùs calefacit, quàm feruens polenta. 42
Piſcis in capite Auſtrales ſtellæ quos effectus habeant. 203
Piſcium ſquamæ naturâ ſuâ lucem ſunt ſortitæ. 3
Piſcium cibus grauiſſimus quis ſit. 117
Planta quot modis iuuet, vel noceat, ex Cardano. 193
à Planeta aliquo quamuis diſtet longiùs horoſcopus natiuitatis tempore, peruenit tamen ad illum locum aliquando, in quo erat tempore natiuitatis Planeta: & id exemplo demonſtratur. 131
Planeta cùm aliquis ad locum Martis, vel Saturni peruenerit, quid ſignificet. 231
Planeta quando obſideri dicatur, exemplo declaratur. 261
Planetæ cùm ad locum coniunctionis luminarium, quæ in genitura præceſſit, peruenerint, quid operentur. 231
Planetæ, ſeu aſtri locus quis ſit, ex Ariſtotele. 232
Planetæ nouas, & aſcititias vires aſſumunt à Signo, in quo verſantur, ex Mathematicorum doctrina. 234
Planetæ aliud ex vna, aliud ex alia cœli plaga efficiunt. 239
Planetarum vires experiri non potuerunt Aſtrologi, & quomodo. 196
Planetarum coniunctio in quoto gradu fiat Auſtralis, ſiue Borealis declinationis, valdè refert. 207
Planetarum, partiumque Zodiaci directiones quid ſint. 231
Planetas alios facit maſculinos Ptolemæus, alios fœmininos. 37
Planetas, cùm vim aliquam ex quacumque cœli plaga fundant, etiam ex proximis Signis effundere oportet, exemplo oſtenditur. 262
ad Planetas omnes pertinere putat Cyprianus Leouitius rationem reſtituendi horoſcopum. 309. 310
Plato vim exemplorum ſupra omnem cœli poteſtatem eſſe declarat. 155
Plato Genethliacam diſciplinam in Mathematicum cenſum non refert, & quare. 314
Platonis ſententiæ notabiles de opulentia, & paupertate. 163
Platonicæ diſciplinæ alumni omnes Genethliacas nugas Philoſopho homine indignas duxerunt. 314
Plinij doctrina de antipathia, & ſympathia rerum. 44
Plutinus Genethliacas nugas Philoſopho homine indignas duxit. 314
Podagra laborantes, bonorum proſcriptione ad ſimplicem, tenuemque vitam redacti, conualuerunt. 141
Pœnæ variæ, quæ impendent Aſtrologis. 346
Poëtæ etiam intellexerunt, quantum momenti ſit in ratione victus. 118
in vſu, & conſuetudine ciborum, ac exercitiorum. 118
Poëtæ etiam Genethliacis ſuperbè illudere, & ſubtilitatem artis exprobrare non dubitant. 319
Poëtæ ſaxum, quod apud inferos excogitarunt Tantalo, id ſibi ſemper impendere ſentiunt, & qui Aſtrologiæ dant operam, & qui Aſtrologorum prædictis fidem adhibent. 347
Poëtarum teſtimonia, quibus probatur, filios eſſe ſimiles parentibus. 70
& quare. 71
Pollicitationibus Aſtrologorum plerique inflammati, à ratione deſciſcunt, atrociſſima quæque aggrediuntur. 345
Poloni, gens vibanitate inclyta, nunc degunt vbi olim degebant feri, & barbari Getæ. 148
Pompeio num vtilius fuerit ignorare, quàm ſcire miſerum ſuum exitum. 347
Pontanus quid de Genethliacæ vanitate pronunciet. 318
ad Pontificatum ſummum electio vnde pendeat. 196
Porrum, valentior cibus eſt, quàm lactuca, vel cucurbita, vel aſparagus. 117
Poſſeſſionis, ac ſpei incrementa ex quo loco horoſcopi noſcantur. 219
Poteſtatis maxima inſignia, & perpetuas fœlicitates quando largiatur Saturnus. 251
Potionis, cibiíque proprietates noſſe expedit nobis omnino, & quare. 116
Præconium poſtremum Aſtrologiæ quodnam ſit. 345
Prædatores ſunt ſemper, quibus Mars præſidet. 34
Prædictiones augurum, haruſpicumque non potuerunt impetrare à Chriſtianis fidem. 179
Prædictiones, quibus Genethliaci ſuam artem confirmare ſolent, non ſunt Aſtrologicæ. 281
Prædictiones Aſtrologorum quantum inueniuntur à leuitate nimia, & credulitate conſulentium. 292
Præſagia Aſtrologorum quàm ſeditioſa ſint, & infenſa Principibus, ex Iulio Firmico. 340

Digitized by Google

Præſtigiatores ſæpe è republica pulſi fuerunt. 339.& ſeq.
Presbyter quidam,qui conſuluerat Aſtrologos, per integrum annum à diuinis amotus ab Alexandro Papa III. 341
Principatus nullum indicium vidit Cardanus in Coſmi Medices genitura, ſed ſolius prudentiæ ſigna. 182
Principium ſeminale non poteſt,niſi aut caſu, aut obſeruatione deprehendi. 103
Principia quatuor, quibus vti poſſumus in reuolutionibus annuis. 270.271
Principis cuiuſdam tres diuerſæ genituræ prodierunt. 274
Principes agnouerunt liberum arbitrium. 93
Principibus multis Genethliacam artem exitio fuiſſe,probatur. 344.& ſeq.
Proclus,& Euryſthenes Lacedæmoniorum Reges gemini fratres, diſſimiles in omnibus fuerunt. 165
Proclus Genethliacas nugas Philoſopho homine indignas duxit. 314
Progreſſio,glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Prohibitio,glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Pronunciata duo Ptolemæi quibus vti qui velit,tabellis agit ſignatis in Aſtrologos. 101
Proximis & ſublunaribus à cauſis impediri poteſt efficientia cœli. 215
ex Prudentia & vſu rerū plura diuinant Aſtrologi quàm ex arte Aſtrologica. 290 291
Pſylli vnde vim habeant tractandi ſerpentes ſine vlla læſione, ſecundùm Aſtrologos. 41. 45
Ptolemæus vnde deducat monſtrorum rationes. 83.84
Ptolemæus agnouit liberum arbitrium. 93
Ptolemæus duo ſancit pronunciata, quibus vti qui velit, tabellis ſignatis agit in Aſtrologos. 101
Ptolemæus quid ſenſerit de alfridariis. 220. 221
Ptolemæus Hipparchi aſteriſmos commutauit. 243
Ptolemæus vnde mutuatus ſit ſyderum ſolia. 255.carpenta & currus. ibid.
Ptolemæus negat quidquam certò, & indubitatò ſtatui poſſe de vita, & morte. 284
Ptolemæus quid de Genethliacæ vanitate pronunciet. 318
Ptolemæi ſententia de mixtorum temperamento,alia à Bellantij opinione. 36
Ptolemæi doctrina ſiue ſententia de fœtu. 64
Ptolemæi iudicium de Genethliacis ſui temporis. 183
Publicius & Vibius quidam è plebe, indiſcretâ propè ſpecie fuère ſimiles Magno Pompeio 76
Pudor, eſt primus vitæ emendationis gradus. 160
Pueri quomodo ad honeſta exercitia ſint adducendi. 121
Puerorum exercitia quæ eſſe debeant, 120. 121
Pueros impotentes & morboſos quædam pariunt, & vnde id fiat. 81
Pueritia ſi abundet humore, quem Planetam agnoſcet principem. 224
Pugna Cannenſis cur Romanos magis, quàm Pœnos afflixit. 271
Pulegium aridum floreſcit ipſo brumali die. 7
Pulſatio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Pulegium vtroque ſolſtitio floreſcere,ſunt qui aſſerant. 12
Purgatio quare diuturnior in fœmina quàm in maſculo. 78
Putei ſunt in oppido ad ripam Boetis, qui creſcente æſtu minuuntur, decreſcente exundant. 12
Pythagoras quibus verbis,etſi obſcuris, declarauit flagitioſorum hominum conſortium liberis noſtris noxium eſſe. 155
Pythagoras perturbationes animi lyra componebat. 167

Q

QVadratus aſpectus quid ſit, ex Cardano. 260
Quadratum quid ſit,ex Firmico.260. dextrum item, atque ſiniſtrum. 259
Quadripartiti libros ſiue de prædictionibus Aſtrologicis cur ſcripſerit Ptolemæus, ex Sixto ab Hemminga. 256
Quadrupes omne animal, cibus valentiſſimus. 116
Quæſtio bipartita Auctoris quoad frigiditatem Saturni. 197.198.199
Quæſtuoſi Aſtrologi, à Ludouico Sfortia Mediolanenſis prouinciæ Principe ditati hiſtoria. 185
Quæſtuoſi cuiuſdam Aſtrologi hiſtoria,ex qua apparet inanes eſſe electiones. 218
Qualitas fluens ab intelligentia ad cœlum, à cœlo in materiam an ſufficiat pro creando equo. 30.31
Qualitas inimicorum ex quo horoſcopi loco monſtretur. 230
Qualitas mortis ex quo horoſcopi loco inueniatur. 230
Qualitas & quantitas nuptiarum ex quo horoſcopi loco quæratur. 230
Qualitates primæ quatuor efficiuntur à ſolo lumine cœleſti. 5
Qualitates quatuor primæ peragūt omnem rerum ſublunarium mutationes,generationes, augmentationes,alterationes. 11
Qualitatum primarum diſſipata temperie,intereunt mixta omnia. 39
Qualitatum primarum temperamentum an ſit à cœlo ſolùm, aut ſaltem præcipuè. 40

Digitized by Google

Qualitatum primarum permixtiones variari poſſunt innumerabilibus modis. 44
Qualitatum duarum intemperies ſi conſiſtat per copulationem aliquam, quid agendum ſit. 130
à Qualitatibus accidentariis, vt inſtrumenta ſunt ſubſtantiæ, formas ſubſtantiales effici, qui ſenſerint 30
Quantitas, & qualitas nuptiarum ex quo horoſcopi loco quæratur. 230
Quantitate ſolùm interimunt medicamenta frigida. 131
Quartanæ febres vnde proueniant. 57. earum criſis. ibid.
Quartus ab horoſcopo locus cur imum cœlum appelletur. 229
Quarti, vel ſeptimi numerus criſis auctor non eſt. 53
Quatuor principia, quibus vti poſſumus in reuelationibus annuis. 270. 271
Quatuor verſiculi aurei in vatem famâ inclytum, Mori clariſſimi & inuictiſſimi Martyris. 319
Querimonia D. Auguſtini ad propoſitum libertatis humanæ. 174
Querimonia Cardani de Aſtrologis. 188
Qui dat formam, dat conſequentia ad formam, axioma celeberrimum in Philoſophorum Academiis. 43
in Quibuſdam cur concoctio ciborum ſit facilis, in aliis non. 126.127
Quies, & labor quantùm valeant ad morum rationem. 164.165
pro Quintili, & Sextili menſibus, Iulium, atque Auguſtum vocamus. 324
Quintus ab Horoſcopo locus cur appelletur bona fortuna. 229
Quodlibet ex quolibet fieri ab Aſtrologis quando dicatur. 63
Quodlibet ex qualibet genitura inuenire Aſtrologos, exemplis demonſtratur exquiſitis. 273
Quotidianæ febres vnde ortum capiant. 57
in Quoto gradu declinationis Auſtralis, ſeu Borealis fiat Planetarum coniunctio, valde refert. 207

R

Radiatio proſpera & fœlix quæ ſit. 259
Rapa ex oleribus valentior eſt quàm paſtinaca. 117
Ratio, & experimentum, duo primaria Aſtrologiæ fundamenta. 179
Rationem Horoſcopum reſtituendi pertinere putat ad omnes Planetas Cyprianus Leouitius. 309.310
Ratione plerique deſciſcunt, atrociſſima quæque aggrediuntur pollicitationibus Aſtrologorum inflammati. 345
Rationes Bellantij contrariæ ipſis Aſtrologorum decretis. 54
Rationes proferuntur, quibus permoti Genethliaci ſingulis locis Horoſcopi ſignificationes proprias tribuerint. 230.231
Rebus in voluntariis parum prodeſt electio, & difficillima eſt. 217
Receptio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Rectificare genituras per accidentia, an liceat Aſtrologis. 309
Refrænatio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Reges, & inopes, domini, ac ſerui, pariter gignuntur. 164
Regum, aut Imperatorum negotia publica vnde pendeant, ſecundùm Cardanum. 196
de Religione quid afferant Mathematici. 295
in Religionem veram, pietatémque nihil iuris habere aſtrorum decreta, ſcitè veriſſiméque ſcripſit Tycho Brahe. 295
Regis Anglorũ Eodardi genitura à Cardano facta, fallax omnino, & mendaciis plena. 307.308
Rerum initia à genitura pendent tribus modis. 217
Retrogradatio, glorioſum nomen Mathematicorum. 234
Reuolutio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Reuolutiones magnas confictas eſſe, Aſtrologorum teſtimonio probatur. 115.116.117
Reuolutiones animæ non probantur Aſtrologiæ principibus. 270. & ratio, ex Ptolemæo. ibid.
Reuolutiones nihil efficere poſſunt, quod in genitura non contineatur. 271.272
Rhabarbarum flauam bilem educendi vim vnde habeat, ſecundùm Aſtrologos. 41
Rhetores agnouerunt liberum arbitrium. 93
Roma Aſiæ, quam vicerat, victa ſuccubuit. 161
Romæ principis vrbium genituram veteres non deſiderarunt. 263
Romanis Etruſcos quid commendarit. 278
Romulus Vticenſis orator eximius non obtinuit honores, quos eius genitura promittebat. 302
Romuli legibus obſcœna loquens coram fœminis, non ſecus quàm homicida puniebatur. 159
Rubeta quo pacto muſtelam ex arbore deuorandam pelliciat, quamquam vociferantem, & auxilium vndique implorãtem. 45
Rutæ, & Braſſicæ quanta inimicitia. 45

S

Sacrificia, quibus placato Numine auertuntur morbi, cur inſtituta perhibentur. 102
Salſioribus vſæ mulieres grauidæ, carentem

Digitized by Google

vngulis partum edunt, ex Plinio. 82
Sanguis hircinus vnde vim habeat emolliendi adamantem ſecundùm Aſtrologos. 41
Sanguinarij ſunt ſemper, quibus Mars præſidet. 34
Sanitas habitantium in vrbibus in duobus potiſſimùm conſiſtit. 123
Sapienti famulantur omnia tanquam alteri Deo. 97
Sapientia diuina coniungit principia ſecundorum finibus primorum. 16
Sapientia vt præſtat, ita & præeſt reliquis. 96
Satio, & inſitio indicat prodeſſe electionem. 217.219
an Saturnus impediatur vi aliorum aſtrorum, ita vt aliquando frigefaciat minùs, aliquando penè nihil. 199
Saturni, & Martis ſtellas maleficas eſſe, ex Ptolemæo, & quare. 36
Saturni frigidam naturam ſi contendant Aſtrologi ex vario eius aſcenſu per partes hemiſphærij noſtri deprehēdi, quid reſpondendum. 200
Saturni, vel Martis ad locum quando aliquis Planeta peruenerit, quid ſignificet. 231
an Saturni ſequetur effectum Horoſcopus, qui eo die, vel anno peruenerit ad locum, quem natali hora Saturnus occupabat. 232
Saturni in Horoſcopo partiliter conſtituti effectus. 250. in ſecundo loco ab horoſcopo. ibid. in reliquis item locis ad duodecimum vſque conſtituti. 251.252
Saturno ſubditi cuius ſint temperamenti, ex Bellantio. 34
Saturno deſunt ea quæ Solis, & Lunæ experimentum facile reddunt, & certum. 200
Satyria, morbus appellatus, quid ſit. 73
Saxum illud impendens ſemper ſentiunt, & qui Aſtrologiæ dant operam, & qui Aſtrologorum prædictis fidem adhibent, quod Poëtæ Tantalo excogitarunt. 347
Saxa partim neceſſarias habent affectiones, partim ex eo quod contrariam habēt affectionem dependent. 64
in Saxis corpus cohæret ſine mente. 27
Scaligeri opinio de fluxu, & refluxu maris. 13
Sciendi ſtudium an ſit hauſtum è cœlo. 172
Scientiæ iam partæ voluptas quàm maxima ſit. 172
Scipionis Africani vaticinium de oppido quodam Hiſpaniæ, quod oppugnabat caſúne contigerit, an aliter. 287
Scorpionibus obnoxias ædes fore, quæ Scorpione quarto cœli loco exiſtente exædificatæ fuerint, cur dicant Aſtrologi. 245
Scotus contendit, ne Deum quidem ex cauſa libera, & ad vtrumque æquè parata agnoſcere poſſe quid futurum ſit, vel non futurum. 100
Scylax Halicarnaſſæus Genethliacam repudiauit. 317.319
Scythæ ſoli immanis feritatis crudelitate graſſantur. 146. eorum deſcriptio, ex Ptolemæo. ibid. 147
Sectæ in quo Horoſcopi loco inueniantur. 230
Securitas Cæſarem fefellit, non augurium Spurinam. 278
Sedes aſtrorum fixa ſit à Mathematicis, ac immobilis. 253
Semen quare dicatur inſtrumentum viuentis. 30
Semen ſi cōcipiatur, vel partus, Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario exiſtente, quid fiat. 51
Semen genitale an cauſa ſit ſimilitudinis aut diſſimilitudinis filiorum. 73.74
Semen retentum prohibet concoctionem, & auget melancholiam. 142
Seminum diuerſitas quantum momenti habeat ad proprietatem generis vniuſcuiuſque. 285
Sempronius quare vxorem ſuam repudiaſſe dicatur. 158
Seneca meritò laudat ruralem vitam degentes. 163
Senecæ opinio de fluxu, & refluxu maris. 13
Senectus vbi impudens eſt, ibi & inuerecundos eſſe iuuenes, neceſſe eſt. 150
Senectutis alimentum quale eſſe debeat, ex Paulo Ægineta. 118
Sententiæ Aſtrologorum de imaginibus cœleſtibus vt ſunt mendaces omnes, inconſtantes, ita & diſſentientes. 246
Separatio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Septimi, vel quarti numerus criſis auctor non eſt. 53
apud Seras lex eſt nec occidere, nec fornicari, nec furari, nec adorare ſimulachra. 334
Serpens biceps viſus, & qua de cauſa. 86
Serpentem peperit ancilla quædam. 85
Serui, ac domini, inopes, & reges, pariter gignuntur. 164
Seruorum ſubſtantia ex quo Horoſcopi loco monſtretur. 230
Sextus ab Horoſcopo locus cur mala fortuna appelletur. 229
pro Sextili, & Quintili menſibus, Iulium, atque Auguſtum vocamus. 324
Sexum diſparem cur ſæpe nanciſcantur gemini, qui eadem ſortiti ſunt genitalia aſtra. 265
Sexuum diuerſitatem quomodo diſtinguat Ptolemæus. 78
Siccitatem, & humorem, calorem, & frigus quare primas eſſe qualitates doceat Ariſtoteles. 39

Siciliæ

Siciliæ incolæ, præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent. 146
Siculi, ex Iulio Firmico, dicuntur acuti. 146
à Signo vires nouę & aſcititiæ aſſumūtur Planetis, in quo verſantur, ex Mathematicorum doctrina. 234
Signa inter ſe æqualia ſunt, aſtrorum aſteriſmi non item. 231
Signa agere per ſe, & ſine ope ſtellarum, in hęc inferiora, tradunt Cardanus, Manilius, & Iulius Firmicus. 235
Signa octauæ ſphæræ quantùm diſtent & diſſideant à Signis decimi orbis. 237
Signorum fœcundorum & infœcundorum deſcriptio ex Manilio. 233 item & maſculorum, ac fœmininorum, nocturnorum, ac diurnorum, terreſtrium, & aquaticorum, amicorum, & inimicorum; eorúmque apoteleſmata. 234
Signorum vis vnde profluat. 237
Signis quotuplex actionis genus attribuatur à Mathematicis. 234.235
an Significatum euentus cuiuſlibet, qui per reuolutionem oſtenditur, in genitura ſit conſtitutum. 170
Simeon Bulgarorum Princeps, Mathematicorum ſuaſu in Crobatos inſiliens, incredibilem cladem accepit. 144
Simile non pati à ſimili, receptum in ſcholis axioma. 44
Simonidis dictum egregium ad Hieronis vxorem. 163
Simonidi quare merito iure indignetur Ariſtoteles. 97
Simplicia euenta vnde dimanent. 193
Simplicitatis amatores ſunt Celtæ. 146
Sinapi cuti impoſitum cur eam erodat, atque exulceret, comeſtum verò non. 130
Singularium, & generalium nomine quid intelligatur. 193
Siniſtrum trigonum quid ſit, ex Firmico. 259
Sinus Mexicanus ab æſtu immunis eſt, & liber. 12
Situs, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Sixtus V. primo ſui Pontificatus anno, Aſtrologiæ vſum planè interdixit. 342.343
Sixto IV. Pontificatum qui prædixerunt vnde id habuerint. 300
Sixtus ab Hemminga cur dicat Ptolemæum libros ſuos quadripartiti, ſiue de prædictionibus Aſtrologicis ſcripſiſſe. 256
Sixtus ab Hemminga vnde conficiat, horoſcopum vnum non poſſe pluribus accidentibus accommodari. 311
Sixtus ab Hemminga Friſius Aſtrologorum deliramenta patefecit. 319
Sixti ab Hemminga opinio de Pauli III. genitura à Paride Cereſario explicata. 285
Sixti ab Hēminga Friſij mater contrariā ſuæ omnino genituræ fortunam obtinuit. 305
Sixti ab Hemminga teſtimonium egregium de falſitate, & impoſſibilitate Aſtrologiæ. 351
Socrates Genethliacam diſciplinam in Mathematicum cenſum non refert, & quare. 314.316.
Sol genitoris patriſque nomine appellatur. 4
Sol per totum annum hyemem atque æſtatem facit, Luna per menſem id agit. 11
Sol accipit initium temporis in diurnis genituris, & quanto tempore teneat dominatum. 224. cur mundi Planeta factus ab Aſtrologis. 225
Sol aliud ex Ariete, aliud ex Leone efficit. 239
Solis motus quos reddat effectus 3
Solis lumen ſpeculis, & phialis, & globis vitreis reflexum aut refractum in fomite excitat ignem, quomodo. 8
Solis, & Mercurij ſtellarum temperamentum quale ſit, ex Ptolemæo. 36
Solis, Lunæque vis quanta in generationibus. 51
Solis domus à Poëta deſcripta. 255
Sole nunc acriùs, nunc temperatiùs agente, cur diuerſas colligant Signorum vires Aſtrologi. 240
Solem & Saturnum patribus, Lunam & Venerem matribus naturaliter aſſimilari ſcribit Ptolemæus. 69
Solem, dum Ariete percurrit, tonitrua edere, & fulgura, quæ ſit ratio Ptolemæi. 240
Solſtitium circa vtrumque cur per centum dierum ſpatium mori maximè contingat, ex Ariſtotele. 315
Solſtitij æſtiualis prærogatiua quænam ſit. 271. brumalis quæ. ibid.
Societas prima, & generis humani conſeruatrix quænam dicatur ab Ariſtotele. 171
Societatis ſtudium quàm aduerſetur priuatis commodis. 171
Solertia Medici quantùm valeat, duplici exemplo declarat Galenus. 135.136
Sophocles quo genere mortis obiit. 213
Sors, fortuna, caſus, & euentus quid ſint, ex Cicerone. 140
Squamæ piſcium lucem natura ſua ſortitæ ſunt. 3
Spadones vna parte truncati à priſtina forma diſcedunt, parúmque à fœmina ſpecie diſtant, & quare. 79
Spatiorum nocturnorum eadem eſt æqualitas, quæ diurnorum. 3
in Specubus ſub terra altiſſimis pleraque gigni ſolent, & vnde id fiat. 7
Speculis, & phialis, & globis vitreis, reflexum aut refractum lumen Solis quomodo in fomite excitat ignem. 8
Spei, ac poſſeſſionis incrementa ex quo loco horoſcopi noſcantur. 229
Sphæræ octauæ ecliptica cur mobilis ab Aſtronomis appelletur. 205

Digitized by Google

à Sphæræ octauæ Zodiaco mobili, & variis ſtellis apto, qualem Zodiacum cogitarint diuerſum Aſtronomi, Alphonſi Regis tempore. 235
Sphæræ octauæ & decimi orbis Signa quantùm diſtent, & diſſideant inter ſe. 237
Spica Virginis differens erat Timocharis ætate, ab ea quæ tempore Hipparchi. 233
Spiritus, & vita in quo horoſcopi loco inuenitur. 229.230
Splen multa habens accidentia cum hepate communia, in quo tamen inuicem differant. 132
Spurinæ prædictio de C. Iulio Cæſare. 278
Statio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 254
Statum diſparem cur ſæpe nanciſcantur gemini, qui eadem ſortiti ſunt aſtra genitalia. 265
Stellæ omnes poſſunt, & nonnihil calefaciendo, vapores aliquos extrahere. 6
an Stellæ omnes formas omnes edant. 31.32
Stellæ generales mitigantur à particularibus, & particulares à generalibus. 148
Stellæ in capite Arietis quos effectus habeant. 196
Stellæ Auſtrales in capite Piſcis quos effectus habent. 203
Stellæ dicuntur ſuas quaſi perſonas gerere, quod videre facie ad faciem vulgus vocat. 222
quæ Stellæ alias videant, & quæ audiant, vel contrà, ex Iulio Firmico. 227.228
Stellarum quoſcumque occultos, & latentes laqueos eludit atque perrumpit maris æſtus. 12
Stellarum inerrantium facultates, ex Ptolemæo. 37
Stellarum fixarum diſtantia creſcit, & augetur ſecundùm ſucceſſionem ſignorum. 203
Stellarũ ſine ope, & per ſe, ſigna agunt in hæc inferiora, ex doctrina Cardani, Manilij, & Iulij Firmici. 235
Stellarum arbitraria diuiſio quòd ſit, declaratur abundè. 243
Stellas facere auctores bonarum, malarúmque actionum, à Dei prouidentia eſt maximè alienum. 102
Stellas inter ſe pugnare, ſe præpedire, ac inhibere, certum & exploratum apud Genethliacos. 186
Stellas igneas eſſe putarunt, qui cœlum ignem eſſe docuerunt. 3
Stellas alias nocturnas faciunt Aſtrologi, alias diurnas. 198
Stellis vniuerſis inſita eſt lux aliqua ſibi propria. 2
Stellis numeros & nomina quis fecerit. 243
Stipulæ aridæ igni impoſitæ an cœleſte opem deſiderent vt exurantur. 29
in Stirpibus corpus cohæret ſine mente. 27
de Stirpibus, aut animãtibus mutis cur Aſtrologi nihil pronuncient è ſtellis, ſed de hominibus ſolùm, præſertim opulentis. 264
Strabo Ariſtocleam puellam nudam videns, in eam exarſit. 160
Strato Lampſacenus vnde deducat monſtrorum cauſas. 87
Strepitus vrbani quantùm valeant ad morum rationem. 164.165
Struthiocamelus vnde vim habeat exterendi ferrũ coquendo, ſecundùm Aſtrologos. 41
Studium ſciendi an ſit hauſtum à cœlo. 172
Stupratores ſunt ſemper, quibus Mars præſidet. 34
Sublunaribus, & proximis à cauſis impediri poteſt efficientia cœli. 215
Subſtantia ex quo horoſcopi loco oſtendatur. 229
Subſtantia ſeruorum ex quo horoſcopi loco monſtretur. 230
per Subſtantiam quid intelligat Bellantius. 194
Suum duorum ſimul genitorum diſparitas vnde fiat. 25
Suillà inter domeſticos quadrupedes leuiſſima eſt. 117
Suillo ſanguine paſtus quidam cœno ſemper delectabatur. 114
Surculus, pars viuens, & viuentis eſt. 21
Sur mare æſtu agitatur vehementiſſimo. 12
Sutor an de Octauio diuinauerit, an verò forte fortuna eius verba vera fuerint. 286
Syderum ortu flatus, imbréſque excitari ſolere, vnde fiat. 7
Syderum poteſtas an ſit circa animum. 59.60
Syderum congreſſus non eſſe adhuc ab Aſtrologis exactè notatos, eclipſes, & ephemerides declarant. 191
Syderum aliorum, quàm Lunæ, ac Solis opera obſcuriora ſunt tribus de cauſis, ex Cardano. 201
Syderum ſolia Ptolemæus mutuatus eſt ex Poëtarum fontibus. 255
Syderũ congreſſus quando non ita certò prædicere poſſunt Aſtrologi, quò confugiant. 268
Syderum vim cur Genethliaci non poſſint obſeruare experimento. 268
Syllogiſmus contra Aſtrologos ignorantes ſtellas quæ conceptui præſunt. 103
Sympathiæ, & antipathiæ rebus vnde fiant. 43, eius ratio duplex. ibid.
Syrij, ex Iulio Firmico, dicuntur auari. 146. 147

T

TAntalo quod Poëtæ excogitarunt ſaxum apud inferos, id ſibi ſemper impendere ſentiunt, & qui Aſtrologiæ dant operam, & qui Aſtrologorum prædictis fidem adhibent. 147

Tarditas, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Tatianus quid de Aſtrologis pronunciet. 317
Taurus à Tauro in quo diſſideat. 43
Taurus cur inter ſydera relatus, ex Ouidio. 144
Tauri primus decanus cui tribuatur, eiuſque formæ ſolâ Mathematicorum cogitatione efformatæ. 245.246
in Tauro Saturnus quid ſignificet. 207
in Tauro Lunâ commorante, cur Medicinam non eſſe ſumendã aſſerant Aſtrologi. 144. refelluntur. ibid.
Taxus Narbonenſis ſub ea conſidentes lædit, & non rarò necat. 45.46
Temperamentum quid ſit, ex Fernelio. 38. qui ſeiungatur à mixtione. ibid.
Temperamentum primarum qualitatum an ſit à cœlo ſolùm, aut ſaltem præcipuè. 40
Temperamenta duo in eodem homine diſtinguit Bellantius, & quæ. 33. rationes eius contrariæ ipſis Aſtrologorum decretis. 34
Temperamentorũ omnium differentiæ quot, & quales. 37
Temperiem corporis diſparem cur ſæpe naſcantur gemini, qui eadem ſortiti ſunt aſtra genitalia. 265
Temperie primarum qualitatum diſſipata, mixta omnia intereunt. 59
Tempeſtas improuiſa quouis tempore nonnunquam fœuit, & vnde id fiat. 7
quæ Tempeſtas, qui ventus, qui imber vbique ſit, intereſt plurimùm in cœli motibus, mutationibuſque. 209
Tempeſtates nouilunio, plenilunio, quarta Luna commutari ſolere, vnde fiat. 7
Tempeſtatum mutationes vnde fiant, ratio Ariſtotelis. 241
Tempus eſſe humidius & frigidius decreſcente Luna, quomodo intelligendum. 11
Tempora vnicuique negotio peragendo accommodata eligenda ſunt. 217
Terminus, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Terra tota ſaxea quibuſdam locis, aliis argentea, aliis ferrea, vel aromatica, quem agnoſcat huius ornatus auctorem. 22
Terra conſideranda maximè in domicilij electione. 125
Terræ natura in vniuerſo quaſi fœmina materque ſtatuitur. 4
Terreſtria quædam Signa cur appellata ſint. 144. eorum deſcriptio ex Manilio. 134
Tertianæ febres vnde proueniant. 57. earum criſis. ibid.
Tertullianus quid de Aſtrologis pronunciet. 317
Teſtimonium S. Auguſtini de geminis diuerſi ſexus, & vitæ diſparis. 265
Teſtimonium Sixti ab Hemminga egregium de falſitate & impoſſibilitate Aſtrologiæ. 351
Thebani cur pingues, & valentes habeantur. 114
Theologi Scholaſtici quid de Mathematicis pronuncient. 317.318
Theologorum & Philoſophorum nonnullorum doctrina de omnibus quæ cœlo ſubſunt, vnde pendeat. 15
Theſſali vnde vim habeant faſcinandi quem laudant, ſecundùm Aſtrologos, aut pueros tabefaciendi illos intuendo. 41
Theſſali cuiuſdam reſponſum commendatur. 154
Thomas contendit, ne Deum quidem ex cauſa libera, & ad vtrumque æquè parata agnoſcere poſſe quid futurum, vel non futurum ſit. 100
Thraſyllus vnde præſagire potuit Imperium Tiberio. 283
Thraſylli vera prædictio de reuocatione Tiberij Neronis ab exilio. 275
Tiberius Nero arti Aſtrologicæ Thraſyllo magiſtro operam dedit. 275
Tiberio qui orbis terrarum Imperium prædixerunt, vnde id habuerint. 300
Tiberij prædictio de Galba. 275
Tiberius Gracchus quo die interfectus fuit è domo egrediens, grauiſſimè ad limen offendit. 279
Timidum eundem hominem, audacem, melancholicum & colericum in quibuſdam actionibus, vnde fit vt experiamur. 40
Timocharis & Hipparchi ætate ſpica Virginis differens erat. 235
Tonitrua edere Solem in Ariete, vnde fiat. 239
Toronius M. Antonio iam triumuiro duos eximiæ formæ pueros, alterum in Aſia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos vendidit, quorum mira erat ſimilitudo. 77
Torpedo ſtuporem affert piſcatori, etiamſi tantùm haſta tangatur. 45
Trabis ex caſu necem Galeatij qui prædixit, vnde didicerit. 282
Tranquillitates fiunt vniuerſaliter propter duas cauſas. 9
Tranquillitates quibus de cauſis fiant vniuerſaliter, ex Ariſtotelis doctrina. 241
Tranſitus, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Tranſlatio, glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 234
Trigonem quid ſit, ex Firmico. 258.259
Trinus aſpectus, ex Cardano, quid ſit. 260
Triplicitas, glorioſum nomẽ à Mathematicis vſurpatum. 294
Triticum firmius eſt alimentum, quàm miliũ. 116
Troianorum proceres laudantur, qui Helenã fugiebant. 257

Digitized by Google

Tullius oſtendit vtiliorem eſſe ignorantiam malorum futurorum,quàm ſcientiam. 347
Tulli relatum de vero dicto Carneadis. 175
Turcæ luctatores hodie à Venere abſtinerent. 141
Tycho Brahe declarat incertos eſſe aſtrorum congreſſus. 19. deſerit quoque inueteratam Aſtrologorum opinionem de artis ſuæ antiquitate. ibid.
Tycho Brahe ſcitè veriſſimeque ſcripſit in religionem veram nihil iuris habere aſtrorũ decreta. 295
Tycho Brahæ quid de Aſtrologia,& Aſtrologis pronunciet. 319
Tychonis, Copernici, Alphonſi, & aliorum Aſtrologorum tabulæ diſſentientes ſunt inter ſe. 168
Tympano concuſſo, quod è corio lupi conflatum ſit,aliud ex agni corio confectum diſſoluitur. 45
Tyrrheni libertatis, ſimplicitatis, munditiæ ſunt amatores. 146
Tyrrhenum mare non concipit æſtum, quem concipit Adriaticum. 12

V

Valetudinis, ac vitij cauſa in quo horoſcopi loco inueniatur. 119
Valetudini, & naturali temperamento obeſt plurimum, eorum, quibus quis aſſueuerit, repentina commutatio. 125
Valentiſſimum in cibo quid vocetur. 116
Vaticinium egregium Petri Aretini ſcurræ famoſiſſimi. 185
Velocitas glorioſum nomen à Mathematicis vſurpatum. 134
Venetiarum ædificationem,Bononiæ,Mediolani, Florentiæ inſtaurationem inter genituras numerat Cardanus. 163
qui Ventus, qui imber, quæ tempeſtas vbique ſit,intereſt plurimùm in cœli motibus mutationibúſque. 209
Vetum fuiſſe media æſtate,vnde fiat. 140. vel quouis tempore. ibid.
Venti inopinati nonnunquam ſæuiunt quouis tempore,& vnde id fiat. 7
Venti Septentrionales ſalubriores ſunt,quàm ſubſolani vel auſtri. 124
Ventidius Baſſus Aſculanus quàm multis caſibus obnoxius fuerit. 138.139
Venus non ſecus ac Luna creſcit, ac decreſcit. 2
Veneris ſtella eoſdem habet effectus, quos Iupiter ſed ratione diuerſa. 196
Venerem,Iouem,& Lunam,ſtellas eſſe beneficas ex Ptolemæo,& quare. 36
Venerem præeſſe ab anno decimoquarto ad vigeſimum primum, quod aiunt, quantum contineat leuitatis. 224
Ver,& Autumnus vnde efficiantur. 3
Ver non eſt ſemper æqualiter humidum, & quare. 6
Verni æquinoctij prærogatiua quænam ſit. 270
Vera multa prædixiſſe Mathematicos, cur dicatur. 330
Veritatem prædictionum aſtrologicarum fortuitam eſſe,vnde declaretur. 287
Veratrum,& cicuta vnde vim habeant hominem interimendi, ſecundùm Aſtrologos, non coturnices,aut ſturnos. 41
Verborum inuolucra, & inacceſſæ latebræ Aſtrologorum quantæ. 289.290
Vergiliarum occaſu ad Fauonis vſque flatus cur ij potiſſimùm pereant, qui diuturno morbo laborarunt,ex Ariſtotele. 325
in Veſparum aut apum genere an monſtra accidant. 86
Veſpaſianus, Aſtrologiæ peritiſſimus,quátum fidei adhibuerit ſuæ genituræ. 176
Veſpaſiano qui orbis terrarum Imperium prædixerunt vnde id habuerint. 300
Via lactea quid. 3
Vibius & Publicius quidam è plebe,indiſcretâ propè ſpecie fuêre ſimiles Magno Pompeio. 76
Vicinitas aſtri quotuplex poteſt eſſe, & quæ efficacior. 109
Viciſſitudo rerum quomodo perſtare videatur. 16
Vicomercati opinio de fluxu, & refluxu maris. 13
Victus mutatio quantùm ſit nocua, ex Hippocratis ſententia. 126
Victu magis fouetur temperamentum, aut diſſoluitur, quàm alia re qualibet. 116
Vigeſimus, & vigeſimus primus cur multò magis viginti decernat,explicatur. 53.54
Vindicianus acutus ſenex, & Nebridius adoleſcens mirabilis animæ. 316
Vinum quamobrem exhilarat cor non cerebrum,non pedes,non hepar. 8
Vina abſumit fulmen, vaſe nequidquam læſo. 44
Viperæ venenum,rabidi canis ſpuma, aut aſpidis virus,parem vim non habent,vel ſoli cuti applicata,vel intrò aſſumpta. 131
Viperarum morſus per tibicinem ſanati. 167
tam Vir,quàm fœmina partem dexteram habet fortiorem,calidiorémque,& quare. 79
Virgilius an ex aſtris, an ex proximis coniunctiſque cauſis, deduxit ea quæ lib. 2. Georgicorum ſcribit. 291
Virginis ſpica differens erat Timocharis ætate,ab ea quæ tempore Hipparchi. 233
Vis illa, quæ Signis tribuitur,vnde profluat. 237
Vim exemplorum ſupra omnem cœli poteſtatem eſſe declarat Plato. 155
Vim ſyderum cur non poſſint Genethliaci obſeruare experimento. 168

Vires

Vires nouæ & aſcititiæ aſſumuntur Planetis à Signo, in quo verſantur, ex Mathematicorum doctrina. 234
Vires aſpectuum ſunt velut lab or flectendi baliſtam. 261
Vita quatenus beata ſit hominibus. 98
Vita noſtra omnis in remiſſionem, ac ſtudium diuiſa eſt. 122. otioſa nimis, vtilis non eſt. 125
Vita ruſticana quantùm valeat ad morum rationem. 164. 165
Vita hominum & ſpiritus in quo loco horoſcopi contineatur. 22P. 230
Vitæ amor ſyderali impulſui obſtat non raró. 171
Vitæ bontæ appetitio non eſt ſubiecta ſyderali imperio. 172
Vitæ actiones omnes non poſſunt ex aſtris prædici, & ex quæ prædicuntur, non certa, ſed probabili quadam coniectura. 287
de Vita, & morte quidquam certò, & indubitatò ſtatui poſſe negat Ptolemeus. 284
de Vita aut Morte cuiuſque, quàm temere ex arte ſua diſcernant Mathematici. 305. 306
Vitis capneus vocata, ſi nigram vuam ferat, cùm albam ſoleat ferre, non ob id dicitur monſtrum. 87
Vitium naturæ multi ſuſtulerunt meditatione, atque exercitatione. 129
Vitium naturæ multi ſuſtulerunt meditatione, atque exercitatione. 155
Vitij, ac valetudinis cauſa in quo horoſcopi loco inueniatur. 229
Vitia animi ex quo horoſcopi loco perſpiciantur. 230
Vitia diſparia cur ſæpe nanciſcantur gemini, qui eadem ſortiti ſunt aſtra genitalia. 265
Vltores ſunt ſemper, quibus Saturnus præſidet. 34
Vmbra terræ Soli officiens noctem efficit. 5
Vndecimus locus appellatur bonus dæmon, & eſt locus Iouis. 230
Voces nefariæ Genethliacorum. 338
Vocalia quædam Signa cur appellata ſint. 244
Voluntas mala cur in vno fiat, & non in altero, qui tamen æqualiter affecti fuerint vnius corporis pulchritudine. 175
Voluntates humanæ ſyderum poteſtati minimè ſubiectæ. 95
Voluntariis in rebus parum prodeſt electio, & difficillima eſt. 217
Voluptas ſcientiæ iam partæ quanta ſit. 172
Vomitus & nauſeæ quibus præcipuè mulieribus prægnantibus accidant. 85
Vrbes ſalubriores quænam ſint. 123
Vrbium ridiculas eſſe genituras. 263. 264
Vrbani ſtrepitus quantùm valeant ad morum rationem. 164. 165
Vtilitas Medicinæ quanta ſit. 62
Vuæ valentiores ſunt ex fructibus ſurculorum, quàm quæ poma propriè nominantur. 117
Vulnera partim neceſſarias habent affectiones, partim ex eo, quòd contrariam habent affectionem, dependent. 64

X

XEnocrates organicis modulis lymphaticos liberauit. 167

Z

ZOdiacus qua inſania dicatur locus Planetæ. 231
Zodiacus quomodo diuidatur ab Aſtrologis nulla relatione facta ad Planetas. 247
Zodiacus primus cur dicatur ab Aſtrologis fixus, & immobilis, ſecundus verò mobilis, & fixus. 253. 254
Zodiaci ſigna in minuta qua ratione diuiſerunt ij qui hanc artem Genethliacam pepererunt. 189
Zodiaci in quolibet gradu, aut minuto, an poſſint Aſtronomi obſeruare omnes aſtrorum congreſſus. 209. 210
Zodiaci partes in Monomerias fecerunt Ægyptij. 247
Zodiacum qualem cogitarint Aſtronomi, tempore Alphonſi Regis, diuerſum à Zodiaco octauæ ſpheræ mobili, & variis ſtellis apto. 235
Zodiaci duo ſunt concipiendi in corporibus cœleſtibus. 253
Zodiaci partium, Planetarúmque directiones, aliud commentum Aſtrologicum. 231
Zodiaci duodecim partes vt numerant Mathematici, ita duodecim in eo formant ſtellarum ſchemata. 233
Zodiacos duos finxerunt recentiores Aſtrologi. 236. 238

Finis Indicis Rerum & Verborum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google